6
19-c
78

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11 M F
45

6.19.c.78

HIERONYMI FRACASTORII
ET
MARCI ANTONII FLAMINII
CARMINA.

QUIBUS

HAC IN EDITIONE

Acceſſere alia quamplurima ex illuſtribus aliquot Poetis deſumpta, *nempe* COTTA, BONFADIO, FUMANO, ARCHI COMITE, BEMBO, NAUGERIO, CASTILIONIO, *& aliis pluribus*.

Domus S. Mariæ Magdalenæ Urbis

VERONÆ, MDCCXLVII.
EX TYPOGRAPHIA PETRI ANTONII BERNI
Bibliopolæ in Regione Leonum.
SUPERIORUM PERMISSU.

TYPOGRAPHUS
BENEVOLO LECTORI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EX quo nobis præclaras aliquot editiones iterum demandare luci feliciter obtigit, illud ſemper fixum animo, ac ſtatutum voluimus; ut ſi quid præ manibus eſſet, quod ad ſtudioſorum hominum excitandos animos conducere videretur, id ſedulo noſtris excudi prælis toto animo, diligentiaque incumberemus. Libentius itaque aliquid identidem adgredimur, quia ſuperioribus annis, quæ ob inſignium virorum oculos opera poſuimus, ea ipſis noſtro incredibili gaudio accepta, jucundaque fuiſſe ſemper animadvertimus. Idque plane fuit, ut nullus omnino dubitandi locus relinqueretur, quin huic etiam perutili admodum volumini noſtram operam daremus: quod quidem potiori jure, quam cetera, non noſtro ſolum, ſed communi omnium judicio, univerſam ſibi conciliaturum exiſtimationem eſt, tum propter Fracaſtorii, & Flaminii Carmina, quæ in ipſo præcipuum locum obtinent, tum etiam, quod huic nonnulla ſelectiorum aliquot virorum addenda opuſcula curavimus. Ea tibi, Humaniſſime Lector, commendari per nos non oportet; nam hi quidem magnam ſibi apud omnes auctoritatem per ſe ſatis vindicant. Illud unum itaque optandum nobis eſt, ut ſtudium in te noſtrum hiſce in proferendis editionibus cognitum tibi, acceptumque ſit: ut benevolentia, qua hunc, qualiſcumque eſt, laborem exceperis, majorem nobis iniiciat animum, præſtantiores poſthac ſemper in re litteraria comparandi tibi utilitates. Vale.

INDEX

EORUM

Quæ hoc Volumine continentur.

Epiſtola ad Lectorem. pag. 3
Hieronymi Fracaſtorii Syphilidis, ſive de morbo Gallico, libri tres. 7
Joſeph libri duo. 39
Carminum Liber. 68
Carmina Illuſtrium Poetarum ad Fracaſtorium, vel de Fracaſtorio; nempe Antonii Marii, Joannis Baptiſtæ Amalthei, Adami Fumani, Ludovici Nogarolæ Comitis, Julii Cæſaris Scaligeri, & Jo: Matthæi Toſcani. 114
Carminum Prophanorum Marci Antonii Flaminii libri ſeptem. 119
Ejuſdem Sacrorum Carminum liber, qui & octavus. 308
Selecta Illuſtrium Poetarum Carmina ad Flaminium, vel de Flaminio, nempe Joannis Antonii Flaminii, auctoris patris, Joan. Antonii Vulpii, Comenſis, Baſilii Zanchi, Achillis Phil. Bocchii, Joannis Plazonii, Bernardini Parthenii, Salmonii Macrini, Franciſci Vinthæ, Franciſci Arſilli Senogallienſis, Joannis Caſæ, Joannis Baptiſtæ Pignæ Ferrarienſis, Adriani Cribelli Mediolanenſis, A. Calemeri Planti nidæ, Joannis Matthæi Toſcani, Gabrielis Flaminii Forocornelienſis, auctoris Nepotis, Franciſci Benalii, & Joannis Cargæ. 327
Joannis Cottæ Carmina. 338

Actii

Actii Synceri, & Jo: Matthæi Toſcani Carmina de eodem. 345
Jacobi Bonfadii Carmina. 347
Paulli Manutii, & Joannis Matthæi Toſcani Carmina de eodem. 351. 353
Adami Fumani Carmina. 353
Nicolai Archii Comitis Carmina. 359
Julii Cæſaris Scaligeri, & Joannis Matthæi Toſcani Epigrammata duo. 361
Petri Bembi Carmina. 361
Andreæ Naugerii Patritii Veneti Luſus Paſtorales. 372
Balthaſſaris Caſtilionii Carminum liber. 398
Illuſtrium aliquot Poëtarum Carmina ad Caſtilionum, vel de Caſtiliono, nempe Benedicti Lampridii, Joannis Antonii Flaminii Forocornelienſis, Marci Antonii Flaminii, Livii Gregorii Gyraldi, Franciſci Arſilli Senogallienſis, Joannis Plazonii, Baſilii Zanchi, Julii Capilupi, Antonii Ceruti, Joannis Matthæi Toſcani, & Marci Stichini. 419

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del P. Frà Lauro Maria Piccinelli Inquiſitor di Verona nelli Libri intitolati *Hieronymi Fracaſtorii, & Marci Antonii Flaminii Carmina, cum nonnullis illuſtribus Poetis &c.* non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Princip:, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a *Pietro Antonio Berno Stampatore di Verona*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 13, Maggio 1740.

(Gio: Pietro Paſqualigo Rif.

(

(Lorenzo Tiepolo Cav. Proc. Rif.

Regiſtrato in Libro a car. 50.

Agoſtino Bianchi Secret.

HIERONYMI FRACASTORII SYPHILIDIS, SIVE DE MORBO GALLICO AD PETRUM BEMBUM,

LIBER I.

Qui caſus rerum varii, quæ ſemina morbum
Inſuetũ, nec longa ulli per ſecula viſum
Attulerint: noſtra qui tẽpeſtate per omnẽ
Europã, partimq; Aſiæ, Libyæq; per urbes
Sæviit: in Latium vero per triſtia bella
Gallorum irrupit, nomenque a gente recepit:
Necnon & quæ cura, & opis quid comperit uſus,
Magnaque in anguſtis hominum ſolertia rebus,
Et monſtrata Deum auxilia, & data munera Cæli
Hinc canere, & longe ſecretas quærere cauſſas
Aera per liquidum, & vaſti per ſidera Olympi
Incipiam: dulci quando novitatis amore
Correptum, placidi Naturæ ſuavibus horti
Floribus invitant, & amantes mira Camœnæ.
BEMBE, decus clarum Auſoniæ, ſi forte vacare
Conſultis LEO te a magnis paulliſper, & alta
Rerum mole ſinit, totum qua ſuſtinet orbem:
Et juvat ad dulces paullum ſecedere Muſas:
Ne noſtros contemne orſus, medicumque laborem,
Quidquid id eſt. Deus hæc quondã dignatus Apollo
Et parvis quoq; rebus ineſt ſua ſæpe voluptas. [eſt:
Scilicet hac tenui rerum ſub imagine multum
Naturæ, fatique ſubeſt, & grandis origo.
Tu mihi, quæ rerum cauſſas, quæ ſidera noſcis,
Et cæli effectus varios, atque aeris oras,
Uranie, [ſic dum puro ſpatiaris Olympo,
Metiriſque vagi lucentes ætheris ignes,
Concentu tibi divino cita ſidera plaudant]
Ipſa ades, & mecũ placidas, Dea, lude per umbras,
Dum tenues auræ, dum myrtea ſilva canenti
Aſpirat, reſonatque cavis Benacus ab antris.
Dic, Dea, quæ cauſſæ nobis poſt ſecula tanta

Inſolitam peperere luem? num tempore ab illo
Vecta mari occiduo noſtrum pervenit in orbem,
Ex quo lecta manus ſolvens de litore Ibero
Auſa fretum tentare, vagique incognita ponti eſt
Æquora, & orbe alio poſitas perquirere terras?
Illic namque ferunt æterna labe per omnes
Id morbi regnare urbes, paſſimque vagari
Perpetuo cæli vitio, atque ignoſcere paucis.
Commercine igitur cauſſa acceſſiſſe putandum eſt
Delatam contagem ad nos, quæ parva ſub ipſis
Principiis, mox & vires & pabula ſenſim
Suſcipiens, ſe ſe in terras diffuderit omnes?
Ut ſæpe in ſtipulas cecidit quum forte favilla
De face, neglectam paſtor quam liquit in arvo,
Illa quidem tenuis primum, ſimiliſque moranti
Incedit: mox, ut paullatim increvit eundo,
Tollitur, & victrix meſſem populatur & agros,
Vicinumque nemus, flammaſque ſub æthera jactat.
Dat ſonitum longe crepitans Jovis avia ſilva,
Et cælum late circum, campique relucent.
At vero, ſi rite fidem obſervata merentur,
Non ita cenſendum: nec certe credere par eſt
Eſſe peregrinam nobis, tranſque æquora vectam
Contagem: quoniam in primis oſtendere multos
Poſſumus, attactu qui nullius hanc tamen ipſam
Sponte ſua ſenſere luem, primique tulere.
Præterea & tantum terrarum tempore parvo
Contages non una ſimul potuiſſet obire.
Aſpice per Latii populos, quique herbida Sagræ
Paſcua, & Auſonios ſaltus, & Iapygis oræ
Arva colunt: ſpecta, Tyberis qua labitur, & qua
Eridanus centum fluviis comitatus in æquor,
Centum urbes rigat, & placidis interfluit undis:
Uno nonne vides ut tempore peſtis in omnes
Sæviit? ut ſortem pariter tranſegimus unam?
Quinetiam externos eadem per tempora primum
Excepiſſe ferunt: nec eam cognovit Ibera
Gens prius, ignotum quæ ſcindere puppibus æquor
Auſa fuit, quam quos diſterminat alta Pyrene,
Atque freta, atq; Alpes cingunt, Rhenuſq; bicornis:
Quam reliqui, quos lata tenet gelida ora ſub Arcto.
Tempore non alio, Pœni, ſenſiſtis, & omnes
Qui lætam Ægyptum metitis, fœcundaque Nilo
Arva,

Arva, & palmiferæ ſilvas tondetis Idumes.
Quæ quum ſic habeant ſe ſe, nempe altius iſti
Principium labi, rerumque latentior ordo,
[Ni fallor] graviorque ſubeſt, & major origo.
Principio quæque in terris, quæque æthere in alto
Atque mari in magno Natura educit in auras,
Cuncta quidem nec ſorte una, nec legibus iiſdem
Proveniunt, ſed enim, quorum primordia conſtant
E paucis, crebro ac paſſim pars magna creantur:
Rarius aſt alia apparent, & non niſi certis
Temporibuſve, lociſve, quibus violentior ortus,
Et longe ſita principia: ac nonnulla prius, quam
Erumpant tenebris & opaco carcere noctis,
Mille trahunt annos, ſpatioſaque ſecula poſcunt.
Tanta vi coeunt genitalia ſemina in unum.
Ergo & morborum quoniam non omnibus una
Naſcendi eſt ratio, facilis pars maxima viſu eſt,
Et faciles ortus habet, & primordia præſto.
Rarius emergunt alii, & poſt tempore longo
Difficiles cauſſas, & inextricabile fatum,
Et ſero potuere altas ſuperare tenebras.
Sic elephas ſacer Auſoniis incognitus oris,
Sic lichen latuere diu, quibus incola Nili
Gens tantum, regioque omnis vicina laborat.
De genere hoc eſt dira lues, quæ nuper in auras
Exiit, & tandem ſe ſe caligine ab atra
Exemit, duroſque ortus, & vincula rupit.
Quam tamen [æternum quoniam dilabitur ævum]
Non ſemel in terris viſam, ſed ſæpe fuiſſe
Ducendum eſt, quamquam nobis nec nomine nota
Hactenus illa fuit: quoniam longæva vetuſtas
Cuncta ſitu involvens, & res, & nomina delet:
Nec monumenta patrum ſeri videre nepotes.
Oceano tamen in magno ſub Sole cadente,
Qua miſera inventum nuper gens accolit Orbem,
Paſſim oritur, nulliſque locis non cognita vulgo eſt.
Uſque adeo rerum cauſſæ, atque exordia prima
Et cælo variare, & longo tempore poſſunt.
Quodque illic fert ſponte aer, & idonea tellus,
Huc tandem annorum nobis longa attulit ætas.
Cujus ſorte ſuo ſi cunctas ordine cauſſas
Noſſe cupis, magni primum circumſpice mundi
Quantum hoc infecit vitium, quot adiverit urbes.

Quumque animadvertas tam vaſtæ ſemina labis
Eſſe nec in terræ gremio, nec in æquore poſſe,
Haud dubie tecum ſtatuas, reputeſque, neceſſe eſt,
Principium, ſedemque mali conſiſtere in ipſo
Aere, qui terras circum diffunditur omnes,
Qui nobis ſe ſe inſinuat per corpora ubique,
Suetus & has generi viventum immittere peſtes.
Aer quippe pater rerum eſt, & originis auctor.
Idem ſæpe graves morbos mortalibus affert,
Multimode natus tabeſcere corpore molli,
Et facile affectus capere, atque inferre receptos.
Nunc vero, quonam ille modo contagia traxit,
Accipe: quid mutare queant labentia ſecla.
 In primis tum Sol rutilus, tum ſidera cuncta
Tellurem, liquidaſque auras, atque æquora ponti
Immutant, agitantque: utque ipſo ſidera cælo
Mutavere vicem, & ſedes liquere priores,
Sic elementa modis variis ſe grandia vertunt.
Aſpice, ut, hibernus rapidos ubi flexit in Auſtrum
Phœbus equos, noſtrumque videt depreſſior orbem,
Bruma riget, duratque gelu, ſpargitque pruina
Tellurem, & gelida glacie vaga flumina ſiſtit.
Idem, ubi nos Cancro propior ſpectavit ab alto,
Urit agros, arent nemora, & ſitientia prata,
Siccaque pulvereis æſtas ſquallescit in arvis.
Nec dubium, quin & noctis nitor, aurea Luna,
Cui maria alta, omnis cui rerum obtemperat humor:
Quin & Saturni grave ſidus, & æquior orbi
Stella Jovis: quin pulchra Venuſque, & Martius ignis,
Ac reliqua aſtra etiam mutent elementa, trahantq;
Perpetuum, & late magnos dent undique motus:
Præcipue ſedem ſi quando plurima in unam
Convenere, ſuo vel multum devia curſu
Longe alias tenuere vias. hæc ſcilicet annis
Pluribus, & rapidi poſt multa volumina cæli
Eveniunt, Diis fata modis volventibus iſtis.
Ut vero eveniſſe datum eſt, numerumque dieſque
Exegere ſuos, præfixaque tempora fatis,
Proh quanta aerios tractus, ſalſa æquora quanta,
Telluremque manent! alibi quippe omnia late
Cogentur ſpatia in nubes, cælum imbribus omne
Solvetur, ſummiſque voluti montibus amnes
Præcipites ſecum ſilvas, ſecum aſpera ſaxa,

Secū armenta trahent: medius pater impete magno
Aut Padus, aut Ganges ſuper & nemora alta, domoſq;
Turbidus, æquabit pelago freta lata ſonante.
Æſtates alibi magnæ condentur, & ipſæ
Flumina ſpeluncis flebunt arentia Nymphæ.
Aut venti cuncta invertent, aut obice clauſi
Excutient tellurem imam, & cum turribus urbes.
Forſitan & tempus veniet, poſcentibus olim
Natura, fatiſque Deum, quum non modo tellus
Nunc culta, aut obducta mari, aut deſerta jacebit,
Verum etiam Sol ipſe novum [quis credere poſſit?]
Curret iter, ſua nec per tempora diffluet annus.
Aſt inſueti æſtus, inſuetaque frigora mundo
Inſurgent, & certa dies animalia terris
Monſtrabit nova, naſcentur pecudeſque feræque
Sponte ſua, primaque animas ab origine ſument.
Forſitan & majora audens producere tellus
Cœumque, Enceladumq; feret, magnumq; Typhœa,
Auſuros patrio Superos detrudere Cælo,
Convulſumque Oſſan nemoroſo imponere Olympo:
Quæ quum perſpicias, nihil eſt, cur tempore certo
Admirere novis magnum marceſcere morbis
Aera, contageſque novas viventibus ægris
Sidere ſub certo fieri, & per ſecula longa.
Bis centum fluxere anni, quum flammea Marte
Lumina Saturno triſti immiſcente, per omnes
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,
Inſolita exarſit febris, quæ pectore anhelo
Sanguineum ſputum exagitans (miſerabile viſu)
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo.
Illa eadem Aſſyriæ gentes, & Perſidos, & quæ
Euphratem, Tigrimque bibunt, poſt tempore parvo
Corripuit, diteſque Arabas, mollemque Canopum:
Inde Phrygas, inde & miſerum trans æquora vecta
Infecit Latium, atque Europa ſæviit omni.
Ergo age jam mecum, ſemper ſe ſe æthera circum
Volventem, Superumque domos, ardentiaque aſtra
Contemplare, animumq; agitans per cuncta, require,
Quis ſtatus illorum fuerit, quæ ſigna dedere
Sidera, quid noſtris cælum portenderit annis:
Hinc etenim tibi forte novæ contagis origo
Omnis, & eventus tanti via prima pateſcet.
Aſpice, candentes magni qua Cancer Olympi

Excubat ante fores, & brachia pandit aperta.
Hinc diræ facies, hinc ſe diverſa malorum
Oſtendent portenta: una hac ſub parte videbis
Magna coiſſe ſimul radiis ardentibus aſtra,
Et conjuratas ſparſiſſe per aera flammas:
Flammas, quas longe tumulo Sirenis ab alto
Proſpiciens ſenior Vates, quem dia per omnes
Cælicolumque domos duxit, docuitque futura.
Uranie: miſeras, inquit, defendite terras,
O Superi; inſolitam video per inania ferri
Illuviem, & magnos cæli tabeſcere tractus.
Bella etiam Europæ miſeræ, bella impia, & agros
Auſoniæ paſſim currentes ſanguine cerno.
Dixit, & illa etiam ſcriptis ventura notavit.
Mos Superũ eſt, ubi ſecla vagus Sol certa peregit,
Ab Jove decerni fata, & cuncta ordine pandi,
Quæcumque eventura manent terraſque, polumque.
Quod tempus quum jam noſtris venientibus annis
Inſtaret, rerum ſummus ſator, & Superum Rex
Juppiter acciri ſocios in rebus agendis.
Saturnum, Martemque jubet: bipatentia Cancer
Limina portarum reſerat, Diiſque atria pandit.
Conveniunt, quibus eſt fatorum cura gerenda.
Impiger ante alios flammis ferroque coruſcans
Bellipotens Mavors, animis cui prælia & arma,
Vindictæque manent, & ovantes ſanguine cædes.
Poſt placidus curru invectus rex Juppiter aureo
Inſequitur [ni fata obſtent] pater omnibus æquus.
Poſtremus, longaque via tardatus & annis
Falcifer accedit Senior, qui haud immemor iræ
In natum veteris, Nato & parere recuſans,
Sæpe etiam ceſſit retro, & veſtigia torſit,
Multa minans, multumq; animo indignatus iniquo.
Juppiter at ſolio ex alto, quo ſe ſolet uno
Tollere, percenſet fata, & ventura reſolvit,
Multum infelicis miſerans incommoda terræ,
Bellaque, fortunaſque virum, caſuraque rerum
Imperia, & prædas, adapertaque limina morti:
In primis ignota novi contagia morbi:
Morbi, qui humanæ nulla manſueſcat opis vi.
Aſſenſere Dei reliqui: concuſſus Olympus
Intremuit, tactuque novis defluxibus æther.
Paullatim aerii tractus, & inania lata

Acce-

Accepere luem, vacuaſque inſuetus in auras
Marcor iit, cælumque tulit contagia in omne.
Sive quod ardenti tot concurrentibus aſtris
Cum Sole, e pelago multos terraque vapores
Traxerit ignea vis, qui miſti tenuibus auris
Correptique novo vitio, contagia viſu
Perrara attulerint: aliud ſive æthere ab alto
Demiſſum late aerias corruperit oras.
Quamquã animi haud fallor, quid agat. quove ordine cælum,
Dicere, & in cunctis certas perquirere cauſſas
Difficile eſſe: adeo interdum per tempora longa
Effectus trahit, interdum [quod fallere poſſit]
Miſcentur fors, & varii per ſingula caſus.
Nunc age non id te lateat, ſuper omnia miram
Naturam, & longe variam contagibus eſſe.
Solis nam ſæpe arboribus fit noxius aer,
Et tenerum germen, florumque infecit honorem:
Interdum ſegetem, & ſata læta, annique labores
Corripuit, ſcabraque uſſit rubigine culmos,
Et vitiata parens produxit ſemina tellus.
Interdum pœnas animalia ſola dedere,
Aut multa, aut certa ex ipſis. memini ipſe malignã
Luxuriem vidiſſe anni, multoque madentem
Autumnum perflatum Auſtro, quo protinus omne
Caprigenum pecus e cunctis animantibus unum
Corruit. a ſtabulis lætas ad pabula paſtor
Ducebat: tum forte, alta ſecurus in umbra
Dum caneret, tenuique gregem mulceret avena,
Ecce aliquam tuſſis ſubito irrequieta tenebat,
Nec longe via mortis erat: namque acta repente
Circum præcipiti lapſu, revomenſque ſupremam
Ore animam, ſocias inter moribunda cadebat.
Vere autem [dictu mirum] atque æſtate ſequenti
Infirmas pecudes, balantumque horrida vulgus
Peſtis febre mala miſerum pene abſtulit omne.
Uſque adeo varia affecti ſunt ſemina cæli,
Et variæ rerum ſpecies, numeruſque viciſſim
Inter mota ſubeſt, interque moventia certus.
Nonne vides, quamvis oculi ſint pectore anhelo
Expoſiti molleſque magis, non attamen ipſos
Carpere tabem oculos, ſed ſe ſe immergere in imum
Pulmonem? & pomis quamquam ſit mollior uva,
Non tamen iis vitiatur, at ipſa livet ab uva.

Nem-

Nempe alibi vires, alibi ſua pabula deſunt:
Aſt alibi mora certa, nec ipſa foramina multum
Non faciunt, hinc denſa nimis, nimis inde ſoluta.
Ergo contagum quoniam natura genuſque
Tam varium eſt, & multa modis ſunt ſemina miris,
Contemplator & hanc, cujus cæleſtis origo eſt:
Quæ, ſicut deſueta, ita mira erupit in auras.
Illa quidem non muta maris, turbamq; natantum,
Non volucres, non bruta altis errantia ſilvis,
Non armenta boum, pecudeſve, armentave equorũ
Infecit, ſed mente vigens ex omnibus unum
Humanum genus, & noſtros eſt paſta ſub artus.
Porro homine e toto, quod in ipſo ſanguine craſſum
Et ſordens lentore foret, fœdiſſima primum
Corripuit, ſe ſe paſcens uligine pingui.
Tali ſe morbus ratione & ſanguis habebant.
Nunc ego te affectus omnes, & ſigna docebo
Contagis miſeræ: atque utinam concedere tantum
Muſa queat, tantumque velit defendere Apollo,
Tempora qui longa evolvit, cui carmina curæ,
Hæc multas monumenta dies ut noſtra ſuperſint.
Forte etenim noſtros olim legiſſe nepotes,
Et ſigna, & faciem peſtis noviſſe juvabit.
Namq; iterum, quum fata dabunt, labentibus annis
Tempus erit, quum nocte atra ſopita jacebit
Interitu data: mox iterum poſt ſecula longa
Illa eadem exſurget, cælumque auraſque reviſet,
Atque iterum ventura illam mirabitur ætas.
In primis mirum illud erat, quod labe recepta,
Sæpe tamen quater ipſa ſuum compleverat orbem
Luna prius, quam ſigna ſatis manifeſta darentur.
Scilicet extemplo non ſe ſe prodit aperte,
Ut ſemel eſt excepta intus, ſed tempore certo
Delitet, & ſenſim vires per pabula captat.
Interea tamen inſolito torpore gravati,
Sponteque languentes animis & munera obibant
Ægrius, & toto ſegnes ſe corpore agebant.
Ille etiam ſuus ex oculis vigor, & ſuus ore
Dejectus color haud læta de fronte cadebat.
Paullatim caries fœdis enata pudendis
Hinc atque hinc invicta locos, aut inguen edebat.
Tum manifeſta magis vitii ſe prodere ſigna.
Nam, ſimulac puræ fugiens lux alma diei

Ceſſe-

Ceſſerat, & noctis triſtes induxerat umbras,
Innatuſque calor noctu petere intima ſuetus
Liquerat extremum corpus, nec membra fovebat
Obſita mole pigra humorum, tum vellier artus,
Brachiaque, ſcapulæque gravi, ſuræque dolore.
Quippe, ubi per cunctas ierant contagia venas,
Humoreſque ipſos, & nutrimenta futura
Polluerant, Natura malum ſecernere ſueta.
Infectam partem pellebat corpore ab omni
Exterius: verum craſſo quia corpore tarda
Hæc erat, & lentore tenax, multa inter eundum
Hærebat membris exſanguibus, atque lacertis.
Inde graves dabat articulis extenta dolores.
Parte tamen leviore, magiſque erumpere nata,
Summa cutis pulſa, & membrorum extrema petebat.
Protinus informes totum per corpus achores
Rumpebant, faciemque horrendam, & pectora fœde
Turpabant: ſpecies morbi nova: puſtula ſummæ
Glandis ad effigiem, & pituita marcida pingui:
Tempore quæ multo non poſt adaperta dehiſcens,
Mucoſa multum ſanie, taboque fluebat.
Quinetiam erodens alte, & ſe funditus abdens
Corpora paſcebat miſere: nam ſæpius ipſi
Carne ſua exutos artus, ſquallentiaque oſſa
Vidimus, & fœdo roſa ora dehiſcere hiatu,
Ora, atque exiles reddentia guttura voces.
Ut ſæpe aut ceraſis, aut Phyllidis arbore triſti
Vidiſti pinguem ex udis manare liquorem
Corticibus, mox in lentum dureſcere gummi.
Haud ſecus hac ſub labe ſolet per corpora mucor
Diffluere: hinc demum in turpem concreſcere callū.
Unde aliquis ver ætatis, pulchramque juventam
Suſpirans, & membra oculis deformia torvis
Proſpiciens, fœdoſque artus, turgentiaque ora,
Sæpe Deos, ſæpe aſtra miſer crudelia dixit.
Interea dulces ſomnos, noctiſque ſoporem
Omnia per terras animalia feſſa trahebant:
Illis nulla quies aderat, ſopor omnis in auras
Fugerat: iis oriens ingrata Aurora rubebat:
Iis inimica dies, inimicaque noctis imago.
Nulla Ceres illos, Bacchi non ulla juvabant
Munera: non dulces epulæ, non copia rerum,
Non urbis, non ruris opes, non ulla voluptas,

Quam-

Quamvis ſæpe amnes nitidos, jucundaque Tempe,
Et placidas ſummis quæſiſſent montibus auras.
Diis etiam ſparſæque preces, incenſaque templis
Tura, & divitibus decorata altaria donis:
Dii nullas audire preces, doniſve moveri.
Ipſe ego Cænomanum memini qua pinguia dives
Paſcua Sebina præterfluit Ollius unda,
Vidiſſe inſignem JUVENEM, quo clarior alter
Non fuit, Auſonia nec fortunatior omni:
Vix pubeſcentis florebat vere juventæ,
Divitiis, proaviſque potens, & corpore pulchro:
Cui ſtudia aut pernicis equi compeſcere curſum,
Aut galeam induere, & pictis ſplendeſcere in armis,
Aut juvenile gravi corpus durare palæſtra,
Venatuque feras agere, & prævertere cervos:
Illum omnes Ollique Deæ, Eridanique puellæ
Optarunt, nemorumque Deæ, ruriſque puellæ:
Omnes optatos ſuſpiravere hymenæos.
Forſan & ultores Superos neglecta vocavit
Non nequidquā aliqua, & votis pia Numina movit:
Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem
Invaſit miſerum labes, qua ſævior uſquam
Nulla fuit, nulla umquam aliis ſpectabitur annis.
Paullatim ver id nitidum, flos ille juventæ
Diſperiit, vis illa animi: tum ſquallida tabes
Artus [horrendum] miſeros obduxit: & altè
Grandia turgebant fœdis abſceſſibus oſſa.
Ulcera [proh Divum pietatem] informia pulchros
Paſcebant oculos, & diæ lucis amorem,
Paſcebantque acri corroſas vulnere nares.
Quo tandem infelix fato, poſt tempore parvo
Ætheris inviſas auras, lucemque reliquit.
Illum Alpes vicinæ, illum vaga flumina flerunt:
Illum omnes Ollique Deæ, Eridanique puellæ
Fleverunt, nemorumque Deæ, ruriſque puellæ:
Sebinuſque alto gemitum lacus edidit amne.
Ergo hanc per miſeras terras Saturnus agebat
Peſtem atrox, nec ſæva minus crudelis & ipſe
Miſcebat Mavors, conjunctaque fata ferebat.
Quippe lue hac naſcente, putem ſimul omnia diras
Eumenidas ceciniſſe fera & crudelia nobis.
Tartareos etiam barathro dira omnia ab imo
Exciviſſe lacus, Stygiaque ab ſede laborem,

Pe-

Peſtemq;, horribilemq; famẽ, bellumq;, necemq;.
Dii patrii, quorum Auſonia eſt ſub numine, tuque
Tu Latii, Saturne, pater, quid gens tua tantum
Eſt merita? an quidquam ſupereſt diriq; graviſque,
Quod ſit inexhauſtum nobis? ecquod genus uſquam
Averſum uſque adeo cælum tulit? ipſa labores,
Parthenope, dic prima tuos, dic funera regum,
Et ſpolia, & prædas; captivaque colla tuorum.
An ſtragem infandam memorẽ, ſparſumq; cruorem
Gallorumque, Italumque pari diſcrimine, quum jam
Sanguineũ, & defuncta virum, defunctaq; equorum
Corpora volventem, criſtaſque atque arma trahentẽ
Eridanus pater acciperet rapido agmine Tarrum?
Te quoq; ſpumantem, & noſtrorũ cæde tumentem,
Abdua, non multo poſt tempore, te pater idem
Eridanus gremio infelix ſuſcepit, & altum
Indoluit tecum, & fluvio ſolatus amico eſt.
Auſonia infelix, en quo diſcordia priſcam
Virtutem, & mundi imperium perduxit avitum.
Angulus anne tui eſt aliquis, qui barbara non ſit
Servitia, & prædas, & triſtia funera paſſus?
Dicite vos, nullos ſoliti ſentire tumultus,
Vitiferi colles, qua flumine pulcher amœno
Erethenus fluit, & plenis lapſurus in æquor
Cornibus, Euganeis properat ſe jungere lymphis.
O patria, o longum felix, longumque quieta
Ante alias, patria o Divum ſanctiſſima tellus,
Dives opum, fœcunda viris, lætiſſima campis
Uberibus, rapidoque Atheſi, & Benacide lympha;
Ærumnas memorare tuas, ſummamque malorum
Quis queat? & dictis noſtros æquare dolores,
Et turpes ignominias, & barbara juſſa?
Abde caput, Benace, tuo & te conde ſub amne,
Victrices nec jam Deus interlabere lauros.
En etiam, ceu nos agerent crudelia nulla,
Nec lacrimæ planctuſve forent, en dura tot inter.
Spes Latii, ſpes & ſtudiorum, & Palladis illa
Occidit: ereptum Muſarum e dulcibus ulnis
Te miſerum ante diem crudeli funere, MARCE
ANTONI, ætatis primo ſub flore cadentem
Vidimus extrema poſitum Benacide ripa,
Quam media inter ſaxa ſonans Sarca abluit unda:
Te ripæ flevere Atheſis, te voce vocare
Au-

Auditæ per noctem umbræ maneſque Catulli ,
Et patrios mulcere nova dulcedine lucos .
Tempeſtate illa Auſoniam Rex Gallus opimam
Vertebat bello , & Ligurem ditione premebat .
Parte alia , Cæſar ferro ſuperabat & igni
Euganeos , placidumque Silim, Carnumq; rebellē :
Et totum luctus Latium , mœrorque tenebat .

DE MORBO GALLICO

LIBER II.

NUnc age, quæ vitæ ratio, quæ cura adhibenda
Perniciē adverſus tantam, quid tempore quoq;
Conveniat [noſtri quæ pars eſt altera cœpti]
Expediam , & miranda hominum comperta docebo .
Quippe nova quum re attoniti, multa irrita primum
Tentaſſent, tamen anguſtis ſolertia major
In rebus , creſcenſque uſu experientia longo
Evicere : datumque homini protendere longe
Auxilia , & certis peſtem compeſcere vinclis ,
Victorem & ſe ſe claras attollere in auras .
Credo equidem & quædam nobis divinitus eſſe
Inventa , ignaros fatis ducentibus ipſis .
Nam , quamquam fera tempeſtas , & iniqua fuerunt
Sidera , non tamen omnino præſentia Divum
Abfuit a nobis, placidi & clementia cæli .
Si morbum inſolitum , ſi dura & triſtia bella
Vidimus , & ſparſos dominorum cæde penates ,
Oppidaque , incenſaſque urbes , ſubverſaque regna ,
Et templa , & raptis temerata altaria ſacris :
Flumina dejectas ſi perrumpentia ripas
Evertere ſata , & mediis nemora eruta in undis ,
Et pecora , & domini , correptaque rura natarunt :
Obſeditque inimica ipſas penuria terras :
Hæc eadem tamen, hæc ætas (quod fata negarunt
Antiquis) totum potuit ſulcare carinis
Id pelagi , immenſum quod circuit Amphitrite .
Nec viſum ſatis , extremo ex Atlante repoſtos
Heſperidum penetrare ſinus , Praſſumque ſub Arcto
Inſpectare alia , præruptaque litora Rhapti ,
Atq; Arabo advehere, & Carmano ex æquore merces :
Au-

Auroræ ſed itum in populos Titanidis uſque eſt
Supra Indum, Gangemque ſupra, qua terminus olim
Catygare noti Orbis erat: ſuperata Cyambe,
Et dites ebenò, & felices macere ſilvæ.
Denique & a noſtro diverſum gentibus Orbem,
Diverſum cælo, & clarum majoribus aſtris.
Remigio audaci attigimus, ducentibus & Diis.
Vidimus & Vatem egregium, cui pulchra canenti
Parthenope, placiduſque cavo Sebethus ab antro
Plauſerunt, umbræque ſacri maneſque Maronis;
Qui magnos ſtellarum orbes cantavit, & hortos
Heſperidum, cælique omnes variabilis oras.
Te vero ut taceam, atque alios, quos fama futura
Poſt mutos cineres, quos & venientia ſecla
Antiquis conferre volent, at, BEMBE, tacendus
Inter dona Deum nobis data non erit umquam
Magnanimus LEO, quo Latium,quo maxima Roma
Attollit caput alta, paterque ex aggere Tybris
Aſſurgit, Romæque fremens gratatur ovanti.
Cujus ab auſpiciis jam nunc mala ſidera mundo
Ceſſere, & læto regnat jam Juppiter orbe,
Puraque pacatum diffundit lumina cælum.
Unus, qui ærumnas poſt tot, longoſque labores
Dulcia jam profugas revocavit ad otia Muſas,
Et leges Latio antiquas, rectumque piumque
Reſtituit: qui juſta animo jam concipit arma
Pro re Romana, pro religione Deorum.
Unde etiam Euphrates, etiam late oſtia Nili,
Et tantum Euxini nomen tremit unda refuſi,
Atque Ægæa ſuos confugit Doris in Iſthmos.
Ergo, alii dum tanta canent, dumque illius acta
Inclyta component, dum forte accingeris & tu
Condere, & æternis victurum intexere chartis,
Nos, quos fata vocant haud tanta ad munera, luſus
Inceptos, quantum tenuis fert Muſa, ſequamur.
Principio, quoniam affecti non ſanguinis una
Eſt ratio, tibi ſit morbo ſpes major in illo,
Sanguine qui inſedit puro: verum, quibus atra
Bile tument, ſpiſſoque reſultant ſanguine venæ,
Major in iis labor eſt, peſtiſque tenacius hæret.
Quare opere pretium eſt validis atque acribus uti
Omnibus hos contra, miſeris nec parcere membris
Quinetiam meliora ſibi promittere cuncta

Ille

Ille poteſt, qui principiis noviſſe ſub ipſis
Serpentem tacite valuit per viſcera labem.
Namque, ubi paſta diu, vires per pabula longa
Auxerit, & jam ſe vitium firmaverit intra,
Heu quanto tibi libertas ſperanda labore eſt!
Ergo omnem impendes operam te opponere parvis
Principiis, memoriq; animo hæc præcepta reconde.
In primis ego non omni te aſſueſcere cælo
Exhorter: fuge, perpetuo quod flatur ab Auſtro,
Quod cæno, immundæque grave eſt ſudore paludis.
Protenti potius campi mihi liber & agri
Tractus, & apricis placeant in collibus auræ,
Et molles Zephyri, pulſuſque Aquilonibus aer:
Hic (jubeo) tibi nulla quies, nulla otia ſunto.
Rumpe moras, agita aſſiduis venatibus apros
Impiger, aſſiduis agita venatibus urſos.
Nec tibi ſit labor aerii curſu ardua montis
Vincenti, rapidum in valles deflectere cervum,
Et longa luſtrare altos indagine ſaltus.
Vidi ego ſæpe, malum qui jam ſudoribus omne
Finiſſet, ſilviſque luem liquiſſet in altis.
Sed nec turpe puta dextram ſummittere aratro,
Et longum trahere incurvo ſub vomere ſulcum:
Neve bidente ſolum, & duras proſcindere glebas,
Et valida aeriam quercum exturbare bipenni,
Atque imis altam eruere ab radicibus ornum.
Quinetiam, exercere domi quo te quoque poſſis,
Parvam mane pilam verſa mihi, veſpere verſa.
Et ſaltu, & dura potes exſudare palæſtra.
Vince malum: nec te fallat, quod deſidis otii
Aſſidue deſiderium, lectique ſequetur.
Tu lecto ne crede, gravi ne crede ſopori:
His alitur vitium, & placidæ ſub imagine pacis
Decipit, e dulcique trahit fomenta quiete.
Necnon interea effugito, quæ triſtia mentem
Sollicitant: procul eſſe jube curaſque, metumque
Pallentem, ultriceſque iras, omnemque Minervæ
Addictum ſtudiis animum: ſed carmina, ſed te
Delectent juvenumque chori, mixtæque puellæ.
Parce tamen Veneri, molleſque ante omnia vita
Concubitus; nihil eſt nocuum magis: odit & ipſa
Pulchra Venus, teneræ contagem odere puellæ.
Quod ſequitur, victus ratio tibi maxima habenda
eſt; Nec

Nec ſit cura tibi, neve obſervantia major.
Principio, quoſcumque amnes, quoſcumq; paludes,
Quoſq; lacus liquidi paſcunt, quoſq; æquora, piſces.
Omne genus procul amoveo. ſunt, quos tamen uſus
Liberius, quum res cogit, concedere poſſit.
Omnibus his eſt alba caro, non dura, tenaxque,
Quos petræ, & fluviorum adverſa mariſque fatigant:
Tales nant pelago phycides, rutilæque per undas
Auratæ, gobiique, & amantes ſaxea percæ.
Talis dulcifluum fluviorum ſcarus ad ōra
Solus ſaxa inter depaſtas ruminat herbas. [tis
Sed neque, quæ ſtagnis volucres, quæq; amnibus al-
Degere amant, liquidiſq; cibum perquirere in undis,
Laudarim: tibi pinguis anas, tibi crudior anſer.
Vitetur, potiuſque vigil Capitolia ſervet:
Viteturque gravi conturnix tarda ſagina.
Tu teneros lactes, tu pandæ abdomina porcæ,
Porcæ heu terga fuge, & lumbis ne veſcere aprinis,
Venatu quamvis toties confeceris apros.
Quin neque te crudus cucumis, non tubera captent,
Neve famem cinara, bulbiſve ſalacibus exple.
Non placeat mihi lactis amor, non uſus aceti,
Non fumoſa mero ſpumantia pocula Bacco,
Qualia Cyrnæi colles, campique Falerni,
Et Pucinus ager mittunt: aut qualia noſtris
Rhetica dat parvo de collibus uva racemo.
Nempe Sabina magis placeant, dilutaque tellus
Quæ tulit, & multo domuerunt Najades amne.
At, tibi ſi ex horto victus, menſaque Deorum
Sunt animo, atque olerū ſimplex & inemta voluptas,
Non mentæ virides, non læta ſiſymbria deſunt,
Intibaque, & toto florentes frigore ſonchi,
Et ſia fontanis ſemper gaudentia rivis,
Et thymbræ ſuaves, & odoriferæ calaminthæ:
Læta meliphylla, & riguo bugloſſus ab horto
Carpantur, pleniſque ferax erucula palmis,
Atque olus, atque rumex, & ſalſi gramina chrithmi.
Ipſa lupum dumeta ferent: hinc collige primos
Aſparagos, albæ aſparagos hinc collige vitis,
Quum nondum explicuit ramos, umbracula nondū
Texuit, & virides juſſit pendere corymbos.
Singula ſed longum eſt, nec percenſere neceſſe,
Jamque aliud vocor ad munus; juvat in nova Muſas
Na-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Naturæ nemora Aoniis deducere ab umbris:
Unde mihi ſi non e lauro intexere fronti
Serta volent, tantaque caput cinxiſſe corona,
At ſaltem obſervata hominum tot millia, dignum
Cenſuerint querna redimiri tempora fronde.
Vere novo, ſi quem morbus tenet, aut & in ipſo
Autumno, ſi firma ætas, ſi ſanguis abundat,
Regalem, mediamve lacerti incidere venam
Proderit, atque extra fœdatum haurire cruorem:
Præterea, quocumque habeat te tempore peſtis,
Corruptum humorem, & contagem educere turpem
Ne pigeat, facilique luem deponere ab alvo.
Ante tamen ducenda para, concreta reſolve,
Et craſſa attenua, & lentore tenacia frange.
Ergo Coryciumque thymum ſit cura, thymumque
Pamphylium, thymbræ ſimilis qui durior exit,
Prima tibi coxiſſe, lupique volubile gramen,
Fœniculumque, apiumque, & amari germina capni.
His polyporum hirtos imitata filicula cirros
Additur, & lymphis tangi renuens adiantus:
His ſterile aſplenum, his pictam phyllitida junge.
Quorum ubi decoctum per multis ante diebus
Ebiberis, cruduinque humorem incoxeris omnem,
Tum ſcilla medicare acri, & colocynthide amara,
Helleboroque gravi, necnon quæ in litore ſurgens,
Qua ludit maris unda, ter evariata colorem,
Ter flores mutata die, rem nomine ſignat,
Herba potens radice, ſuum cui zinziber adde:
Adde etiam anguineſi cucumin, Nabathæaque tura,
Myrrhamque, bdelamque, hammoniacique liquorē,
Et lacrimam panaceam, & dulci Colchica bulbo.
His actis, ſi forte tibi frigentia corda,
Et molles animi fuerint, nec acerba placebit
In primis tentare, brevique exſtinguere peſtem,
Sed placidis agere, & per tempora lenibus uti,
Tum ſupereſt tibi cura animum ad fomenta relicta
Vertere, contagiſque ad tenuia ſemina cæcæ,
Illa quidem conſueta modis inſerpere miris.
Profuerint igitur, quæque exſiccantia, quæque
Marcori reſinoſa ſoleat obſiſtere putri.
Tales ſunt myrrhæ lacrimæ, ſunt talia tura,
Cedruſque, aſpalathuſque, immortaliſque cupreſſus,
Et bene cum calamo ſpirans redolente cyperus.
Ergo

Ergo nec deſint caſiæ, nec deſit amomum,
Macerve, agallochumve tibi, nec cinnama odora.
Eſt etiam in pratis illud, juxtaque paludes
Scordion, omnigenis quod tantum obſtare venenis,
Contagique ſolet, parvo quærenda labore
Herba tibi: viret ipſa comis imitata chamædrym,
Flore rubens, referenſque alli cum voce ſaporem.
Aurora naſcente hujus frondemque comantem
Radiceſque coque, atque hauſtu te prolue largo.
Sed neque carminibus neglecta ſilebere noſtris,
Heſperidum decus, & Medarum gloria, citre,
Silvarum: ſi forte ſacris cantata Poetis
Parte quoque hac medicā non dedignabere Muſam.
Sic tibi ſit ſemper viridis coma, ſemper opaca,
Semper flore novo redolens: ſis ſemper onuſta
Per viridem pomis ſilvam pendentibus aureis.
Ergo, ubi nitendum eſt cæcis te opponere morbi
Seminibus, vi mira arbor Citthereia præſtat.
Quippe illam Citherea, ſuum dum plorat Adonim,
Munere donavit multo, & virtutibus auxit.
Quorundā inventū eſt, vitrei intra concava vaſis,
Cui collum oblongum eſt, venter turgeſcit in orbem,
Aut hederæ folia, aut Ida mittente maniplos
Dictamni, Illyricamve irim, rhamnive nigrantem
Radicem, aut inulas coquere: in ſublime ſolutus
Effertur vapor, & tenuis vacua omnia complet.
Aſt, ubi frigenti occurſavit ab aere vitro,
Cogitur, & rorem liquidus denſatur in udum,
Decurritque vagis per aperta canalia rivis.
Deſtillantis aquæ cyathum ſub lumina prima
Luciferi potare jubent, ſtratiſque parare
Sudorem, nec certe ab re: vis utilis olli eſt,
Relliquias morbi tenues diſpergere in auras.
Interea, ſi membra dolor convulſa malignus
Torqueat, œſypo propera lenire dolorem,
Maſtichinoque oleo: lentum quibus anſeris unguen,
Emulſumque potes lini de ſemine mucum,
Narciſſumque, inulamque, liquentiaque addere mella,
Coryciumque crocum, & vilem componere amurcā.
At, fauces atque ora malus ſi eroſerit herpes,
Tange nitro, & viridi medicata ærugine lympha
Semina inure mala, & ſerpentem interfice peſtem.

Ve-

Ilcea labe gravem tanta, dum molle cyperum,
Et caſiam, & ſilvam late fragrantis amomi
Irrigat, hæc oraſſe Deos, & talia fatum:
Dii, quos ipſe diu colui, tuque optima triſtes,
Callirhoe, quæ ſancta ſoles depellere morbos,
Cui nuper ramoſa ferens ego cornua cervi
Aeria victor fixi capita horrida quercu:
Dii, qui crudelem miſero ſi tollere peſtem
Hanc dabitis, quæ me affligat noctesque dieſque,
Ipſe ego purpureas, ipſe albas veris & horti
Primitias, vobis violas, ego lilia vobis
Alba legam, primaſque roſas, primoſque hyacinthos,
Veſtraque odoratis onerabo altaria ſertis.
Gramen erat juxta viridans. Sic fatus, ut æſtu
Feſſus erat, viridi deſedit graminis herba.
Hic Dea, vicino quæ ſe ſe fonte lavabat,
Callirhoe liquido ex antro per lubrica muſco
Saxa fluens, juveni dulci blandita ſuſurro,
Lethæum immiſit ſomnum, ſparſitque ſopore
Graminea in ripa, & ſalicum nemus inter opacum:
Atque illi viſa eſt ſacro ſe flumine tollens
In ſomnis coram eſſe, pia & ſic voce locuta:
Ilceu, in extremo Diis tandem audite labore,
Cura mei, tibi nulla ſalus, quacumque videt Sol,
Speranda eſt terram magnam ſuper. hoc tibi pœnæ
Dat Trivia, & precibus Triviæ exoratus Apollo,
Ob ſacrum jaculo percuſſum ad flumina cervum,
Et noſtris affixa tibi capita horrida truncis.
Nam, poſtquam illa feram exanimẽ per gramina vidit
Abſciſſo capite, & ſacro ſparſa arva cruore,
Omnibus ingemuit ſilvis, dirumque precata eſt
Auctori. oranti Latous tanta Sorori
Affuit, & peſtem miſero immiſere nefandam
Durus uterque tibi: quin & quacumque videt Sol,
Interdixit opem: quare tellure ſub ima,
Si qua ſalus ſupereſt, cæca ſub nocte petenda eſt.
Eſt ſpecus arboribus tectum, atq; horrore verendum
Vicina ſub rupe, Jovis qua plurima ſilva
Accubat, & raucum reddit coma cedria murmur.
Huc, ubi ſe primis Aurora emittet ab undis,
Ire para, & nigrantem ipſis in faucibus agnam
Mactato ſupplex, atque, Ops tibi maxima, dic, hanc,
Dic, ferio. nigram tum Noctem, umbraſque ſilentes,

Umbrarumque Deos, ignotaque numina Nymphas
Et thya venerare, atræ & nidore cupreſſi.
Hic tibi narranti cauſſam, auxiliumque vocanti
Haud aberit Dea, quæ cæcæ in penetralia terræ
Deducat te ſancta, & opem tibi ſedula præſtet.
Surge age, nec vani ſpeciem tibi concipe ſomni.
Illa ego ſum, quæ culta vago per pinguia fonte
Dilabor, Dea vicinis tibi cognita ab undis,
Sic ait, & ſe cæruleo cita condidit amne.
Ille autem, ut placidus ceſſit ſopor, omnia lætus
Accipit, & Nimpham precibus veneratur amicam.
O ſequor, o quocumque vocas, pulcherrima fontis
Vicini Dea, Callirhoe. Tum poſtera primum
Exſurgens Aurora, ſuos ubi protulit ortus,
Monſtratum Jovis in ſilva ſub rupibus altis
Antrum ingens petit, & nigrantem tergora primo
Veſtibulo ſiſtit pecudem, magnæque trementem
MactatOpi:ttibiq;inquit,egohāc,ops maxima,macto
Tum Noctem, Noctiſque Deas, ignora precatur
Numina, jamque ſimul thyan, atramque cupreſſum
Urebat, quum vos terræ revoluta cavernis
Longe audita ſacras Nympharum perculit aures:
Nympharum, quibus æra ſolo ſunt condita curæ.
Extemplo commotæ omnes, ac cœpta reponunt,
Sulphureos forte ut latices, & flumina vivi
Argenti, mox unde nitens concreſceret aurum,
Tractabant, gelidoque prementes fonte coquebant.
Centum ignis ſpiſſi radios, centum ætheris uſti,
Bis centum concretorum terræque mariſque
Miſcuerant, noſtros fugentia ſemina viſus.
At Lipare, Lipare, argenti cui ſemina, & auri
Cura data, & ſacrum flammis adolere bitumen:
Continuo obſcuræ latebroſa per avia terræ
Ilcea adit, firmanſque animum ſic incipit ipſa:
Ilceu (namque tuum nec nomen, nec mihi labes
Ignota eſt, nec, quid venias) jam corde timorem
Exue, nequidquam non te huc cariſſima mittit
Callirhoe, tibi parte ſalus tellure ſub ima eſt.
Tolle animos, & me per opaca ſilentia terræ
Inſequere: ipſa adero, & præſenti numine ducam.
Sic ait, & ſe antro gradiens præmittit opaco.
Ille ſubit, magnos terræ miratus hiatus,
Squallenteſque ſitu æterno, & ſine lumine vaſtas
Spe-

Speluncas, terramque meantia flumina ſubter. Ieſt-
Tum Lipare: hoc quodcumq; patet, quã maxima terra
Hunc totum ſine luce globum, loca ſubdita nocti
Dii habitant: imas retinet Proſerpina ſedes.
Flumina ſupremas, quæ ſacris concita ab antris
In mare per latas abeunt reſonantia terras.
In medio dites Nimphæ, genera unde metalli.
Æriſque, argentique, aurique nitentis origo:
Quarum ego nunc ad te miſerans ipſa una Sororum
Advenio, illa ego, quæ venas per montis hiantes,
Callirrhoæ haud ignota tuæ, fumantia mitto
Sulphura. ſic ibant terra & caligine tecti.
Jamque exauditi crepitantes ſulphure flammæ,
Concluſique ignes, ſtridentiaque æra caminis.
Hæc regio eſt late, variis ubi fœta metallis.
Virgo ait, eſt tellus: quorum vos tanta cupido
Exercet, ſuperas cæli qui cernitis auras.
Hæc loca mille Deæ cæcis habitamus in antris.
Nocte Deæ & Tellure ſatæ, queis munera mille.
Mille artes, ſtudium eſt aliis deducere rivos.
Scintillas aliis rimati, & ſparſa per omnem
Semina tellurem flammarum, igniſque coruſci.
Materiam miſcent aliæ, maſſamque coercent
Obicibus, multa & gelidarum inſpergine aquarum.
Non procul eruptis fumantia tecta caminis
Ætnæi Cyclopes habent, verſantque, coquuntque
Vulcano ſtridente, atque æra ſonantia cudunt.
Læva hæc abſtruſum per iter via ducit ad illos.
Dextera ſed ſacri fluvii te ſiſtet ad undam.
Argento fluitantem undam, vivoque metallo,
Unde ſalus ſperanda, & jam aurea tecta ſubibant.
Roranteſque domos ſpodiis, fuligineque atra
Speluncas varie obductas, & ſulphure glauco.
Jamque lacus late undantes, liquidoque fluentes
Argento juxta aſtabant, ripaſque tenebant.
Hic tibi tantorum requies inventa laborum.
Subſequitur Lipare, poſtquam ter flumine vivo
Perfuſus, ſacra vitium omne reliqueris unda.
Sic fatur. ſimul argenti ter fonte ſalubri
Perfundit. ter virgineis dat flumina palmis
Membra ſuper, juvenem toto ter corpore luſtrat
Mirantem exuvias turpes, & labe maligna
Exutos artus. peſtemque ſub amne relictam.

Ergo age, quum primum cæli te purior aer
Accipiet, nitidamque diem, Solemque videbis,
Sacra para, & caſtam ſupplex venerare Dianam,
Indigenaſque Deos, & Numina fontis amici.
Sic Virgo, & juvenem tanto pro munere grates
Sol ventem e nocte ætherias educit in oras,
Dimittitque alacrem, atque optata in lumina reddit.
Accepit nova fama fidem, populoſque per omnes
Prodiit haud fallax me licamen: cœptaque primum
Miſceri argento fluitanti axungia porcæ.
Mox etiam Oriciæ ſimul adjuncta eſt terebinthi,
Et laricis reſina aeriæ. ſunt, qui unguen equinum
Urſinumve adhibent, bdelæ, cedrique liquorem.
Nonnulli & myrrhæ guttas, & maſcula tura
Adjiciunt, miniumque rubens, & ſulphura viva.
Haud vero mihi diſpliceat, componere ſi quem
Trita melampodia, atque arentem juverit irim,
Galbanaque, & laſſer grave olens, oleumque ſalubre
Lentiſci, atque oleum haud experti ſulphuris ignem.
His igitur totum oblinere, atque obducere corpus
Ne obſcœnum, ne turpe puta: per talia morbus
Tollitur, & nihil eſſe poteſt obſcœnius ipſo.
Parce tamen capiti, & præcordia mollia vita.
Tum ſuper, & vittas aſtringe, & ſtuppea necte
Vellera: deiu ſtratis tegmento imponere multo,
Dum ſudes, fœdæque fluant per corpora guttæ.
Hæc tibi bis quinis ſatis eſt iteraſſe diebus.
Durum erit: at, quidquid tulerit res ipſa, ferendũ eſt.
Aude animis, tibi certa ſalus ſtans limine in ipſo
Signa dabit: liquefacta mali excrementa videbis
Aſſidue ſputo immundo fluitare per ora,
Et largum ante pedes tabi mirabere flumen.
Ora tamen fœda erodent ulcuſcula: ſed tu
Lacte fove, & cocto cytini, viridiſque liguſtri.
Tempore non alio generoſi pocula Bacchi
Annuerim ſumenda tibi, parumque Falernum,
Et Chia, & pateris ſpumantia Rhetica largis.
Sed jam age vicinæ victor gratare ſaluti:
Ultima adeſt tibi cura, eadem & placidiſſima, corpus
Abluere, & luſtrare artus, ac membra piare
Stœchade, amaracinique comis, & rore marino,
Verbenaque ſacra, & bene olentibus heracleis.

D E

DE MORBO GALLICO
LIBER III.

Sed jam me nemora alterius felicia Mundi,
Externique vocant ſaltus: longe aſſonat æquor
Herculeas ultra metas, & littora longe
Applaudunt ſemota. mihi nunc magna Deorum
Munera, & ignoto deveƈta ex Orbe canenda
Sanƈta arbos, quæ ſola modum requiemque dolori,
Et finem dedit ærumnis. age, Diva, beatum,
Uranie, venerare nemus, crineſque revinƈtam
Fronde nova, juvet in medica procedere palla
Per Latium, & ſanƈtos populis oſtendere ramos:
Et juvet haud umquam noſtrorum ætate parentum
Viſa prius, nullive umquam memorata referre.
Unde aliquis forſan novitatis imagine mira
Captus, & heroas, & grandia dicere faƈta
Aſſuetus, canat auſpiciis majoribus auſas
Oceani intaƈti tentare pericula puppes.
Necnon & terras varias, & flumina, & urbes,
Et varias memoret gentes, & monſtra reperta:
Dimenſaſque plagas, altoque orientia cælo
Sidera, & inſignem ſtellis majoribus Arƈton.
Nec taceat nova bella, omnemque illata per Orbem
Signa novum, & poſitas leges, & nomina noſtra.
Et canat [auditum quod vix venientia credant
Secula] quodcumque Oceani compleƈtitur æquor
Ingens, omne una obitum menſumque carina.
Felix, cui tantum dederit Deus. at mihi vires
Arboris unius ſatis eſt, uſumque referre:
Et quo inventa modo fuerit, noſtraſque ſub auras
Advena per tantum pelagi pervenerit æquor.
Oceano in magno, ardenti ſub ſidere Cancri,
Sol ubi ſe nobis media jam noƈte recondit,
Hac ignota tenus, traƈtu jacet inſula longo:
Hiſpanam gens inventrix cognomine dixit:
Auri terra feras: ſed longe ditior una
Arbore: voce vocant patrii ſermonis Hyacum.
Ipſa teres, ingenſque, ingentem vertice ab alto
Diffundit ſemper viridem, ſemperque comantem
Arbuteis ſilvam foliis: nux parva, ſed acris
Dependet ramis, & plurima frondibus hæret.
Materia indomita eſt, duro & pene æmula ferro

Large eat, & calido ſudorem e corpore ducat.
Interea vacuas peſtis vaneſcit in auras.
Et (dictu mirum] apparet jam puſtula nulla:
Jamque nomæ ceſſere omnes, jam fortia liquit
Membra dolor, primoque redit cum flore juventa:
Et jam Luna ſuum remeans nova circuit orbem.
Quis Deus hos illis populis monſtraverit uſus:
Qui demum & nobis caſus, aut fata tulere
Hos ipſos: unde & ſacræ data copia ſilvæ,
Nunc referam. Miſſæ quæſitum abſcondita Nerei
Æquora, in occaſum, Soliſque cubilia, pinus
Littoribus longe patriis, Calpeque relictis,
Ibant Oceano in magno, pontumque ſecabant.
Ignaræque viæ, & longis erroribus actæ.
Quas circum innumeræ properantes gurgite ab omni
Ignoti nova monſtra maris Nereides udæ
Adnabant. celſas miratæ currere puppes,
Salſa ſuper pictis volitantes æquora velis.
Nox erat, & puro fulgebat ab æthere Luna,
Lumina diffundens tremuli per marmora ponti,
Magnanimus quum tanta heros ad munera fatis
Delectus, dux errantis per cærula claſſis,
Luna, ait, o, pelagi cui regna hæc umida parent,
Quæ bis ab aurata curvaſti cornua fronte,
Curva bis expleſti, nobis errantibus ex quo
Non ulla apparet tellus, da littora tandem
Aſpicere, & dudum ſperatos tangere portus,
Noctis honos, cælique decus, Latonia Virgo.
Audiit orantem Phœbe, delapſaque ab alto
Æthere, ſe in faciem mutat, Nereia quali
Cymothoe, Clothoque natant, juxtaque carinam
Aſtitit, & ſummo pariter nans æquore fatur:
Ne noſtræ dubitate rates: lux craſtina terras
Oſtendet, fidoque dabit ſuccedere portu.
Sed vos littoribus primis ne inſiſtite: dudum
Ultra fata vocant: medio magna inſula ponto
Eſt Ophyre: huc iter eſt vobis, hic debita ſedes
Imperiique caput. ſimul hæc effata, carinam
Impulit: illa levi cita diſſecat æquora curſu.
Aſpirant faciles auræ, & jam clarus ab undis
Surgebat Titan, humiles quum ſurgere colles
Umbroſi procul, & propior jam terra videri
Incipit. acclamant nautæ, terramque ſalutant,

Terram exoptatam, tum portu & littore amice
Excepti, Diis vota piis in littore ſolvunt.
Quaſſataſque rates, defeſſaque corpora curant.
Inde, ubi quarta dies pelago, crepitanſque vocavit
Vela Notus, remis inſurgitur, altaque rurſum
Corripiunt maria, & læti freta cærula ſulcant.
Linquitur incerto fluitans Anthylia ponto,
Atque Hagia,atq;alta Animerie,exſecrataque tellus
Cannibalum, & ripa Gyane nemoroſa virenti.
Protinus innumeræ panduntur turribus altis
Inſulæ Oceano in vaſto, quas inter opacis
Undantem ſilvis unam, curſuque ſonantem
Fluminis aſpiciunt, magno qui ſpumeus alveo
In mare fulgentes auro ſubvectat arenas.
Hujus in ora placet pronas appellere puppes.
Invitant nemora, & dulces e flumine lymphæ.
Jamque ſolo viridante alacres, ripaque potiti
In primis Terram ignotam, Nymphaſque ſalutant
Indigenas, Geniumque loci, teque, aurifer Amnis,
Quiſquis in ora maris nitida per laberis unda.
Tum duram Cererem, & patrii carcheſia Bacchi
Aggere in herboſo expediunt: dein quærere, ſi qui
Mortales habitent: pars fulvam fluminis undam
Mirari, mixtamque auro diſquirere arenam.
Forte per umbroſos ſilvarum plurima ramos
Aſſidue volitabat avis, quæ picta nitentes
Cæruleo pennas, roſtro variata rubenti
Ibat nativo ſecura per avia luco.
Has juvenum manus ut ſilvas videre per altas,
Continuo cava terrificis horrentia bombis
Aera, & flammiferum tormenta imitantia fulmen
Corripiunt, Vulcane, tuum, dum Theutonas armas,
Inventum, dum tela Jovis mortalibus affers.
Nec mora, ſignantes certam ſibi quiſque volucrem,
Incluſam, ſalicum cineres, ſulphurque, nitrumque,
Materiam accendunt ſervata in reſte ſavilla.
Fomite correpto diffuſa repente furit vis
Ignea circumſepta, ſimulque cita obice rupto
Intruſam impellit glandem: volat illa per auras
Stridula: & exanimes paſſim per prata jacebant
Dejectæ volucres: magno micat ignibus aer
Cum tonitru, quo ſilva omnis, ripequæ recurvæ,
Et percuſſa imo ſonuerunt æquora fundo.

Pars

Pars avium nemus in denſum conterrita, & altos
Se recipit ſcopulos: quorum de vertice ſummo
Horrendum una canit [dictu mirabile] & aures
Terrificis implet dictis, ac talibus infit:
Qui Solis violatis aves, ſacraſque volantes,
Heſperii, nunc vos, quæ magnus cantat Apollo,
Accipite, & noſtro vobis quæ nuntiat ore.
Vos, quamquam ignari, longum quæſita, ſecundis
Tandem parta Ophyræ tetigiſtis littora ventis.
Sed non ante novas dabitur ſummittere terras,
Et longa populos in libertate quietos,
Molirique urbes, rituſque ac ſacra novare,
Quam vos infandos pelagi terræque labores
Perpeſſi, diverſa hominum poſt prælia, multi
Mortua in externa tumuletis corpora terra.
Navibus amiſſis pauci patria arva petetis,
Fruſtra alii ſocios quæretis magna remenſi
Æquora: nec noſtro deerunt Cyclopes in Orbe.
Ipſa inter ſe ſe veſtras Diſcordia puppes
In rabiem ferrumque trahet: nec ſera manet vos
Illa dies, fœdi ignoto quum corpora morbo
Auxilium ſilva miſeri poſcetis ab iſta,
Donec pœniteat ſcelerum. nec plura loquuta
Horrendum ſtridens denſis ſe ſe abdidit umbris.
Ollis oſſa rigor ſubitus percurrit, & omnis
Palluit, ac gelida fugit formidine ſanguis.
Tum vero ſacras volucres, Divoſque precati,
In primis Solem, & ſanctum ſervantia lucum
Nummina ſupplicibus venerantur agreſtia votis:
Pacem orant, rorſumq; Ophyren, fluviumq; ſalutant.
Interea e ſilvis nigrum genus ora comaſque,
Ad naves nova turba virum concurrit inermis,
Pectora nudi omnes, evincti frondibus omnes
Paciferis: tanta qui celſas mole carinas
Mirati, veſteſque virum, fulgentiaque arma,
Vix ſatis expleri poſſunt: & ab æthere miſſi
Sive homines, ſive heroes ſint, ſive Deorum
Numina, adorantum ritu, precibuſque ſalutant:
Ante alios ipſum regem; cui munera læta,
E ripis collectum aurum, & cerealia dona,
Et patrios fructus, & mella liquentia portant.
Veſtibus ipſi etiam noſtris, & munere multo
Donati, exceptique mero nova gaudia miſcent.

Non aliter, quam ſi menſis dapibuſque Deorum
Mortalis quiſquam adſcitus, felixque futurus,
Hauriat æternum, cæleſtia pocula, nectar.
Ergo, ubi amicitiæ ſecuros fœdere utrimque
Firmavere animos, habita & commercia gentis.
Ipſi inter ſe ſe reges in littore læti
Complexu jungunt dextras, & fœdera firmant.
Alter goſſipio tenui pectuſque femurque
Præcinctus, viridi limbum pingente ſmaragdo,
Ora niger: jaculo armatur cui dextera acuto,
Squamoſi ſpolium ſuſtentat læva draconis.
Alter at intexto lænam circumdatus auro,
Quam ſubter rutila arma micant, capiti ærea caſſis
Inſidet, & pictæ volitant in vertice criſtæ:
Fulgenti ex auro torques cui candida colla
Cingunt, atque enſis lateri dependet Iberus.
Et jam commixti populi, hoſpitioque recepti,
Hi tectis domibuſque, altis in navibus illi,
Lætitia ludiſque dies per pocula ducunt.
Forte loco lux feſta aderat, Solique parabant
Ultori facere umbroſo ſacra annua luco.
Heſperiæque, Ophyræque manus convenerat omnis.
Hic convalle cava, ripæ viridantis in herba,
Selectorum ingens numerus, matreſque virique
Confuſi, plebs atque patres, puerique ſeneſque
Aſtabant, animis triſtes, & corpora fœdi,
Squallentes cruſtis omnes, taboque fluentes:
Quos circumfuſos albenti in veſte ſacerdos
Pura luſtrat aqua, & ramo frondentis Hyaci.
Tum niveum ante aras cædit de more juvencum,
Et juxta poſitum paſtorem ſanguine cæſi
Reſpergit, pateraque rigat: Solique potenti
Ad numeros Pæana canit: nec cetera turba
Non ſequitur, mactantque ſues, mactantq; bidentes,
Viſceribuſque veru toſtis epulantur in herba.
Obſtupuit gens Europæ rituſque ſacrorum,
Contagemque alio non uſquam tempore viſam.
At Dux multa animo tacitus ſecum ipſe voluntas,
Hic erat ille, inquit, morbus, (Dii avertite caſum).
Ignotum interpres Phœbi quem dira canebat.
Tum regem indigenam (ut ſermo fandique facultas
Jam communis erat) cui ſint ſollemnia Divum,
Scitatur: quid tanta aſtet convalle ſub alta
Lan-

Languentum miſeranda manus: quid paſtor ad aras
Sacra inter, cæſi reſperſus ſanguine tauri.
Quem contra. Heſperiæ o heros fortiſſime pubis,
Rex ait, hi gentis ritus, hæc ſacra quotannis
Ultori de more Deo celebramus: origo
Antiqua eſt, vetereſque patrum fecere parentes.
Quod ſi externorum mores, hominumque labores
Audiviſſe juvat, primæva ab origine cauſſam
Sacrorum, & peſtis miſeræ primordia pandam.
Forſitan Atlantis veſtras pervenit ad aures
Nomen, & ex illo generis longo ordine ducti.
Hac & nos, longa ſerie, de ſtirpe profecti
Dicimur. heu quondam felix & cara Deum gens,
Dum cælum colere, & Superis accepta referre
Majores ſuevere boni: ſed, Numina poſtquam
Contemni cœptum eſt luxu faſtuque nepotum,
Ex illo quæ ſint miſeros, quantæque ſecutæ
Ærumnæ, vix fando umquam comprendere poſſem.
Inſula tum priſci regis de nomine dicta
Ingenti terræ concuſſa Atlantia motu
Corruit, abſorpta Oceano: quem mille carinis
Sulcavit toties, terræ regina mariſque
Ex illo & pecudes, & grandia quadrupedantum
Corpora, non ullis umquam reparata diebus
Æternum periere: externaque victima ſacris
Cæditur, externus noſtras cruor imbuit aras.
Tum quoq; & hæc infanda lues, quam noſtra videtis
Corpora depaſci, quam nulli aut denique pauci
Vitamus, Divum offenſis, & Apollinis ira
De cælo demiſſa omnes graſſatur in urbes.
Unde hæc ſacra novo primum ſollemnia ritu
Inſtituere patres, quorum hæc perhibetur origo.
Syphilus [ut fama eſt] ipſa hæc ad flumina paſtor
Mille boves, niveas mille hæc per pabula regi
Alcithoo paſcebat oves: & forte ſub ipſum
Solſtitium urebat ſitientes Seirius agros:
Urebat nemora: & nullas paſtoribus umbras
Præbebant ſilvæ: nullum dabat aura levamen.
Ille gregem miſeratus, & acri concitus æſtu,
Sublimem in Solem vultus & lumina tollens.
Nam quid, Sol, te, inquit, rerum patremque Deumque
Dicimus, & ſacras vulgus rude ponimus aras,
Mactatoque bove, & pingui veneramur acerra.

Si noſtri nec cura tibi eſt, nec regia tangunt
Armenta? an potius Superos vos arbitrer uti
Invidia? mihi mille nivis candore juvencæ,
Mille mihi paſcuntur oves: vix eſt tibi Taurus
Unus, vix Aries cælo (ſi vera feruntur)
Unus, & armenti cuſtos Canis arida tanti.
Demens quin potius Regi divina faceſſo,
Cui tot agri, tot ſunt populi, cui lata miniſtrant
Æquora, & eſt Superis, ac Sole potentia major?
Ille dabit facileſque auras, frigusque virentum
Dulce feret nemorum armentis, æſtumque levabit.
Sic fatus, mora nulla, ſacras in montibus aras
Inſtituit regi Alcithoo, & divina faceſſit.
Hoc manus agreſtum, hoc paſtorum cetera turba
Exſequitur: dant tura focis incenſa, litantque
Sanguine taurorum, & fumantia viſcera torrent.
Quæ poſtquam rex, in ſolio dum forte ſederet
Subjectos inter populos, turbamque frequentem,
Agnovit, Divum exhibito gaviſus honore,
Non ullum tellure coli, ſe vindice, Numen
Imperat, eſſe nihil terra ſe majus in ipſa:
Cælo habitare Deos, nec eorũ hoc eſſe, quod infra eſt.
Viderat hæc qui cuncta videt, qui ſingula luſtrat,
Sol pater, atque animo ſecum indignatus, iniquos
Intorſit radios, & lumine fulſit acerbo.
Aſpectu quo Terra parens, correptaque ponti
Æquora, quo tactus viro ſubcanduit aer.
Protinus illuvies terris ignota profanis
Exoritur. primus, regi qui ſanguine fuſo
Inſtituit divina, ſacraſque in montibus aras,
Syphilus, oſtendit turpes per corpus achores.
Inſomnes primus noctes, convulſaque membra
Senſit, & a primo traxit cognomina morbus,
Syphilidemque ab eo labem dixere coloni.
Et mala jam vulgo cunctas diffuſa per urbes
Peſtis erat, regi nec ſæva pepercerat ipſi.
Itur ad Ammericen ſilva in Cartheſide Nympham,
Cultricem nemorum Ammericen, quæ maxima luco
Interpres Divum reſponſa canebat ab alto.
Sciṫantur, quæ cauſſa mali, quæ cura ſuperſit.
Illa refert: ſpreti vos o, vos numina Solis
Exercent, nulli fas eſt ſe æquare Deorum
Mortalem: date tura Deo, & ſua ducite ſacra,

Et

Et Numen placate; iras non proferet ultra.
Quam tulit, æterna eſt, nec jam revocabilis umquam
Peſtis erit. quicumque ſolo naſcetur in iſto.
Sentiet. ille lacus Stygios, fatumque ſeverum
Juravit. ſed enim, ſi jam medicamina certa
Expetitis, niveam magnæ mactate juvencam
Junoni, magnæ nigrantem occidite vaccam
Telluri: illa dabit felicia ſemina ab alto:
Hæc viridem educet felici e ſemine ſilvam:
Unde ſalus. ſimul obticuit: ſpecus intus, & omne
Excuſſum nemus, & circum ſtetit horror ubique.
Illi obeunt mandata: ſua ipſi altaria Soli
Inſtiruunt: niveam, Juno, tibi, magna, juvencam,
Nigrantem, Tellus, mactant tibi, maxima, vaccam.
Mira edam. [at Divos juro, & monumenta parentum]
Hæc ſacra, quā nemore hoc toto vos cernitis, arbor,
Ante ſolo numquam fuerat quæ cognita in iſto,
Protinus e terra virides emittere frondes.
Incipit, & magna campis pubeſcere ſilva.
Annua confeſtim Soli facienda ſacerdos
Ultori nova ſacro canit. deducitur ipſe
Sorte data, qui pro cunctis cadat unus ad aram,
Syphilus; & jam fratre ſacro, vittiſque paratis
Purpureo ſtabat tincturus ſanguine cultros:
Tutatrix vetuit Juno, & jam mitis Apollo,
Qui meliorem animam miſeri pro morte, juvencum
Suppoſuere, feroque ſolum lavere cruore.
Ergo ejus facti æternum ut monumenta manerent,
Hunc morem antiqui primum ſtatuere quotannis
Sacrorum. ille tuum teſtatur, Syphile, crimen,
Victima vana, ſacras deductus paſtor ad aras.
Jlla omnis, quam cernis, inops miſerandaque turba
Tacta Deo eſt, veterumque luit commiſſa parentum
Cui votis precibuſque piis numeriſque ſacerdos
Conſiliat vates Divos, & Apollinis iras.
Luſtrati ingentes ramos, & robora ſanctæ
Arboris advectant tectis: libamine cujus
Vi mira infandæ labis contagia pellunt.
Talibus, atque aliis tempus per multa trahebant
Diverſis populi commixti e partibus orbis.
Interea, Europæ fuerant quæ ad cara remiſſæ
Littora, jam rurſus puppes freta lata remenſæ
Mira ferunt: late [proh fata occulta Deorum!

Con-

Contagem Europæ cælo crebreſcere eamdem,
Attonitaſque urbes nullis agitare medelis,
Quinetiam gravior naves ut rumor in omnes,
Illo eodem claſſem morbo, juvenumque teneri
Haud numerum exiguum,& totis tabeſcere membris
Ergo haud immemores, diras ceciniſſe volucres,
Affore, quum ſilva auxilium poſcatur ab illa,
Continuo faciles Nymphas, ſolemque precati,
Intacti nemoris ramos, & robora ab alto
Convectare parant luco, medicataque ſumunt
Pocula, pro ritu gentis: quo munere tandem
Contagem pepulere feram. quin dona Deorum,
Haud patriæ obliti, & felicem ad littora ſilvam
Noſtra jubent ferri, cælo ſi forſitan iſto
Aſſimilem pellant labem. nec fata ſecundos
Ipſa negant Zephyros, faciliſque aſpirat Apollo.
Munera vos Divum primi accepiſtis, Iberi,
Præſens mirati auxilium: nunc cognita Gallis,
Germaniſque, Scythiſque, orbe & gaviſa Latino
Jam nunc Europam vecta eſt Huyacus in omnem.
Salve, magna Deum manibus ſata ſemine ſacro,
Pulchra comis, ſpectata novis virtutibus arbos:
Spes hominum, externi decus, & nova gloria mundi.
Fortunata nimis, natam ſi Numina tantum
Orbe ſub hoc, homines inter gentemque Deorum
Perpetua ſacram voluiſſent creſcere ſilva.
Ipſa tamen, ſi qua noſtro te carmine Muſæ
Ferre per ora virum poterunt, hac tu quoque parte
Noſceris, cæloque etiam cantabere noſtro.
Si non te Bactra, & tellus extrema ſub Arcto,
Non Meroe, Libyciſque Ammon combuſtus arenis,
At Latium, at viridis Benaci ad flumina ripa
Audiet, & molles Atheſi labente receſſus.
Et ſat erit, ſi te Tiberini ad fluminis undam
Interdum leget, & referet tua nomina BEMBUS.

F I N I S.

HIE-

HIERONYMI FRACASTORII
JOSEPH,
AD
ALEXANDRUM FARNESIUM
LIBER I.

QUæ veterum Heroum, divæ, facta inclita, Muſæ,
Et monumenta ævi longis obſcura tenebris
Illuſtrare novis numeris, & carmine ſacro
Ferre per ætates omnes, perque ora nepotum
Gaudetis, famamque virum proferre ſub auras,
Nunc, o, nunc populi illius, quem maximus unum
Delegit Deus, & generis longo ordine ducti
Principe ab Abramo, veteres evolvite faſtos:
Et Juvenem cantate pium, quem magnus Iacob
Iſacides genuit: dederat cui noſſe futura
Per ſomnos monſtrata Deus. vos dicite, quanta
Ille tulit, Phariis tandem dum victor in oris
Imperium gereret magnum, populumque beatum
Conderet, unde ſalus hominum ſpes, unde futura
Vitæ erat, & clauſi referandum limen Olympi.
Nec minus, Italiæ Juvenis decus (omnia quando,
Quæ canimus, tua, FARNESI, ſunt maxima juſſa)
Ipſe ades, &, plenum ſcopulis dum currimus æquor,
Da faciles in vela auras, da numine dextro
(Namque Deus mihi ſemper eris) tua grandia vota
Poſſe ſequi, pelagique omnes ſuperare labores.
En, primas ſulcantem undas me littora Joppes,
Me juga Samariæ, nemoroſaque paſcua Sichen,
Jordaniſque vocat: curvis en vallibus Hebron
Applaudit, cæloque ſimul tua nomina tollit,
Reſponſatque Tabor voces, & ſidera pulſat.
Noverat infernus Pluton, cui multa futuri eſt
Scire datum, in fatis Abrami e ſanguine ſacram
Progeniem terris promitti, Tartara per quam
Evertenda forent, metuenti talia Paſtor
Rexque idem Sichenus erat ſuſpectus Iacob,
Inviſuſque nimis: tum quod nec ſanctius alter
Juſti-

Juſtitiam legemque Dei ſervaret, & aris
Tura daret: tum quod biſſena prole beatus
Natorum, populum in ſanctum concreſcere ſolus
Poſſe videbatur. quare hanc intentus in unam
Progeniem, dabat omnem operam, quo perdere poſſet
Præſertim egregium puerum, cui ſidera fauſta
Naſcenti, & late felix arriſerat æther.
Qui patre longævo Rachele e conjuge cara
Natus, erat patri ante alios dilectus Joſeph.
Hunc forma inſignem Charites ſtudia inter alebant
Ingenua, & mores, & avitæ legis amorem.
Cui mens alta inerat quædam divina futuri,
Atque animus ſemper ſummi admirator Olympi,
Et pia relligio, & puero prudentia major.
Ex his invidiam Dæmon tacitumque ferebat
Fratribus in reliquis odium, & mortale venenum.
Nec tantis non ipſa malis Fortuna ſovendis
Affuit, augendiſque odiis. nam forte per æſtum
Quum fraterna cohors pecudes ad pabula nota
Lanigeras una ſilvas duxiſſet in altas,
Iliceaque umbra reſiderent, primus Joſeph
In fratres converſus ait: mea ſomnia, fratres,
Audite, illa quidem mira, &, niſi me mea fallunt
Auguria, haud vani ſpeciem referentia ſomni.
Namque, ſub Auroram quum ſe ſe ſidera condunt
Caſura jam nocte, & ſolus nuntiat ortum
Lucifer, ipſe meas ſpicas offerre videbar
Sacras ante aras, pariter vos ponere veſtras.
Sed noſtri cælum faſces ſe tollere in altum,
Et rutilam inſignes late diffundere lucem:
Veſtri autem obſcuri, atq; humiles ſummittere ſe ſe,
Utpote adorantes noſtros. Cui grandior annis,
Atque odio in puerum non parvo accenſus Iudas,
Vane puer, quid mira vocas tua ſomnia? numquid
Forte, inquit, Deus illa aliquis, tibi mittit ab alto?
Credo equidem, nam vina Deum dicuntur habere.
Augurium quodnam ſomno tibi fingis ab iſto?
An forſan Rex noſter eris? tibi pone coronam
E lauro, noceant regi ne vina futuro.
Talia dicenti fratrum quoque cetera turba
Adclamant, regemq; novum, dominumque ſalutant,
Et puero illudunt, tum patri hæc ſomnia narrant.
At ſenior, cui non aberat Deus, omnia mente
Evo-

Evolvit tacita, atque in nato grande futurum
Neſcio quid ſpectans, aliis tamen omnia vultu
Diſſimulat, puerumque monet nos ludere ſomnos.
Ille autem, cui fata Deus majora parabat,
Poſt paullo in ſomnis aliud quid pondere majus
Conſpexit. nempe in celſa ſibi ſede locato
Sub pedibus Solem ac Lunam ſtellaſque minores
Undique adorantes divinos reddere honores.
Quorum ille interpres,[talem nam Numina mentem
Indiderant.] rurſus fraternas omnia ad aures
Detulit. illi autem non celavere parenti
Somnia, non offenſum animum, non pectora amara.
Obſtupuit primum genitor, puerumque vocatum
His, velut interpres ſomni, duro increpat ore:
Tene igitur pater ac mater fratreſque, ait, & plebs
Omnis adorabit? tu ſede locabere inalta,
Nos infra viles humileſque precabimur? ah te
Si malus hic error tenet, & ſpes impia nutrit.
Pone animum hunc,levibuſq;iſtis& inanibus umbris
Tolle fidem, teque his fallacibus eripe monſtris:
Quæ Dii, ſi mala ſunt & iniqua, immittere nobis
Non ſuevere boni, ac potius mala Numina,Manes
Inferni exitium in noſtrum ludibria fingunt.
Sic falſa ex adytis referunt oracula, ſic &
Auguria ex avibus, diſſectis omina ab extis.
An tibi non Belus, non eſt tibi notus Anubis,
Atque Ops, atque Hecate,non cetera turba Deorum,
Quos miſeræ Gentes aris, templiſque dicatis
Ob reſponſa colunt, lex autem noſtra prophanat?
Vade age, & hæc nobis poſthac ne ſomnia perfer.
Sic ait, & natos alios per dulcia mulcens
Dicta pater, jubet in Sichen, ſaltuſque virentes
Ducere molle pecus, puerum conſiſtere Joſeph
Se penes. expediunt juvenes mandata paterna,
Feliceſque Hebron valles, & amæna vireta
Inviſunt: ſed non virides in vallibus herbæ,
Non umbræ nemorum, placidæve e collibus auræ,
Non volucrum cantus inimica inſomnia poſſunt
Ex animis delere: eadem per ſingula verſant,
Exacuuntque odia, atque itis laxantur habenæ,
Injunguntque minas: diræ ſerpentibus atris
Eumenides inſtant. atque hæc per talia jam Sol
Condiderat geminos ortus, quum luce ſequente
Ca-

Caſtra movere parant, Dothainque in puſcua læta
Ducere oves, quo plus patriis ab ovilibus abſint,
Producantque magis reditum, quæ inviſa gerebant.
Ergo aliam atque aliam ſolito plus forte morati
Quum traherent cum nocte diem, miratus abeſſe
Hos tantum genitor, confeſtim accerſit Ioſeph:
Ique, ait, o mihi care puer, fratreſque require
In Sichen, patrique refer, quæ cauſſa morandi
Nam timeo, nequid male fauſtum evenerit illis,
Aut pecori. Ille viam, nulla eſt mora, corripit, & jam
Advolat in Sichen: ſed fratribus & grege nuſquam
Compertis, quid agat, dubius huc ſpectat & illuc,
Omnia colluſtrans oculis: modo nomine fratres
Magna voce vocat: tantum nemora alta vocanti
Reſpondent, valleſque cavæ. Forte ilicis altæ
Frondator ramorum aderat, qui, ut vidit anhelum
Ancipitemque ſui puerum, noto obvius illi,
Quid quæris, puer? inquit: oves ſi forte paternas,
Si fratres, ne quære iſtis in vallibus illos,
Quandoquidem audivi dicentes, ſaltibus ex his
In Dothain cedamus: ibi fratreſque pecuſque
Invenies: dein monſtrat iter, qua tramite recto
Ocyus inveniat lætiſſima pabula, namque
Plurima pars exuſta aret, nec gramina nutrit.
Ille datum feſtinat iter: jamque ultima Sichen
Emenſus, Dothain lætus propior tenebat,
Quum ſpecula longe venientem vidit ab alta
Plena odii fraterna cohors, ac protinus, en Rex
Noſter, ait, quem Sol, quem Luna, & ſidera adorant.
Nos famuli viles ad paſtoralia nati,
Per deſerta die rabido ſub Sole vagamur:
Nocte in ſpeluncis, patulave ſub arbore ſomnos
Captamus, tecti rude lana & pellibus hirtis,
Deſpecti, vilique polenta, & flumine paſti.
Ille patris menſa virgata in veſte recumbens
Lactibus hædorum, & lumbo pingueſcit ovili,
Repleturque mero: tum ſtertens impia nobis
Somniat. huncne igitur, fratres, atque iſta feremus
Opprobria? anne adeo cæci expectabimus, ut jam
Grandior, atque animis fidens & patris amore
Nos premat, & ditionē omnē & fauſta omnia patris
Surripiat, ſic vera nimis ſua ſomnia reddens?
Heu fratrum ignaræ mentes, & pectora cæca!

Cur

Cur potius, dum teſtis abeſt, dumque omnia nobis
Dant animos, non hunc capimus? cur protinus iſtis
Confoſſum gladiis, puteo non condimus illo,
Qui prope contegitur dumis & ſentibus atris?
Dicemuſque fame rabidorum urſive lupive.
Qui multi deſerta habitant hæc, dente peremtum.
Talia jactabant inter ſe ſe effera fratres
Conſilia. at, cunctis aderat qui major & annis,
Et major pietate Ruben. Dii talia nobis
Avertant, ait: ah veſtras ne ſanguine, fratres,
Fraterno maculate manus, neve ira Deorum
Hoc velit, ut ſcelus ob tantum nos,& domus,& grex
Una omnes pereamus. abeſt ſi teſtis, at ipſe
Eſt teſtis Deus: ipſe Deus, quem nulla latere
Facta queunt,quique hic & nos nunc ſpectat,&audit.
Si tamen eſt animus vobis ſecludere prorſus
Hunc puerum, ſine cæde ejus,ſine ſanguine in illum
Trudite vicinum puteum, & dimittite fatis.
Hæc vero ſuadebat, uti jam cæde remota
Mox ipſe ad puteum ſera jam nocte rediret,
Extraheretque illum. & miſero ſua pignora patri
Redderet, ac fratrum tandem componeret iras.
Verba omnes movere. placet ſine cæde prehenſum
Projicere in puteum, & miſerum dimittère ſorti.
Tum Ruben, a vobis fuerint quæcumque peracta,
Horum me inſontem videat Deus. ac procul inde
Diſceſſit, ſilviſque latens ſe condidit altis,
Viſurus rerum eventum. & jam lætus Ioſeph
Feſtinans aderat: contra fratrum impia turba
Circumfuſa ruit minitans, manibuſque revinctis
Nunc, inquit, tua vana tibi quid ſomnia proſint,
Aſpicies: numquid regi parebimus omnes?
Ille pavens, ſtupiduſque rei novitate precari,
Talia ne inſonti facerent, Superoſque vocare
Nequidquā: quando impatiens magis & magis urget
Creſcens corde furor, facibus furialis Erynnis
Inſtat atrox, Dæmonque malus, qui obſiſtere fatis
Poſſe putans, cunctorum aciem vertebat in unum.
At puer, ut nullis precibus, nulliſve moveri
Fratrum corda videt lacrimis,ſed jam impete multo
Compelli in foveam, quod reſtat, lumina tollens
In cœlum, tales fundebat ad æthera queſtus:
Dii Abrahæ, Dii magni Iſac, Dii patris Iacob,
Vos

Vos ego ſi ſancte colui, ſi juſſa paterna
Semper obii, ſemperque pie & ſine crimine vixi,
Aſpicite: &, ſi fata mihi nunc ultima dant, ut
Jam moriar, miſerum ſaltem ſervate parentem
At vos o, tenere, fratres, quos ſemper amavi,
Majoreſque habui, curate, hæc triſtia ad aures
Ne patris adveniant, ſed me rapuiſſe latrones
Dicite, quo ſaltem ſpe ſe ſoletur inani
Viventis nati, Stygias nec tendat ad umbras,
Ante diem: deſerta ipſe cumulatus arena
Emoriar. lacrimæ dicenti talia fuſæ
Ex oculis cecidere, ſimul voxque ipſa repreſſa eſt.
Et jam etiam fratrum ſedari pectus & ira
Cœperat, Iſachar quum, ne deſiſtite, fratres,
Dixit, ab incepto, quin vinctum & fune ligatum
In foveam mittamus: ibi ſuſpenſus in imo
Siſtatur fundo, donec meliora parent Dii
Conſilia, atque cibum interea capiamus in herba,
Quandoquidem jam Sol invitat, & altior hora.
Aſſenſere omnes dictis, puerumque revinctum
Ad puteum flentem ducunt: hic fune ligata
Arboris ad truncum pendentis deſuper altæ
Demittunt pavitantem intro, fundoque relinquunt
Suſpenſum. aſt ipſi circum per gramina fuſi
Implentur vili cerere, & cariotide pingui.
At Deus, ætherio terras qui ſpectat ab axe,
Inſontem aſpiciens, illo & miſeratus amore,
Quo mare, quo terras, quo cælum condidit altum,
Unum ex aligeris, qui circum mille, Miniſtris,
Exſpectant mandata, vocat: fidiſſime, & inquit,
Vade age, Samariamque tibi notiſſima dudum
Arva pete, &, quem ſcis fatis ad magna vocari
Iſacidæ puerum, qui cæco poſcit ab antro
Auxilium, & fraterna odia & facta impia plorat,
Hunc inopem ſolare: nec eſt mandare neceſſe,
Quæ referas, cui nota mea eſt & aperta voluntas.
Sic aut, & nutu placido, quo ſidera curſu
Perpetuo ducit, Juvenem dimittit. at ille
Ætherias humeris accingit tenuibus alas,
Queis cælum illæſum penetrat, queis nubila tranat,
Prævertitque fuga Zephyros. jamque æthera ſcindẽs,
Aerios tractus, & inania lata ſecabat.
Qualis, ubi in liquidis ſtagnis, aut ardea longe eſt,
Aut

Aut albus conſpectus olor, ſacer accipitrum rex
Poſt varios gyros ſublimis ab æthere lapſus
Immotis ſecat alta ruens oculo ocyus alis.
Impete non alio Volucer cæleſtis adibat
Samariæ terras: Primus quem vertice ſummo
Excepit Tabor, inſuetum frondeſcere ſilvas,
Miratus, terramque nova veſtirier herba,
Et varios præter ſolitum ſummittere flores.
Excepere illum prognatæ monte Napeæ,
Et divina Deo cecinerunt: omnia rupes
Reſponſant, ipſa antra Deum, ſilvæque ſalutant.
At ſacer Interpres Divorum, ut vertice ab alto
Lumina deflexit terris, ac gramine fuſos
Veſcenteſque videt fratres, aſt inde camelos
Mercatorum Arabum ſpectat, Jovis omnia facta
Imperio, hinc animum ad miſerum convertit Joſeph,
Deſcenditque celer: puteique in margine ſummo
Ut ſtetit, extemplo nova lux effulſit in antro,
Miratum & ſubitus puerum circumſtetit horror.
Quem pius Interpres placida ſub imagine, & ipſo
Ore puer puerum dictis ſolatur amicis:
Pone metum, Diis care, patrum Deus ille tuorum,
Qui cælum regit, huc alto me ex æthere mittit,
Qui referam mandata tuos ſolantia luctus.
Hinc primum mittere foras, ſed venditus auro,
Nomine mancipii: tum Nili in regna fereris,
Atque iterum vendere illic, multoſque per annos
Servus eris. tunc ne vetita atque injuſta libido
Te alliciat, neu Dii alieni, & falſa, caveto,
Numina decipiant. veſtrum ſi ſemper habebis
Corde Deum, ipſe aderit ſemper tibi, te bona ſemper,
Quidquid ages, quocumque ieris, fortuna ſequetur.
Quin, magis ut fidas animis, tibi magna parantur
Imperia; & tempus veniet, quum vera videbis
Somnia viſa tibi, quum te fratreſque paterque
Supplice adorabunt fletu: miſereberis illis,
Nec miſeros patiere fames ut perdat iniqua:
Quin ipſos, natoſque eorum, ipſoſque nepotes
In partem imperii, atque in tua regna vocabis:
Ingens ut tandem populus concreſcat, arenæ
Inſtar: quem Deus Ægypti de parte ſuperba
Deducet tandem, & pedibus ſuper æquora ſiccis
Pertranſiſſe dabit, mox hæc in regna reducet,

La-

Lacte novo quæ regna fluent, & melle perenni.
Mox [anni properate] diem felicia ſecla
Aſpicient, ſecla illa diem, quam tanta futuram
Vatum oracla canunt, quum demittatur ab alto
Magna Dei Soboles, veſtro de ſanguine creta,
Quæ ſcelus antiquum tollat, quæ limina Cæli
Clauſa diu, magnique fores præpandat Olympi.
Nec plura effatus Cælum ſe tollit in altum.
At juvenis,quamquam ſtupefactus Numine tanto,
Reſtitit, & rerum confuſus imagine multa,
Lætatur tamen, atque animum per ſingula verſat,
Speque futurorum præſentem corde dolorem
Diſcutit, atque oculos in cælum & ſidera tollens
Sic fatur: Rex terrarum, Rex ætheris alti
Omnipotens, patrum Deus & tutela meorum,
Reſpice nos, & noſtra tuo ſub Numine ſi ſpes
Eſt omnis, ſuper his primum miſerere parentis.
De me autem quidquid ſtatuet tua recta voluntas,
Seu lætum, ſeu triſte pares, nihil ipſe recuſo.
Unum oro, ſi Parca mihi vidiſſe negabit
His oculis felicem illam, ſemperque beatam,
Optatamque diem, qua tandem ex æthere ſummo
Deſcendet tua Progenies, da cernere ſaltem
In ſpeculo, atque umbra monſtra mihi, ſpeque fideq;
Noſcere da, puroque ejus de fonte lavari.
Dixit, & ex imo traxit ſuſpiria corde.
Interea e Madian, ſtacten, bdelamque ferentes,
Cinnamaque, & liquidam ſtyracem, & pinguia tura
Tranſibant Arabes, qua ſtabant graminæ læto
Veſcentes juvenes ſimul & diverſa loquentes,
Qui ut primum videre viros, Deus, inquit Iudas,
O fratres, meliora parat, quam noſtra ferebant
Conſilia: his etenim ſi mercatoribus ipſum
Vendamus puerum, tum lucro, auroque piati
Fraterna a morte immunes reddemur, & ad nos
Poſthac nec fama adveniet, nec nomen Ioſeph;
Sive Arabes iſti Ægyptum, ſeu barbara regna,
Marmaricam, Libyamve petant. ergo unus ad illos
Mittatur, qui mancipii ſub nomine, merce
Propoſita pretium ſtatuat, reſponſa reportet.
Dicta placent, qui pacta ineat, jam mittitur: ipſi
Interea ſpeluncam adeunt, funemque ligatum
Arboris ad truncum ſolvunt, & in æthera ſurſum
Suſpen-

Suſpenſum educunt puerum: qui talis in auras,
Qualis mane roſa, aut riguo narciſſus in horto,
Prodiit, & formæ ſervato vera decore
Signa dedit, certumque Dei præſentis amorem.
Jamque aderat mercator Arabs, & nuntius una
Vile ſatis pacti pretium. proh Juppiter, ille,
Quem tanta in fatis promiſſa, & tanta manebant
Imperia, argenti bis deno venditur aſſe,
Mancipium infelix. jam curvo terga camelo
Excipitur. Nili ignotas jam fertur in oras.
At quadrupes, ceu divino ſub pondere, vector
Inſolitos dedit hinnitus, & ſigna recentis
Lætitiæ: jamque & grato facilisque, levisque
Seſſori tergum, ſellamque accommodat aptam,
Agglomeranſque pedes, retro ſocia agmina linquit.
At fratres, puer ut ceſſit, mala nuntia patri
Quis ferat, & quo infanda tegant facta impia pacto,
Ambigui, tandem ſtatuunt præmittere veſtem
A puero ereptam, caprino ſanguine tinctam
Qui ferat, inventamque inter nemora avia dicat:
Denique placet mandata dari: qui inſtructus abunde
Omnia, longævum non hæc miſeranda parentem
Expectantem adit, & monſtrato ſanguine & ipſa
Veſte, ait: hanc noſtræ nemora inter devia primæ
Invenere canes: cujus ſit veſtis, & unde
Hic cruor, ignari, patrem primum eſſe monendum
Duximus, ut te ſi quid agendum eſt, conſule agatur.
At pater, ut notam, maculiſque & ſanguine veſtẽ
Conſperſam vidit: quis te, cariſſime Ioſeph:
Quis Divum, ut tecum morerer, ſpes una ſenectæ,
Nate, meæ, quis caſus, ait, tam durus ademit?
Heu mala te ſilvæ fera ſuſtulit. ite per alta
Vos nemora, & ſiquid miſero de corpore reſtat,
Omne aſſerte mihi, ſaltem ut ſuprema ſepulcri
Dona feram: vel & ipſe, feris laniandus, in altas
Proripiar ſilvas: dabitur natoque patrique
Mors eadem. hæc dicens, fœdatos pulvere canos
Vellebat, laceroſque ſinu exſcindebat amictus:
Et famuli tandem collapſum in tecta reportant.
Parte alia Ruben, ut ſerum ſe veſper in orbem
Intulit, ad caulas pecudes pecudumque magiſtri
Quum redeunt, ſaltuſque vacant paſtoribus omnes,
De-

Deſertum ad puteum ſolus redit, atque ibi Joſeph
Terque quaterque vocat. non reſpondente vocanti
Ullo, ſollicitus, puerum ne forte necaſſent,
Rem ſpectare parat, cæſaque ex ilice conto
Scalam aptat, ſolerſque imum ſe mittit in antrum,
Omnia colluſtrans. verum, poſtquam omnia dudum
Rimatus, puerum quæſitum haud reperit uſquam.
Ambiguus tandem reliquos perquirere fratres
Deſtinat: ac pecoris veſtigia nota ſecutus
Per noctem, demum inventos, de fratre quid actũ eſt,
Inter multa rogat. rem totam ex ordine pandunt.
At Ruben, ut puerum audivit ſupereſſe, nec ullis
Affectum damnis, hinc, fratres, inquit, eamus
Ad miſerum genitorem, & ſpe viventis & auras
Spirantis gnati ſaltem [quod nunc datur unum]
Solemur, rapuiſſe Arabes de more, relicta
Veſte, levi pueri fugientis vulnere tincta:
Paſtores ita ferre. aliquemque adducere teſtem
Expediet, neque enim deerunt, qui dicere poſſint
Se vidiſſe Arabes, his ergo rite paratis
Patrem adeunt, & quæ poſſunt, ſolatia jungunt;
Ille autem, quamvis aliqua ſpe forte levatur,
Non tamen æternas lacrimas planctuſque perennes
Comprimere, aut triſti meditari gaudia mente
Ulla poteſt, ſed vitam ægram nocteſque dieſque
In tenebris, hominum fugiens conſortia, ducit.
Interea puerum lætus deportat Joſeph
Mercator, plenis miratus cedere votis
Omnia. non illis terræ exarſere diebus:
Non ventis agitatæ ullæ tolluntur arenæ
Ex ſolito: puerum Charites comitantur euntem,
Et cæli favor, & fauſtis Spes dextera pennis.
Jamque pererratis Judeæ finibus, altæ
Incipiunt turres & mœnia Oſyridis urbis
Apparere procul, campis ubi fuſa juventus
Munera militiæ exercent: hi vincere curſu
Contendunt pedibus, hi fulvo in pulvere ſudant
Luctantes, alii duro ſub pondere ceſtus.
Pars volucres exercet equos, curſuque fatigat,
Aut inferre hoſti verſas poſt terga ſagittas
Diſcit equo currente, aut haſtam tollere campo.
Ergo Arabes poſtquam acceſſere, & pulcher Joſeph,
Mirati pugnas, placidi, & præludia Martis,

Conſiſtunt, oculiſque intenti & pectore toto
Vix ſatis expleri poſſunt. quos forte magiſter
Militiæ, Eunuchus Regis, cui ſumma poteſtas
Et duri data erant Mavortia munera belli,
Ut vidit, confeſtim ad ſe ſe accedere juſſos
Compellat. geritiſne ullas, quas vendere, merces,
Optetis? quædam, dixere, & aromata, & iſtum
Geſtamus puerum, domino qui ſi placet, ultro
Munus habe: aut emtum ſi mavis, pro indole tanta
Da quodvis: pretium eſt magnum tua gratia nobis.
Ille autem, haud umquã ingratum, mercator, habebis
Fetiſarum: accipiam puerum, at tu munere largo,
Speque tua majore, mihi donabere multo.
His dictis recipit puerum, quem veſte decora
Induit, & ſagulum donat, quo purpura limbo
Fulva nitet, tum donat equum: lætiſſimus ille
Altior it juvenes inter pulcherrimus omnes.
Quem cuſtode dato lætus præmittit ad urbem
Fetiſar, & caræ uxori commendat habendum.
Interea ſeras invexerat Heſperus horas,
Et juvenum campis cedens manus omnis apertis
Ibat ovans comitata ducem, ac jam pulcher Ioſeph
Ut dominam inviſit, thalami & cognovit herilis
Officia, ipſe humilis ſervorum ſe agmine miſcens
Obvius it domino, media ſe qualis arena
Monſtrat gemma nitens, radiiſve micantibus aurũ,
Talis & ipſe puer multis in millibus ibat.
Quem matres, populuſque omnis mirantur, ut ipſo
Inceſſu, gravis ore, pedes non dimovet uſquam
A duce, non oculos, ſed ſemper totus in illo eſt.
Nec minus, intra ædes ut ventum, epulæque paratæ,
Ipſe ulli deeſt officio, ſeu corpore opus ſit,
Seu celeri ingenio: ſed enim ſuper omnia mira eſt
Grataque ſedulitas, apta & prudentia cana.
Quo factum eſt parvo poſt tempore, Fetiſar illum
Non thalamo ut tantum ipſe ſuo præfecerit unum,
Sed domui, & rerum ei ſummam commiſerit omnem.
Scilicet auſpiciis & Diis cuncta ire ſecundis
Fetiſaro ſint viſa, agri producere fruges
Uberius, ſobolem armentum, ſibi creſcere honores.
Omnia quæ, oſtento quodam permotus, Ioſeph
Attribuit puero, vatumque oracula ſuadent.
Arbor erat Perſæa, Deo ſacrata Cameſi,

 Ædi-

Ædibus in mediis, quam vectam e Perſide fertur
Orbe pererrato monumentum inſigne futurum
Ipſa ſuis manibus plantaſſe nepotibus Iſis.
Hanc apis externis veniens inſedit ab oris,
Inſignis fulgore & verſicoloribus alis
Pulcher apis: quem mox examen grande ſecutum
Pendentem ramo longum traxere racemum,
Protinus oſtentum ad vates defertur. at ipſi
Venturum externis aliquem portendere ab oris
Declarant, ingens populus quem deinde ſequatur,
Ip ſum qui fortunæ opibus ſuper æthera tollat
Fetiſarum, largoſque ſimul promittat honores.
Ergo his auguriis tantis cenſetur Ioſeph
Monſtrari, hinc majore illum dignatus honore
Fetiſar, hinc omnes adamant: ſed maxime Jempſar
Pulchra ducis conjux præ cunctis diligit unum,
Neſcia adhuc, quanto jam ſit devota furori,
Quis Deus inſideat miſeram. ſuſpiria nondum
Emittit, nondum lacrimas: ſunt omnia læta
Dulciaque, & nondum quidquam perſentit amari.
Quæ malus, infernas ſedes, Cocytia regna,
Qui regit, humani generis turbator & hoſtis
Ut vidit Pluton, ſemenque accreſcere felix
Iſacidum, inviſam ſobolem, vocat ocyus unum
Servorum, quibus inſidiæ fraudeſque dolique
Sunt animo, queis mille arteſque, viæque nocendi,
Ique, ait, & pulchram circum inſinuatus Iempſar
Falle dolo, & primas eſcas, quas ſenſit amoris,
Tu flabris accende, imis illum oſſibus ignem,
Illam immitte facem, quam nec vis ulla Deorum,
Non hominũ extinguat: mox ipſũ accendere Ioſeph,
Si poſſit, omni arte ſtude. quod vincere ſi qua
Non dabitur, tu perge tamen, pete rurſus Iempſar,
Acrius ure, furorem adde, inſpiraque venenum:
Queis monſtris agitata domum permiſceat omnem,
Inque odium, furiaſque omnem convertat amorem
I celer, & nihil inde doli ſceleriſque relinque.
Ille hilaris, promptuſq; malis ſumtã e Styge lymphã
Miſcet Acidalio latici, tum ex anguibus unum
Tiſiphones capit, atque ſinu mala ſemina condit.
Fetiſari dein tecta petens, nutricis Iempſar
Induit Iphieles formam, dominamque ſalutans
Audi, ait, o mihi cara, miſer quis caſus Ioſeph
Tor-

Torquet ad extremum vitæ: vidi ipſa gementem
Nuper, & optantem ſupremæ munera vitæ.
Quærenti mihi quæ tanti ſit cauſſa doloris,
O mater, ne quære, inquit, nam, ſive tacebo,
Sive edam, omnino moriar: præſtatque tacendo
Et vitam, & noſtri cauſſam finire doloris.
Cui ego: non ſic, o fili, nam vulnera ſæpe
Auxilium patefacta & opem invenere ſalubrem.
Dic audacter, amaſne? hæc ſit tibi cauſſa doloris,
Spera, & fide, puer, namq; ipſum vel tibi amorem
Eripiam magicis, vel tu potiere cupito.
Erubuit: tum dixit, amo. Dii ſunt mihi teſtes,
Hunc quantum eluctans cepi, quam invitus amorem,
Infidum in dominum qui me facit. at mihi ſit mors
Exoptanda magis, fidum periiſſe juvabit.
Sic ait, & fuſis lacrimis pulchra ora rigabat.
Ut video, puer hic dominam te deperit: & ni
Opportune adſis, nimio moriturus amore eſt.
Cui virgo, o nutrix, quam dura & triſtia narras!
Namq; & amo hunc puerū, & vellē ſuccurrere poſſe:
Sed me jura Deum, ſed vincla jugalia primum
Obſiſtunt: tum me tanto male ſana periclo
Objiciam, & duri haud formidem conjugis arma?
Et nutrix, o nata, ipſorum crimina amantum
Dii ridere ſolent: ſolvendi jura mariti
Cauſſa potens & juſta tibi eſt depellere mortem
A puero, qui nec culpam commiſerit umquam,
Culpa niſi eſt vel amare nimis, vel amore perire.
Audendum eſt in amore, pericla nec ulla timenda
Prudenti, Dii deinde ipſos tutantur amantes,
Queis amor, & pietas eſt prima & maxima cura.
Eſt mihi aqua, in dubiis rebus quæ aſſumta videre
Vera facit, dubiique omnis pars utra legenda eſt.
Hanc dabo, ſi hac in re ancipiti ſtat cernere verum.
Ac Stygiam demonſtrat aquam, medicataque fonte
Pocula Acidalio. placet, o cariſſima nutrix,
Virgo, inquit, totumque manu capit ipſa venenum
Intrepida, atque uno craterem exhauriit hauſtu.
His actis puerum Iphiele ſe vertit ad ipſum,
Et greſſu ad thalamum illius contendit anili:
Qui laudes Superum Regi & divina legebat.
Ut vero in thalami mentitus limine Dæmon
Conſtitit, & puero cæleſtem aſſiſtere Ioſeph

Cuſtodem vidit minitantem, enſemque coruſcum
Vibrantem, extemplo ſubita formidine captus
Horruit, & retro greſſuſque animumque reduxit,
Aufugitque celer: nocturnaque alitis oti
Effigiem capit, & tecto ſe ſiſtit in alto.

JOSEPH

LIBER II.

AT Miſera, ut Stygios latices deſumſit Iempſar,
Solaque permanſit, totis ardere medullis
Viſa ſibi eſt, tota in ſubitum convertier ignem:
Suſpiranſque gemenſque, unum depoſcit Ioſeph.
Et modo ſe imponit ſtratis, paullumque morata
Aſſurgit, modo mutat & hunc, modo mutat & illum,
Faſtiditque locum infelix, nec ſe capit uſquam.
Non ſecus ac ſolet ille, acris præcordia cauſus
Cui torret, vel quem dipſas calcata momordit.
Tandē ait, heu quidnā eſt, quod me tam ſæviter urit?
Eſt ne amor, an ſamti latices? nempe eſt amor iſte,
Quo moriar, niſi formoſus ſuccurrat Ioſeph.
Tu mihi nunc ſuccurre, puer, ſuccurrere namque
Ipſa etiam tibi conſtituo. moriemur amando
Inſontes ambo. Dii tanti criminis haud me
Auctorem videant, non hæc Ægyptia tellus:
Dum licuit, potuique, tori concordia jura
Servavi, nunc major agit me viſque, Deuſque,
Imperioque premit. ſic ſit mihi Numen amicum,
Ut noſco experiorque Deum, quem femina non eſt
Contra ſtare potens. Deus hic cuſtodiet ambos;
Quin &, ſuetus amare, teget ſolatia noſtra.
Dixerat, impatienſque moræ vocat ocyus Efren,
Unam ex ancillis, dominæ quæ fida ſolebat
Ferre vigil mandata, vigil reſponſa referre.
Vade, ait, & puero dic, huc accedat, Ioſeph,
Si vacat, & domini ſi nulla negotia noſtri
Impediunt. abit illa cita, & mandata faceſſit.
Nec longe poſt juſſus adeſt formoſus Ioſeph.
Quem ſolum admiſſum virgo mutata colore
Juxta aſtare facit: tum corde & voce tremente
Care, inquit, puer, atque oculis mihi gratior ipſis,
Verane tu dominæ dices, quæcumque rogabit?

Vera

Vera equidem [an fallam dominos?] ait ille, fatebor.
Tu quodvis pete. & illa: Puer, te perdite amare
Audio: ſi verum eſt, debent me nulla latere,
Nec ſi ego ſim, quã perdite amas, nam [vera fatebor]
Ipſa etiam te perdite amo. tu nec mihi amanti,
Nec tibi ego crudelis ero: da jungere dextram:
Qualis eris, quantoque a me donaberis auro!
Sic ait, & ſummis puero dedit oſcula labris,
Ille pudore rubens, & ſecum mente revolvens,
Quæ Divum Interpres puero mandaverat olim,
Dii ne alieni illum, aut prava, aut injuſta libido
Alliceret, taciteque Deum ſibi adeſſe precatus
Hæc tandem reſponſa dedit: Quod perdite amare
Audis me, domina, illicitum ſi forſan amorem
Audis, non ullam fateor me perdite amare:
Nec ſic ipſe etiam a quoquam peramarier opto,
Præcipue a domina, ſcis rebus me omnibus unum
Præfeciſſe ducem, ſecluſa conjuge tantum.
Anne igitur legiſque meæ, dominique mei ſim
Proditor? ah Stygias potius detrudar ad umbras,
Eſca vel alitibus, media intumulatus arena,
Mittar: & hæc dicens dominã, thalamumq; reliquit.
Illa autem, ut ſe ſe illuſam, & ſpe funditus omni
Dejectam vidit, tamquam qui fulminis ictu
Percutitur, primum ſtupefacta immotaque paullum
Conſtitit, inde imo ducens ſuſpiria corde,
Aſtringenſque manus, ſe ſe reſupina cubili
Stravit inops animi, deſertaque ſanguine pallens.
At malus hæc ſummo tecti de culmine Dæmon
Aſpiciens, ave depoſita, convertit anum ſe
Rurſus in Iphiclen, miſeramque reviſit Iempſar,
Atque ait, o, quinam caſus te, nata, malignus
Inſequitur? quid cor cecidit? quid pallor in ore eſt?
Ah ne animis cade, ne te ipſam deſere, nata.
En præſto tibi ſum nutrix tua, pone timorem.
Reſpice me. audito nutricis nomine paullum
Erexit ſe ſe in cubitum, tum lumina torquens,
O nutrix, quondam nutrix, nunc dira noverca,
Occidiſti, inquit, miſeram me, nec puer ille
Perdite amat, nec ſe [quod longe eſt pejus] amari
Suſtinet, aut ullis precibus doniſve movetur.
Projeci memet, genus, & decus omne pudore
Fœdavi amiſſo, fractæ ſpes, fœdera rupi

Conjugii: tu cauſſa mali, tu criminis hujus
Principium. quid reſtat ad hæc, niſi cetera ferro
Conficere, & meritã hanc animã demittere ad Orcũ?
Cui dictis falſa Iphicle reſpondet amaris:
Heu, mulier rerum ignara, & male conſcia amorum,
Quid mirum, puer inſuetus plenuſque pudore,
Ceu virgo intacta, ad primos ſi expavit amoris
Aggreſſus, de te dubius, metuenſque pericli?
Non ita res tractanda fuit, nec tu tamen omnem
Spem depone, rudem puerum nam rurſus adibo,
Arguam, & ignarum, quæ ſint facienda, docebo.
Tu tantum triduo exſpecta, lux quarta benignum
Sidus habet, miſeros ſidus quod ſpectat amantes
Conjungitque. ſub hoc Hymenæus ſidere primum
Natus, & ipſe puer Venere enitente Cupido.
His dictis ſe ſe paullum ſolatur Iempſar,
Erexitque cadentem animum. meliora ferant Dii,
Vade, ait; interea ſacras venerabimur aras,
Fundemuſque preces, & amica vocabimus aſtra.
Ergo, ubi luce nova rutilum Sol aureus orbem
Implevit, viſura Deos ſe ſe ornat Iempſar,
Pulchra auro, ſpectanda oſtro, ſpectanda pyropo,
Sed forma ſpectanda magis, proprioque decore.
Quam matrum numeroſa cohors comitatur euntem,
Nec non & famulis præſes formoſus Ioſeph
Lumina dejectus, dominæque ſuique miſertus
It comes. ipſe tamen ſanctas procedere ad aras
Patronam putat, ut commiſſi criminis oret
Expoſcatque Deos veniam, & deovat amorem.
Contra autem illa rogat Divoſque & ſidera cuncta,
Ut faveant votis, & ſint in amore ſecundi.
Hæc eadem celebrat demens & luce ſequenti,
Atque alia, doniſque etiam majoribus aras
Accumulans, pecudum fibras rimatur & exta.
Verum, ubi quarta dies rediit, Solq; igneus orbi
Illuxit, lux ſancta, inquit, lux optima, ſalve,
Sidera vos, ſalvete, quibus conjungere amantes
Eſt amor, & ſobolem mundo ſervare perennem.
Tum puerum acciri carum jubet. ocyus ille
Nil metuens, & jam dominæ ſecurus amorum
Advenit. illa itidem ſperans fore proſpera cuncta,
Nutricis deceptá dolis, ut vidit amatum
In manibus puerum, meus es, meus, inquit, & ipſa
Sum

Sum tua: quid prohibet, ne nos jungamur amantes?
Iſte torus communis erit: ne gaudia differ,
Neu forte contemne tuam. tum pallia captat,
Et trahit ad ſe ſe puerum. ſtupet ille pudorem
In domina amiſſum, tandemque his vocibus infit:
Qui furor, aut quænā mala mens, olim inclyta conjux
Fetifari, nunc hæc adigit te talia poſſe
Moliri? certe Eumenidum nunc te una ſororum
Exagitat, nam [quam reris] non eſt tua nutrix
Iphicle, ſed de Stygiis emiſſa tenebris
Dirarum una, dolis quæ te decepit & aſtu
Illa eadem me aggreſſa malis conatibus auſa eſt,
Sed vetuit tentare Deus. vidi ipſe retrorſum
Cedentem, & formam mentitam, & fumida novi
Sulphura, nidoremque atrum poſt terga relictum.
Talia dictabat puer. at poſt oſtia Dæmon
Qui ſtabat, clauſos magno conamine poſtes
Impulit, intravitque ferox, & lumine torvus
Tartaream effudit vocem, qua terruit omnes.
En ego mentita Iphicle, en ego ſum una ſororum
Eumenidum, una e Stygiis emiſſa tenebris?
Nunc faxo, experiare. ſinuque cita eripit anguem
Peſtiferum, qui ſecreta ſub veſte latebat,
In puerumque jacit. Cuſtos cæleſtis at illum
Reppulit, atque omnes conatus fecit inanes.
At coluber, ſibi ut in puerum ſublata poteſtas,
In miſeram inſidias omnes molitur Iempſar,
Perque ſolum tacite repens, ventremque retorquens
Lubricus, in veſtem inſinuans ſe illabitur: inde
Interiora petens, & viſcera cuncta pererrans,
Tartareum virus jaculatur ad intima cordis.
His monſtris puer interea pavefactus, amictus
Immemor aufugit, ſeque in ſua tecta recepit.
Quem virgo ut fugiſſe videt, atque acre venenum
Senſit, in inſanum ſubito converſa furorem,
Clamorem immenſum tollit, quo ipſa atria, & omnis
Intremuit domus, & timuit vicinia tota.
Non ſecus, ac ſi Vulcanus penetralia cuncta
Involvat, cæloque furens incendia jactet,
Currite io, matres, ſcelus atque audite nefandum
Mancipii Hebræi, qui nunc, proh Juppiter, auſus
Fetifari eſt magni ſacrum violare cubile,
Vimque inferre mihi, niſi nutrix tempore in ipſo

Prompta tuliſſet opem, & ſceleratum veſte relicta
Ejeciſſet. io fugirivum apprehendite, ſervi,
Ite citi, properate, viarum claudite cuncta
Effugia, & domini ſcelus hoc afferte ſub aures.
Talia vociferans miſera effundebat Iempſar.
Omnia quæ falſa Iphicle confirmat, & auget,
Dignum morte fore, hoc ſceleris qui admittere tant
Audeat; exacuitque animos. clam deinde recedit
Nulli viſa, & avi ſimilis ſe immiſcuir atris
Nubibus, & Stygias ſedes atque impia Ditis
Regna petit, lætoque refert crudelia facta.
Interea miſera ſervis comprehenſus Ioſeph
Ducitur, & nemo eſt, qui dicere multa volentem
Auſcultare velit miſerum, non Fetifar ipſe,
Quem jam res audita acri compleverat ira:
Non tamen ut morti damnet, ſed turre ſub ima,
Carceris eſſe locus miſeris ubi ſueverat, illum
Intrudi jubet, & vigili cuſtode teneri,
Tantum olyra vili, limoſo & flumine paſci.
At juveni cæleſtis erat cuſtodia major
Aliger ætherius, ſummo qui miſſus ab axe
Carceris intrarat portas, ubi proxima terras
Nox omnes cæcis tenebris obduxit & umbra:
Ergo alias puero notus, ſolatur amico
Ore illum, firmatque animum, tollitque timorem
Luce nova, excuſſa noctiſque & carceris umbra.
Omnia quæ poſtquam cuſtos Ægyptius alta
Proſpexit de turre, Deus, Deus, inquit, in illa
Luce viget, noſco ſplendorem, & verba notavi:
Nec Deus eſt illic, niſi & hujus criminis inſons
Eſt puer. inſontem ſervabit Juppiter æquus.
Ex illo cuſtos juvenem veneratur Ioſeph,
Et paſcit meliore cibo, quam dura jubebant
Fetifari mandata, & duri carceris omne
Tollit onus, ferrumque pedum, viſitque frequenter,
Solaturque, & ſæpe in cælum educit apertum.
Jamque quater binos Phœbe compleverat orbes,
Quum duo, quorum alter pincerna Pharaonis, alter
Piſtor erat Regis, præ ſuſpicione veneni
In cerere inventi, concluſi carcere eodem
Cum puero Iſacide fuerant. hi tempore parvo
Poſt, utrique una viderunt ſomnia nocte,
Somnia, quæ mox mane novo dum mutua verſant,
Igna-

Ignari, quid portendant monſtrentve futurum
Sollicitis nutant animis. quod pulcher Ioſeph
Conſpiciens, Quidnam, juvenes, tam pectore triſtes
Vos hoc Sole novo video? Nos ſomnia facta
Nocte hac ſollicitos reddūt, quæ exponere, nemo eſt,
Qui ſciat hic, dixere: quibus ſic pulcher Ioſeph:
Somnia vos narrate, Deus dignoſcere forſan
Illa dabit. Dicemus, ait, pincerna, priorque
Ipſe edam. nam Vitis erat pulcherrima ternis
Læta propaginibus, gemmas turgeſcere primum
Palmitibus, mox & flores exire videbam,
Poſt flores gravidis uvas pendere racemis:
Quos jam maturos manibus premere ipſe videbar,
Vinaque diffundens pateris ſpumantia plenis
Regi larga dabam, ſolito Rex more bibebat.
Cui puer interpres: Quidnam tua ſomnia monſtrent,
Expediam. vitam illa tuam pulcherrima Vitis
Oſtendit: gemmæ, flores, uvæque ſecutæ,
Sunt fructus, quos tu peperiſti temporis hujus
Curriculo: dabitur merces, & honoribus ipſe
Reſtituere tuis, & priſtina pocula Regi
Conſueto de more dabis: terna illa propago
Tres luces, quibus hæc veniāt tibi proſpera, mōſtrat.
Tu vero, quum te earum gratumque Pharaon
Accipiet, noſtri [ſi qua hujus gratia facti eſt]
Sis memor, immeritumque iſto die carcere claudi.
Tum piſtor ſimulac vidit dicta omnia recte
Congruere, ipſe etiam, dixit, mea ſomnia pandam.
Nam capiti impoſita ipſe meo tria plena caniſtra
Spectabam, duo farinæ inferiora, ſupremum
Omni opere plenum, omni illo piſtoria quod ſcit
Ars facere, & noſtrum ingenium, ſed cuncta volucres
Exeſſe, & ſecum latas deferre per auras.
Cui bonus interpres: Divum eſt noviſſe futura,
Falli hominis eſt dicam, quidnam tamē augurer ipſe
His ſuper. illa, quibus vidiſti plena caniſtra,
Sunt opera & vitæ fructus: duo prima, ubi ſimplex
Farina eſt, vitæ monſtrant duo tempora prima,
In quibus & ſimplex vita & ſincera peracta eſt:
Summum opere infido plenum eſt, & fraude, doliſque
Omnibus, ingenium quæ, aut ars piſtoris iniqui
Extudiſſe valet, quæ ſunt jam cognita Regi.
At merces horum meritorum & præmia, fœdæ

Sunt volucres, corvi immundi, milvique rapaces.
Vulturiique, caput qui effoſſaque lumina paſcent
In cruce ſuſpenſo: tribus hæc ventura diebus
Terna caniſtra notant: tamẽ hæc me fallere poſſunt,
Si tu animo poſſis mutari, nam & Deus ipſe
Sæpe ſolet mutare mala & convertere fata.
Talia tractabant juvenes, & tertia jam lux
Orbi invecta aderat, quum cuſtos carcere aperto
Pincernam inſontem, noxa pœnaque ſolutum
Declarat, miſerum Regis decreta ſeveri
Piſtorem damnare cruci: de carcere uterque
Ducitur haud æqua ſorte, & longe impare fato.
Hic ad tigna, ille ad Regem ſtipatus ovantum
Et lætus clamore virum, & clangore tubarum.
Vertitur interea ter Solis curſus in alta
Solſtitia, atque novum mundo portaverat annum:
Forteque Rex dulcem prona jam nocte quietem
Ducebat, Deus ex alto quum ſomnia in illum
Immiſit, miranda adeo, ut cedente ſopore
Attonitus Rex magnum aliquid portendere viſa
Crederet. ergo omnes jubet e regione vocari
Chaldæa, Ægyptoque, quibus cognoſcere curſus
Metirique vias cœli, & momenta minuta
Aſtrorum, caſuſque hominum, & prænoſſe futura eſt
Cura audax, nec non magicis qui incumbere ſacris
Conſuevere, & qui ex adytis oracula Divum
Conſulere, & cæſarum oviumq; boumque per exta
Rimari ſecreta ſolent, qui noſcere flammæ,
Qui flui tantis aquæ motus, qui jungere arenæ
Fatalem numerum, & cognoſcere fulminis iras,
Quique vias ſervare avium, & dignoſcere cantus,
Denique, divini rerum quicumque vocantur.
Quorum ingens numerus magni plena atria Regis
Intrarant, alii longis capita alta tiaris
Induti, aſt alii ſpectandi cornibus hirtis,
Auratis alii ſtrophiis. longiſſima mento
Cunctis pendet barba, ipſo ſtat pallor in ore.
Quos ſimulac ad ſe Rex alta a ſede vocavit,
Somnia viſa docet primum, dein munera larga
Promittit, largoſque illis proponit honores,
Somni qui interpres fuerit: noctemque diemque
Reſponſo tempus ſtatuit. ſed noxque dieſque
Venerat, & nemo apparet, qui ſomnia Regi
Eno-

Enodare queat, nulli ſua ſidera, nulli
Ars magica, aut quæſita aris oracula proſunt:
Non artes aliæ, non barbæ, altæque tiaræ.
Ergo hinc iraſci, & triſtis mœrere Pharaon,
Nec quemquam audire, ac ſolo in conclave latere.
Hic Regis pincerna, memor, quæ in carcere Joſeph
Fecit, & ipſorum quam verus ſomnia vates
Expoſuit, ſubito Regem petit, atque ita fatur:
Peccavi, Rex magne, tibi, quæ in carcere vidi,
Non referens. nam ſcis, ut mecum piſtor iniquus
Carcere damnatus fuerit ſub turre magiſtri
Militiæ, eunuchi. forte illo carcere eodem
Petiſari puer Hebræus, puto crimine falſo
Miſſus erat. duo nos [ita ſuaſi] ſomnia quædam
Nocte habita a nobis, juveni narramus. at ille
Divino quodam afflatu viſa omnia nobis
Exponens, mihi, te, dixit, lux tertia ab iſto
Carcere deducet, multis & honoribus auctum
Reſtituet primo officio: te, piſtor inique,
Lux eadem in cruce conſtituet, te immunda volucrũ
Agmina depaſcent, corvi, milvique rapaces,
Vulturiique, niſi ipſe animum convertere poſſis
In melius, ſic namque Deus mutatur & ipſe,
Omnia quæ eveniſſe vides. tua ſomnia certe
Hic puer exponet, magnum nam Numen in illo eſt.
Audit, & Rex lætus ait, vade ocyus ergo,
Duc puerum, & noſtro juſſu de carcere ſolve.
Ille celer mandata facit, puerumque parumper
Ornat, detondetque comas, veſtemque miniſtrat;
Tum Regi adducit timidum. Rex omnia luſtrat
In puero, ſibi cuncta placent, ſic denique fatur:
Te, puer, hi dicunt exponere ſomnia, numquid
Vera ferunt? aſt ille: Deus, Rex optime, ſolus
Somnia noſſe poteſt, & ſicui maximus ille
Hoc dederit. potero ipſe meo pro Rege precari
Atque orare Deum: forſan dabit, omnia quando,
Quæ Regum ſunt, ipſe ſolet curare Deum Rex
Atq; hominũ. deis paullũ animoq; & mente moratus,
Nunc inquit, Rex magne, mihi tua ſomnia pande.
  Fluminis ad ripas Nili ſtare ipſe videbar,
Rex ait, & ſeptem ecce boves e flumine pulchræ
Exire, & late errantes per littora paſci
Florentes herbas, loton, medamque virentem,

Et ſuavem myniantha, quibus pingueſcere, quantum
Plena ſolet, ſacras quæ ducitur hoſtia ad aras.
Vix oculos verti, ecce aliæ per littora ſeptem
Deformes, ægræque, quibus vix pellis adhæret
Oſſibus, apparere boves, quæ carice ſumma
Vix paſtæ & dura paliuro & ſentibus hirtis
Corpora macra, ſuis nervis vix ducta, trahebant.
Obſtupui. nam dira fames atque ardor edendi
Improbus exegit tantum has, ut pinguia ſeptem
Corpora prima boum congreſſæ tota vorarent.
Mox iterum dulcis me habuit ſopor alter, & ecce
Rurſus ſeptem uno ſpicæ conſurgere culmo,
Pulchræque gravidæque & onuſtæ pondere multo,
Mox ſeptem prodire aliæ tenueſque & inanes
Exili e ſtipula, ſcabraque urigine toſtæ,
Quæ ſuccum & decus omne aliarum abſumere viſæ
Sunt mihi. miratus, poſtquam ſopor ille receſſit,
Somnia propoſui multis, ſed dicere nemo
Scit ſenſum & portenta horum: te ſi manet iſta
Gloria, ſi te unum e tantis hæc ſomnia poſcunt,
Toto animo lætare, puer: te fama ſequetur
Perpetua, & tantis a me ditabere donis,
Ut te non videat majorem Ægyptia tellus.
Cui juvenis: Rex magne, Deus te diligit, ipſe eſt,
Somnia qui immiſit, nec, quæ illa intelligat, eſſe ars
Ulla poteſt, quæ auctore Deo non utitur: unde
Nec vates potuere tui, quibus omnibus eſt ars
Abſque Deo. Primum ſeptem felicibus annis
Largius undantem ſolito, majoreque Nilum
Flumine rumpentem ripas, ſecumque trahentem
Felicem limum, fœcundæque æquora arenæ
Fortunata nimis tellus Ægyptia cernet.
His annis tantum meſſis, tantum uberis illa
Colliget, ut non ſufficiant ſolita horrea meſſi.
Ubertatem iſtam pingues nimiumque nitentes
Monſtravere boves ſeptem, quæ e flumine Nili
Exivere, herbas pingues per littora paſtæ.
Hanc etiam & ſpicæ ſeptem, quas pondere onuſtas
Lætaſque plenaſque uno conſurgere culmo
Vidiſti, pariter monſtrant: nam ſomnia viſa
Non duo re, ſed idem oſtendunt. nunc porrige mentē,
Optime Rex: nam ſeptē annos, qui deinde ſequentur
Infelix ſteriles duroſque Ægyptus habebit.

Ipſe

Ipſe intra ripas demiſſo flumine Nilus
Curret iners, ſupraque caput limumque feracem
Non tollet: ſicca arebunt arva omnia, ſicca
Solſtitia, & nulli deſcendent montibus amnes
Conſueti pluviarum amnes ſub ſidere Cancri:
Æthiopum populis nec hiems æſtiva redibit.
Agricola infelix nullo verſabit aratro
Arva, nec arenti mandabit ſemina terræ;
Sed miſeros edet annona cogente juvencos.
Hæc ſeptem docuere boves per littora ſiccæ,
Deformes, macræque, quibus vix oſſibus hærens
Pellis erat. hæc ſeptem illæ rubigine toſtæ,
Squallenteſque ſitu ſpicæ, & ſine pondere turpes
Oſtendunt: duplici exemplo te commonet ipſe
Qui novit ventura, Deus, quo tu quoque ſolers
Commoveare magis, damnoque occurrere poſſis.
Quod facere ut valeas, ſi me fortaſſe requiris,
Sic habeas. majora para primum horrea, & omne,
Quod ſuperat ſegetum his ſeptem felicibus annis,
Coge illic, ſervaque vigil: dein multa talenta
Aurique, argentique in fruges undique emendas
Impende, annorum quantum penuria ſeptem
Expoſcet ventura fami, campiſque ſerendis.
Talia narrabat juvenis, quæ ſingula mente
Rex volvit tacita. tandem & ſic voce profatur:
Hoc certe Deus in puero, nec talia dici
Abſque Deo potuere, nec illi Ægyptia tellus,
Aut Chaldæa videt ſimilem. tum amplectitur illum
Lætitia illacrimans. poſt me tota iſta ſecundum
Te aſpiciet regio, ſervatoremque vocabit.
Sic ait, & chlamydem gemmis oſtroque nitentem
Ferre dat, atque auri torquem circumdare collo.
Mos erat, ut gemma cælata, inſignis & auro
Annulus, antiquo regum de more vocatus
Regius, a nullo, niſi Rege Pharaone, poſſet
Geſtari, aut ſiquis foret ipſo ab Rege ſecundus:
Hunc ſibi Rex digito detractum imponit Ioſeph,
Quo populus poſt regem illum ſciat eſſe ſecundum.
Præterea, qua ſe ſollemnibus ipſe diebus
Invectum mula populis urbique ſolebat
Ceu quemdam monſtrare Deum, ſic mandat & ipſum
Urbe vehi, mulaque eadem procedere Joſeph,
Præclamante tuba: Regi inclinate ſecundo

Quiſ-

Quiſque caput, ſanctoque novos conſpergite flores
Servatori hominum, ſolus qui ſomnia Regis
Expoſuit, qui plena Deo præcordia geſtat.
Talibus ornatus donis, & honoribus auctus
Iſacides juvenis, cuncto acclamante ſenatu,
Præficitur toti Ægypto. Qui ſedulus omni
Ingenio curaque in primis horrea ubique
Magna parat, mox frugum ingentibus undiq;acervis
Collectis, partim terra Memphitide natis,
Partim emtis aliunde implet, ſtipatque, nec ullum
Dat rebus ſpatium: regionem luſtrat, equorum
Imminuit numerũ,atq; hominũ: Dii cũcta ſecundãt.
Urbe erat Helipolis, Solis de nomine dicta,
Cujus Rex, idem & templi Phœbique ſacerdos
Supremus natam formæ & virtutis habebat
Inſignis, quam ſæpe Deus conſultus Apollo
Dixerat haud ulli indigenæ thalamo eſſe locandam:
Conjugium externum fato majore parari,
Quo genus, & clari tollantur in aſtra nepotes.
Ergo iſtæc juvenem monſtrare oracula Ioſeph
Cenſet & antiſtes templi, & Rex ipſe Pharaon.
Quo circa, quum jam ſeptem felicibus annis
Ægypto in tota ubertas, atque omnia ubique
Læta forent, placuit Regi dignis hymenæis
Et thalamo Iſacidem juvenem ſociare jugali:
Lætitiamque augere, dieſque inducere feſtos.
Ergo hæc per ludos & per convivia læta
Dum fiunt ſeptem fœcundi meſſibus anni
Jam finem, ubertaſque, omnis jam copia habebat.
Jamque pererratis Geminis per ſidera Cancri
Sol altos agitabat equos, Ægyptia quum gens
Miratur Nili nulla incrementa videri,
Sed purum & nulla permiſtum flumen arena
Ipſum inter ripas triſti procedere curſu.
Jam tellus fœcunda prius, nunc aret, hiatque
Uſta ſiti, nec ſpes Cereris promittitur ulla.
Semina ſi qua etiam lætis ſparguntur in arvis,
Aut nullos edunt fœtus, aut protinus omne
Enatum fœdæ vitio rubiginis aret,
Aut abit in lolium infelix, fluidumve papaver.
Vivitur ex annis lapſis, retroque coacto
Fœnore, quod primo ſterili vix ſufficit anno.
Verũ, ubi dira fames homines ſe vertere ad herbas,
Et

Et pecus immeritū, atq; immunda animalia adegit.
Regem urbes & rura adeunt, ſubſidia poſcunt.
Rex ad Præfectum cunctos dimittit Ioſeph,
Servatorem hominum. populis hinc horrea aperta,
Et juſtum indictum pretium: gaza undiq; & omnes
Congeſtæ portantur opes: æraria Regis
Complentur: nec adhuc quartus ſe verterat annus
Quid facerent miſeræ gentes? ſola arva ſuperſunt,
Quæ vendant, ſi emtorem habeant, nam ſolus Ioſeph
Eſſe poteſt pro Rege emtor. ergo ille rogatur,
Arva emat, & miſeris det opem, nec pacta recuſet.
Redituum cujuſque agri quintam dare Regi
Promittunt, ſic pacta ineunt, ſic fœdera firmant.
Interea, externas quoniam penuria terras
Hæc eadem affligit, populos it fama per omnes,
Ægyptum ſat frumenti, quod vendat, habere.
Ergo & Sichenus natos affatur Iacob:
Cur non Ægyptum, nati, cur regna beata
Non petitis, cur non nobis alimenta paratis?
Num perimat nos iſta fames? mandata capeſſunt
Natorum deni: fratrum natu ultimus aſtat.
Ut vero Ægyptum petiere, & Oſyrida terram
Frumentis præfectum adeunt, & ſupplice cultu
Ære dato frumenta rogant. cognovit Ioſeph
Germanos, ſtatuente Deo, non cognitus illis.
Prætcritique memor, quamvis injuria multum
Facta poteſt, tamen & patris, fratriſque miſertus
Beniamin, his etiam parcit, tum fatur ad illos:
Unde & quinam hominum ad noſtras acceditis oras?
Illi autem: e terra Canaam, de ſanguine Jacob
Venimus huc cogente fame, quæ plurima perdit
Samariam. domus eſt nobis pleniſſima, primus
Eſt pater, undeni nati, parvique nepotes,
Paſtorumque manus, vernarum eſt plurima turma.
Venimus ergo ad te, nobis alimenta rogantes,
Ne pereat gens tanta: tibi juſta æra dabuntur.
Nec nos immemores erimus. pater optimus urbem
Ipſe regit Sichen, paſtor, cui millia multa
Sunt pecudum: quovis pretio da vivere tantum.
His verbis quamquam frater commotus, & ægre
Abſtinuit lacrimis, ficto tamen omnia vultu
Diſſimulans, quid verba mihi datis, inquit? an ipſe
Eludar? niſi me os fallit vultuſque loquentum,

Exploratores puto. cur mandata paterna
Non geritis? cur nec frater huc venit & alter?
Aſt illi: minime. tales ne rere, precamur.
Per patrem patriſque Deum juramus, adire
Nos juſſit, nos dira fames natu ultimus unus
Cum patre Beniamin adoleſcens reſtitit, & ſpes
Solamenque ſenis: nos, qui ſufferre laborem
Poſſumus, atque moras longarum auferre viarum;
Venimus orantes vitam, mandata putantes
Nulla opus eſſe iſtic ferri: miſerere precantum,
Et miſerere patris, pueri miſerere relicti,
Parvorumque (poteſt pietas ſi in te ulla) nepotum.
Hic lacrimas vix continuit, convertit & ora,
Toto animo & vultu multum commotus Ioſeph.
Inde ait: Eſt mihi firma, viri, ſententia menti, (
Frater ut huc alius veniat: veſtrum hic erit unus)
Obſes, vos alii ad patrem frumenta feretis
Interea. haud aliter (per Regem & Numina juro)
Ulla poteſt vobis abeundi hinc eſſe poteſtas,
Neu faciem ſpectare meam, aut audire loquentem.
Conſulite, & ternis dentur reſponſa diebus.
Sic ait, & cuſtode dato victuque remittit.
Illi, inter ſe ſe poſtquam diverſa locuti
Viderunt Præfecti animum, preſtare putarunt
Ferri multa domum frumenta, loco obſidis unum
Dimitti properare alios iterumque reverti
Emtum alias fruges, alium & conducere fratrem.
Ergo nominibus ſcriptis ſors ducitur, obſes
Extrahitur Simeon. & jam lux tertia mundo
Clara aderat, reſponſa petit Præfectus, at ipſi
Enarrant decreta. igitur frumenta parari
Imperat accepto pretio: clam deinde miniſtros
Admonet, ut ſummis ſaccis æra omnia ponant,
Quod fuerit cujuſque, datum: cuſtodibus obſes
Traditur: at fratres oneratis tergora aſellis
Ægyptum, & multo fratrem mœrore relinquunt,
Samariamq; petunt: quo poſtquã denique ventum eſt,
Atque unum pater e natis ſibi vidit abeſſe,
Clamat, ubi Simeon meus eſt? cur cernere natum
Non datur? eſt ne æger? minime, pater, inquit Iudas,
Sed valet, Ægypti eſt obſes tellure relictus,
Dum rurſus redeamus, & hinc ducamus & iſtum
Beniamin. nam qui frumentum vendidit, ut nos
Vidit

Vidit vir magnus, & ab ipſo Rege ſecundus,
Quæſivit multa a nobis, numquid pater eſſet,
An frater nobis alius: quæ quum omnia recte
Diximus, vos has certe veniſtis ad oras
Exploratores, inquit, mandata paterna
Cur non huc geritis? cur non alium quoque fratrem
Huc duxiſtis? ad hæc reſpondimus omnia. tandem
Summa fuit frumenta dari, nos deinde reverti,
Adduci puerum, interea obſes detur, & unus
E nobis maneat: per Regem & numina Cæli
Juro, inquit, nec vos aliter frumenta feretis
Poſthac, nec me audire umquam aut ſpectare licebit.
At pater, hæc poſtquã audivit, proh ſumme Deũ Rex,
Eſtne adeo infelix alius pater? occidit unus
Natorum, obſes & eſt alius, ſubducitur alter
Cum reliquis, ſimul ut cuncti moriantur, & ipſe
Expectem, ferat hæc noſtras crudelis ad aures
Nuntius: o prius hanc miſeram, Dii, demite vitam,
Talia fundebat lacrimans. circum undique nati
Solantur, tam adverſa bonos non Numina habere.
Mox, ubi depoſitis ſolverunt vincula ſaccis,
In ſummis æs omne datum pretiumque repoſtum
Inveniunt: ſtupuere omnes, ſed triſtis Iacob
Hoc deerat, nati, hoc, inquit, quod funditus omnem
Spem raperet. nam ſi vobis Ægyptia ad arva
Sit reditus, qui vos primum vir maximus ille
Exploratores dixit, nunc nomina furum
Imponet, cauſſam inquirens, qua perdere poſſit.
Nempe ego Beniamin puerum, ſpem patris, & unum
Solamen, non huic tradam fidamque periclo.
Vos alii, ſi fata urgent, Divumque voluntas,
Ite, rei fidei promiſſæ: ego, quidquid apud me eſt
Aurique argentique dabo, quo vos redimatis,
Et fratrem, &, ſi ſors aderit, frumenta feratis:
Quem contra illacrimans juvenis ſic fatur Iudas:
Care pater, nos primum audi, dein conſule nobis,
Atque tibi. nam quo pacto contiget adire
Illum hominem, qui juravit, per regia ſceptra,
Per Superos, niſi Beniamin duxerimus ipſum,
Ille quidem nec nos, nec, qui eſt in carcere, fratrem
Dimittet, faciemve ejus ſpectare licebit?
Verum, ut de nobis ſint dura & triſtia quæque,
Vos miſeri quonam pacto vivetis, & unde

Tan-

Tanta domus? capiti, quæſo, pater optime, tandem
Fide meo, puer iſte omnes ſervabit, & ipſum
Te patrem. mihi præterea duo pignora cara
Sunt, nati, tu illos (concedo) interfice, ſiquid
Adverſi puero eveniat: depone timorem,
Atque omnem defende domum. quod pondera ſaccis
Sint æris poſita in noſtris, juſſiſſe miniſtris
Id dominum certum eſt, incertum, fraude dolove
An pietate magis. nos certe audivimus illum
Inſignem virtute omni, nos vidimus illum
Nobiſcum fleviſſe famem atque incommoda noſtra,
Dum teque, & parvum fratrem, parvoſque nepotes
Commemoramus. age, o genitor, ne tempora differ,
Neu plures innecte moras. & talia dicens
Adjecit lacrimas. victus pater, ibitis ergo,
Tandem ait, & puerum, & regionis dona feretis,
Stactenque, & lacrimas terebinthi, & roſcida mella,
Et gummi, & liquidam ſtyracen, & amygdala amara.
Inſuper & duplex pretium portabitis, & quod
Inventum fuit in ſaccis, & quod data poſcent
Frumenta. interea faciemus ſacra parentum
Noſtrorum noſtrique Deo, quo cuncta ſecundus
Dirigat, & ſervos cælo proſpectet ab alto.
Poſtera Phœbeos currus Aurora vehebat,
Quum pater & nati ſacris de more peractis
Cuncta viæ opportuna parant, & munera & ipſum
Beniamin: quem jam genitor complexus euntem,
Et lacrimans, I, care puer, felicibus, inquit,
Auſpiciis: ſi te rediturum fata reſervant,
Vitam oro. lacrimæ vetuerunt dicere plura.
Tum ſimul & reliquos natos complectitur omnes,
Commendatque Deo. aſt illi bona verba precati
Durum iter & lõgum capiunt, campoſq. relinquunt
Samariæ, Solymenque ſacram: jam conſita Idumes
Prætereunt palmetâ, Gerar, & Tartara vaſta
Syrbotis, tandemque vident Ægyptia regna,
Optatamque petunt Memphim. quos lætus Ioſeph
Suſcipit: atque una fratrem de carcere ſolvit,
Ut vero admiſſis coram data copia fandi,
Sic Rubẽ: Hinc poſtquã diſceſſimus, optime Princeps,
Venimus ad genitorem. illi tua maxima juſſa
Narramus, fratrem duci te velle minorem
Beniamin huc iſtum; tum ſaccis ordine apertis,

Res

Res mira, in ſummis pretium atq; æs omne, quod ante
Exhibitum fuerat, ſe offert: quis miſerit, & cur,
Ignotum eſt, Deus eſt teſtis. verum, ut pater iſtæc
Audivit, viditque, imo ſuſpiria corde
Traxit, & heu, nati, dixit, male Numen amicum
Nos aliquod nunc inſequitur, Fortuna receſſit
Illa bona. e bis ſex natis amiſimus unum.
In vinclis alius longinquis exulat oris:
Nunc ſpes & miſeræ ſolamen dulce ſenectæ,
Beniamin abduci petitur: vos rurſus abitis,
Neſcio quo, & vereor, furum ne nomine captis.
Omnes ut tandem fato pereatis ab uno.
 Nos contra miſerum ſolari. fide parentum
Noſtro & fide Deo, genitor: juſtiſſimus ille,
Ille vir eſt, regio quem tota Ægyptia dicit
Servatorem hominum, ſanctumque piumque fatetur,
Et colit: hinc nihil adverſum durumque timendũ eſt.
His victus ceſſit tandem. Vos ibitis ergo,
Et ducetis, ait, puerum, atque hæc parva feretis
Munera, quæ regio fert hæc, ſtacten, & terebinthi
Reſinam, & liquidam ſtyracem, & amygdala amara,
Mellaque: dein duplex pretium portabitis, & quod
Impoſitum fuerat ſaccis, & quod data poſcent
Frumenta: & demum juſto natumque patrumque
Commendate illi, pueri miſereſcat & hujus,
Atque ſenis natos nimium miſereſcat amantis.
 Talia dictabat juvenis, quum lumina Princeps
Vix lacrimis cohibens tali eſt ſic ore locutus:
Eſte bonis animis, juvenes, ego munera grata
Accipio regionis, & hunc, qui adductus ab omni
Suſpicione puer vos, omni a fraude piabit.
Ite, & feſſa via, fœda & ſudore lavate
Membra, viri; mox luce bona diſcumbite meeum.
 Hæc Princeps famulorũ alii in conclave lavacrũ,
Vaſa alii menſaſque parant. hæc inter Ioſeph
Multa ſuper regno & populis diſponit alendis.
Dein redit ad fratres, magnamque educit in aulam,
Regales ubi monſtrat opes, vaſa aurea ſignis
Cælata, argentumque abacis, ſtatoſque tapetas,
Nec non parietibus circum pendentia longis
Aulea, intextis auro & bombyce figuris,
Quas dicas ſpirare. illic divina ſecutus
Juſſa Abraham, puerum in ſilvas ducebat Iſaac

Ma,

Mactandum: puer ilignis onerabat aſellum
Faſcibus, ipſe pyram genitor vittaſque parabat.
Ille idem dextram vicina in parte levabat,
Crudelemque enſem: demiſſus lumina Iſaac
Et flexis genibus ferituro colla parenti
Præbebat: cæli demiſſus ab axe vetabat
Nuntius, & dextram ſublatam enſemque tenebat.
Parte alia fratrem fugiens tendebat Iacob
In patris antiquas ſedes, cognataque regna,
Euphratem Tygrimque inter: patruelibus inde
Virginibus hauribat aquas: tum paſtor ad undas
Euphratis dum paſcit oves per littora Laban,
Rachelem vocat, & dulces decantat amores.
Talia dum læti ſpectant Iſraele nati,
Spemque aliquam ſibi promittunt, tũ magnus Ioſeph
Jam genio libemus, ait: date flumina palmis,
Vos famuli: tum ſede altus diſcumbit eburna.

Morte præventus, hoc item, quod ſero inceperat, abſolvere non potuit.

HIERONYMI FRACASTORII

CARMINUM LIBER I.

ALCON,

SIVE DE CURA CANUM VENATICORUM.

ASſiduis nuper feſſus venatibus Alcon,
Falleret æſtivi ut faſtidia longa diei,
Corvini qua ſe nemora excelſiſſima cælo
Extollunt, viridi dum captat frigus in umbra,
Dicitur ad juvenem ſenior ſic fatus Acaſtum:
Me ſegnes artus, defectaque viribus ætas,
Et ſuperare juga, & latis diſcurrere campis,
Et torquere leves haſtas, & ferre pharetram,
Nate, vetant, denſaque indagine cingere ſilvas.
Sed te pulvereum curſu tranſmittere campum,
Fer-

Ferre æſtum ſtrigusque, leves agitare Moloſſos,
Et pinguem ſilvis ad tecta avertere prædam
Nunc decet, ac validam pro me exercere juventam.
En arcum, pharetramque tibi, jaculumque relinquo;
Ne tamen uſque adeo plenæ confide pharetræ,
Ut poſtrema canum interea tibi cura putetur:
Quorum ope veloces poteris prævertere cervos,
Aut aprum ingentem, aut fulvum ſuperare leonem.
Ergo age, & hæc tecum ſemper mandata reſerva,
Principio ut generoſa canum tibi copia numquam
Deſit, quæ certam valeat promittere prædam,
Elige degeneri nequaquam ſemine natos,
Sed quos aſſidue ſilvis exercuit altis
Et labor indomitus, ſævarum & præda ferarum.
Nec vero parvi formamque genuſque putaris:
Nam neque ſunt animi, neq; mores omnibus iidem,
Et variæ diverſa canum dant ſemina gentes.
Nam rabidas ſi forte feras te cura tenebit
Venari, & variis caput objectare periclis,
Spartana de ſtirpe tibi, de ſtirpe Moloſſa
Quære canes, *Libycos* illis, acreſque Britannos,
Pannonioſque truces, & amantes prælia Celtas
Adde, nec Hircanos, nec Seras ſperne feroces.
Si vero parvos lepores, capreaſque fugaces
Malueris, timidoſque ſequi per devia cervos,
Delige Pæonios agiles, volucreſque Sicambros.
Quod tibi ſi latebras, abſtruſaque luſtra ferarum
Rimari certa catulorum indagine cordi eſt,
Hunc uſum implebit Perſes, & Saxogelonus.
At genere ex omni præſertim delige quæ nec
Corpore ſit gracili, nec denſis aſpera villis,
Sed ſublime caput, vivacia lumina, & amplam
Oſtentet frontem, atque ingentes oris hiatus:
Cui rectæ ſurgant aures, cui pinguia terga
Dividat in caudam deſcendens ſpina reflexam;
Sint armi lati, ſint æque pectora lata:
Lata alvus, quæ ſic coſtis adjungitur imis.
Ut tamen in ſpatium ſenſim ſe colligat arctum:
Ut cava diductis ſuccedant ilia coſtis,
Excipiant ſiccis quas fortia crura lacertis,
Ima pedum parva ſignent veſtigia planta.
Huic ſimilem conjunge marem, quum vere repenti
Tangit amor genus omne avium, genus omne ferarũ:

Bis

Bis quinos tamen ante dies accenſus uterque
In venerem, venere abſtineant: ſic plena libido
Acrius exſtimulat, vireſque ad ſemina præbet.
Hinc major ſoboles, atque inde valentior exit.
Quæ ſimulac ſe ſe numeroſo protulit ortu,
Selige de multis quos jam præſtare videbis
Pondere: vel ſtipulæ flammis include ſonoris
Ingentem turbam: prolis nam mota periclo
Egregiam ſobolem, melioraque pignora mater
Ocyus eripiet flammis, & inertia linquet.
Illi igitur plenis ubi nondum viribus ætas
Acceſſit, parvum curſu conſcendere collem,
Et molli aſſueſcant ſe ſe demittere clivo.
Hinc tenerum leporem, vel crura infirma trahentem
Sectari capream, & facilem percurrere campum
Incipiat, verbiſque viri parere vocantis.
Nulla mora eſt, ipſis creſcant cum viribus anni,
Jam poteſ hos tuto denſis committere ſilvis:
Perque altos montes, per luſtra agitare ferarum:
Nec minus aut apro, aut fulvo objectare leoni.
Si modo vel capreas, vel dedignabere cervos.
Immodicis tum parce cibis, tum curſibus illos
Exerce aſſiduis: ac mox ad tecta reverti,
Vincla pati diſcant: ita demum libera colla,
Quum res ipſa, uſuſque vocat, majore feruntur
Impete, nec curſum remoratur pigra ſagina.
Hactenus in ſilvis catulos eduximus altis:
Nunc quæ morboſis ſit cura adhibenda, docebo.
Inſomnes quum forte canes occulta fatigat,
Vimque adimit febris, putrem tunc ore cruorem
Ferro emitte levi: dein Bacchica dona roſarum
Miſce oleo, & rapidis ſimul omnia concoque flāmis,
Terque die inſerto demitte in guttura cornu.
Si vero nimio venandi langueat æſtu,
Butyro lapathi ſuccos, Siculique Lyæi
Pocula, contuſumque piper ſimul omnia miſcens
Profubige: ut cerri ſimulae commixta liquoris
Prætulerint ſpeciem, cupido canis hauriat ore.
Immodicam ſed forte ſitim dum ſublevat atro
Fonte canis, lymphæ mala ſi ſucceſſit hirudo,
Cimiceo ſuffire canem nidore licebit.
Aut oleo ptiſanam & ſpumanti melle ſubactam
Incoquere, offenſoque cani præbere vorandam.

Aut

Aut quum terra lues (elavos dixere) palatum
Afficiet miſere, ſilveſtria ſeſama, nec non
Bacchi acidos latices. & chartam ſume peruſtam,
Atque Ammoniaci fruſtum: dein ſingula in unum
Confundens, tetræ cauſſam ſuperilline peſtis.
Tum vero, ardentes oculos inimica perurit
Quum tabes, crebræque fluunt e lumine guttæ,
Jam frondes ſacræ myrti, ſilveſtria & uvæ,
Arenteſque roſas diluto concoque Baccho,
Hiſque affecta levi citus ablue lumina dextra.
Inde oleum, atque ovi niveos immitte liquores.
Quod ſi nativo ſtimulatur coxa dolore,
Lemiulum lapidem [Meditem nomine dicunt]
Urina ſemel atque iterum demerge recenti.
Cui Bacchi dulces, acidoſque adjunge liquores,
Quaque latet peſtis ſumta circumline penna.
Aſt ubi rupta novo manabit ſanguine vena,
Tum murem geminum,ac telā pendentis Arachnes
Ure foco, cineremque undanti impone cruori:
Proderit & ferro candenti tangere vulnus.
Obſtructo vero lotii quum forte meatu
Vexari aſpicies catulum, Cerealia dona
Objice lacte prius ſimæ perfuſa capellæ.
At contra venis ſi quando ſanguis apertis,
Pro facili urina, terram madefecerit atram,
Conveniet lente ferventi lactis aheno
Mollire, & tenues coriandri immittere ſuccos,
Infractumque piper, laticemque undantis olivi,
Infertoque cani paullatim infundere cornu.
Quid? taceam nimio quum decidit ungula curſu?
Frangere namque juvat pallentis grana cumini,
Dentibus, admotaque pedem lenire ſaliva;
Incipientque novi ſubcreſcere protinus ungues.
Fit quoq; ut immundo catulus juguletur ab œſtro:
At tu ſilveſtrem crepitantibus urere rutam
Ignibus, & fumo pariter mulcere ſalubri
Diſce: dehinc acri perfundere vulnus aceto.
Quin aures etiam muſcarum turba moleſta
Imperit uſque adeo, mutilatum appareat alte
Ut caput: ipſe autem venienti occurre periclo,
Et prius has nucibus, viridique putamine tinge.
Quid quum dura canes inter ſe prælia miſceat,
Alter ut alterius percuſſus dente laboret?

Tunc

Tunc etenim cervi flammæ ſubjecta voraci
Oſſa teres, oleo ſubigens frondentis olivæ
Sanguinis in morem, ac vulnus letale perungens.
Quamquam etiam poſſis ramenta inducere ferri.
Namque venenifero ſerpentis ſaucius ictu
Quo valeat, ſcit ſponte ſua reperire ſalubre
Gramen, & ipſe ſibi nullo auxiliante mederi.
Senſerit at rabidos ubi morſus, protinus ipſe
Idæam rutæ foliis, acrique Lyæo
Junge picem, læſæque adhibe hæc medicamina parti.
At mala quum ſcabies miſeros depaſcitur artus
Latrantum, & fœde miſerabile corpus adurit,
Ceruſſam, ab lomenque bovis, reſinamque tenacem,
Butyrumque recens viridantibus incoque ſenſim
Lentiſci foliis, infectaque membra perunge.
Sed tunc præcipue ſolerti mente cavendum eſt,
Quum rabie accenſus nunc hos, nunc impetit illos.
Ipſi infenſus hero, datque inſanabile vulnus.
Ergo illum primo valida compeſce catena:
Inde roſæ agreſtis radicem pondere ſaxi
Contuſam vivi fontis conſperge liquore,
Ut potus ſpeciem lino colata nigranti
Præferat: hac ſumta, revocari ad priſtina tradunt
Senſa canem, ac poſita rabie miteſcere rurſum.
Sunt qui ſilveſtres ficus, adipemque vetuſtum
Contundant: ederas alii ferventibus undis
Emollire jubent, donec pars una ſuperſit
E tribus, atque ipſis foliis, tepidoque liquore
Paſcere quadrupedem, Aurora ſurgente furentem.
Nil tandem uſque adeo prodeſt, ac prima ſub ipſum
Principium morbi reſcindere ſemina ferro.
Nam qua parte imo conjungi lingua palato
Cernitur, & fauces, nativo concolor auro
Occupat, in rabiemque feros agit uſque Moloſſos
Vulnificus vermis, ſuffundirque ora veneno.
Quem ſi quis potuit ferro reſecare, potentem
Is tanti abſtulerit cauſſam, ſtimulumque furoris.
Quæ ſuperant, olim: nunc prædam ad tecta jacentem
Ferre monet præſens fugientis temporis hora:
Quandoquidem calamos poſuit Coridallus acutos,
Et jam ſubluſtres invectat Luna tenebras.

II.

I I.

IN OBITUM
M. ANTONII TURRIANI
VERONENSIS,
AD JOANNEM BAPTISTAM
TURRIANUM FRATREM.

ETſi egomet tanti caſu perculſus amici
 Solamen noſtris diſcuperem lacrimis,
Ne mea perpetuo manarent lumina fletu,
 Pergeret aut tantus urere corda dolor,
Attamen, ut mi animi valuit concedere amaror,
 Iſtæc mœſta tibi carmina perſolvi:
Quo fortaſſe meis conſolarere Camœnis,
 Si miſeros quidquam Muſa levare poteſt:
Ac ne tu in lacrimas paullatim totus abires,
 Liquitur ut pluvio tacta pruina Noto.
Quandoquidem cari fato te fratris acerbo eſt
 Rumor in extrema vivere triſtitia,
Nec jam poſſe quietis habere, aut commoda ſomni,
 Sed cedente die, ſed redeunte queri:
Mœrentemque, vagumque, & turpem fletibus ora
 Amiſſum totis quærere littoribus.
Fertur ut Eridani ripas erraſſe per omnes
 Anxia fraterno funere Lampetie.
Septem quam perhibent ſomni ſine munere noctes,
 Jejunam ſeptem continuaſſe dies.
Et, quoties longo defeſſa errore viarum
 Umbroſi in ripa concidit Eridani,
Reddite vos Phaetonta mihi, clamabat ad undas,
 O quæcumque ſub hoc flumine Nympha latet.
Te tamen, ullius ſi cuiquam morte dolendum eſt.
 Juſta quidem tanti cauſſa doloris habet.
Quandoquidem immatura morte tibi omnis frater
 Commoda, teque ipſum perdidit, atque tuos:
Perdidit hei miſero carus tibi frater ademtus,
 Quo tibi non ullus carior alter erat.
Ille amor, ille tuæ ſolamen dulce juventæ,
 Ille tuæ fuerat ſpes, columenque domus:
Qui cum verſari ſemper, quicum eſſe ſolebas,

Atque animi arcana dicere conſilia:
Unum mirari, atque unum præponere cunctis:
Ambroſiæ e cujus effluere ore lepos.
O nimium miſeri nos, & genus ærumnoſum,
Deterius quorum eſt conditione nihil.
In nos ſævitum eſt bello. quo durius umquam
Vidit nulla ætas, nec feret ulla dies.
Servitium tulimus crudele, & barbara juſſa,
Parſque domos caras liquimus, & patriam.
Relliquias, miſeroſque abſumſit tabida cives
Peſtis, & huc illuc ſævit Erinnys adhuc
Nec ſat erat: miſeri crudelia funera COTTÆ
Flevimus, o indigna COTTA peremte nece.
O COTTA infelix, quæ te fata impia nobis
Tam ſubito ante tuos abripuere dies?
Jam neque finierant gemitus, & lumina ſiccis
Non bene ceſſarant triſtia flere genis,
Quũ tu, MARCE, cadis, quũ nos tot triſtibus actos
Deſeris, heu falſos credulitate tui.
Non hoc vivida nos tua jam ſperare juventa,
Hoc tua non virtus, non benefacta dabant,
Exanimem ut nos te juvenem, nec jã ulla loquentem
Externa miſeri contegeremus humo:
Sed fore, quem fama virtus æquaret Olympo,
Unus qui multos inſtrueres populos.
Qualis ab ætrio decurrens monte jugi fons
Communes multis ſufficit unus aquas.
Nã quid ego aut laudes memorẽ, aut tua maxima la-[udũ]
Præmia? quam humano profueris generi:
Aut quam ſæpe animas poſitas jam ſedibus Orci
Ad ſua Apollinea membra vocaris ope?
Vos teſtes, Ticine, & qui inter paſcua læta,
Medoace, antiquos abluis Euganeos:
Illo quos fama eſt naturæ arcana docente,
Sæpe inter Nymphas obſtupuiſſe ſuas:
At nunc amiſſo turbatis fleſſe ſub undis,
Inque mare aſſuetas non habuiſſe vias.
Non tamen aut ſoli, nec vos magis omnibus, amnes,
Indoluiſtis acerbo illius interitu.
Illum etiam Grajæ, & Nymphæ flevere Latinæ,
Illum etiam Tuſcis Calliopea modis.
Quin etiam ſilvæ, & montes gemuiſſe feruntur,
Et vos extremi fleſtis Hyperborei.

Sed

Sed mage Benacuſque ſenex, & Sacra, ſepulti
Qui prope vicinum prætereunt tumulum.
Sed magis ipſe Atheſis, olim qui corpus humandum
Condendum caram perferet in patriam.
Ne extra cognatos cineres, atque oſſa parentum
Illum perpetuo terra aliena tegat.
Tunc vos o patrio prognatæ Najades amne
Spargite odoratis plena ſepulcra roſis.
Tempus erit, quum poſteritas mirata nepotum,
Quantum iſti, dicent, ah tribuere Dei!
Atq; aliquis monumenta legens, & ſcripta jacentis
Devota ad mutos ſerta feret cineres.
Interea, o vos Benaco centum patre Nymphæ,
Sacraque ab Alpinis edite verticibus,
Et vos o Naci rupes, & ſaxa Briani,
Et nemora umbroſis denſa cacuminibus,
Ferte aliqua, o nunc ferte meo ſolatia BATTO,
Et tantam ex animo demite triſtitiam.
Quem neque ſancta poteſt Sophie complexa levare,
Muſa nec aſſuetis ſedula carminibus.
BATTE, tamen vates, longum ut quæſiſſet ademtã,
Et longum fleſſet Thracius Eurydicen,
Nullo ſolatus, blando quam carmine, curas,
Nullo, quam Sophia, dicitur eſſe magis.
Illi, ſeu Rhodopes ſilvis erraret in altis,
Sive in deſerti Strymonis aggeribus,
Semper Muſa comes, ſemper pendebat eburna
Ex humero numeris docta ſonare lyra.
Ille orbem immenſum ſemper ſpectabat, & orbis
Ornatum, puris ſidera luminibus,
Et maria, & montes vaſtos, atque irrequieta
Flumina, tum quidquid denique terra parit,
Quorum animadvertens certa ſub lege tenorem,
Paullatim caram ſenſerat Eurydicen
Deleri, & triſtem mutari in gaudia mentem;
Tantum animos rerum forma levare poteſt.
Aſpice lucentem Lunæ Titanidis orbem,
Et cum Sole ſuo quæ ſuper aſtra micant.
Omnia ſunt æterna, & vitæ juncta perenni:
Quæ loca felices Diique animæque colunt.
Inferior Leti regio eſt, ſedeſque malorum,
In qua eſt, quod felix intueare, nihil.
Quippe ſolũ hoc ventiq; imbreſq; & cuncta fatigãt,

Quæcumque aeria de regione cadunt,
Adde æſtuſque, hiemeſque, & morborũ genus omne,
Tum natura aliqua eſt indiga ſemper ope.
Nos porro deſideriis mala plurima noſtris
Junximus, o præceps in ſua damna genus.
Hinc odia, & timor, & lites, & bella cruenta,
Et via non uni plurima aperta neci.
Attamen in tantis ærumnis eſt animi ſpes
Unica, quem melior vita beare poteſt.
Quippe, ubi præfulgens ulla virtute reliquit
Corporeum, ſedes advolat ætherias,
Semideumque domos, & Divum morte carentum,
Hic, ubi non æſtas, nec fera ſævit hiems:
Nec dolor, aut deſideria infelicia noſtri,
Nec ſors partem aliquam, nec rude vulgus habet:
At ſancti heroes habitant, gens inclyta bello,
Ingenuique, novem qui coluere Deas:
Quique pii, juſtique, Deum præcepta ſecuti,
Et ſanctæ inſignes qui fuerunt Sophiæ.
Quos inter tuus ipſe recens a funere frater
Miratur cælum, Cælicolumque domos,
Æternamque diem, & felicem ex ordine gentem:
Inter quos gaudet ſe quoque dinumerans.
Quem circũ illuſtres animæ, PROAVIQ; PATERQ;
Intentos oculos ore Nepotis habent,
t pulchram effigiem agnoſcunt: miratur & ipſe
Egregiam ſtirpem, magnanimumque genus:
Agnoſcitque ſuos, & facta, & nomina diſcit:
Tum quantum ſit adhuc terra habitanda tibi.
O fortunatum nimium, triſtem ante ſenectam
Carpere iter cæli cui potuiſſe datum eſt.
Quas ſyrtes, quos & ſcopulos poſt terga relinquis,
MARCE! tibi a quanto eſt ſalva carina mari!
Fortunate iterum: tu non incommoda vitæ
Paſſus adhuc, non quæ plurima habet ſenium:
Sed dulces inter Muſas, & Apollinis artes
Fortunata nimis vita peracta tibi eſt.
I, decus Auſoniæ juvenis, numeroque Deorum
Te immiſce: culta eſt jam tibi terra ſatis.
Illa tuum, dum ſidera erunt, dum flumina current,
Nomen in aſtra memor, & benefacta feret.

III.

AD JOANNEM BAPTISTAM TURRIANUM, VERONENSEM.

BATTE, animos quando triſtes, curaſque levare
Muſa poteſt, ego nunc ſortem, caſuſq; ſupremos
Ipſe meo triſti ſolabor carmine tecum.
Et tecum dulces natos, quos funus acerbum
Abſtulit, æterna & pariter caligine texit,
Conquerar: ut ſaltem tenebris, & nocte perenni,
Quantum opis eſt noſtræ, miſerorum nomina demã,
Quæ potui, dum vita illos auræque fovebant,
Exhibui genitorque, gubernatorque duorum
Infelix. primas alter vix fingere voces,
Alter adhuc teneris jam tum decerpere ab annis
Prima rudimenta, atque omen præbere parenti.
Quos ego [ſed *Zephyri ſpes* portavere paternas]
Cenſueram, ſi fata darent, quum poſceret ætas
Fortior, ad dulces tecum traducere Muſas
Aſſiduos, citharamque humeris ſuſpendere eburnã.
Inde, ubi jam cælum, ac Solem, fulgentiaque aſtra,
Terramque, & liquidos ignes, æquorque profundũ
Mirari inciperent, latiſque animalia campis,
Te monſtrante viam, te rerum arcana docente,
Mens fuerat dulces Sophiæ deducere ad hortos.
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favonii
Semper alit, ſemper cæleſti nectare paſcit.
Hic tremulo, & longa confecto ætate parenti
Purpureos legerent flores: ſeniique levamen,
Threicia canerent cithara, quæ plurima quondam
Audiſſent te populea meditante ſub umbra,
Divino mirantem Atheſim dum carmine mulces,
Et rerum canis, & teneri primordia mundi.
Fortunate ſenex, ſi natorum ore referri
Fata ſinant, ut nata chao antiquiſſima rerum
Materies viſi correpta cupidine pulchri
Arſerit, atque Deum thalamo complexa, jugarit
Corpora prima: quibus diſcordia nata hymenæis,
Et diviſa locis, ſuprema petiverit ignis
Purior, & nitidis vicinus ſederit aſtris:
Quem juxta per inane amplum ſe fuderit aer:
Ima autem tellus vaſto circum obruta ponto

Conſtiterit: quã dudum hinc inde agitantibus undis
Subſterni late campi, deformiaque arva
Paullatim apparere ſupra, & concreſcere montes
Cœperunt, procul & nudas oſtendere cautes,
Mox nemora, & virides undis mirantibus ornos.
Montanis tum ſpeluncis, & rupibus altis
Exſiluere udæ formoſo corpore Nymphæ,
In viridi flavos ſiccantes littore crines.

O fortunatum nimium, ſi Numina tantum
Hæc mihi ſervaſſent, ſi non caſura dediſſent.
Verum aliter Lacheſi viſũ eſt, quo tempore primum
Natorum cœpit producere fila duorum.
Quippe auram miſeri, & dulcem noſcere vitam,
Spemque ſui dederat præbere: alia omnia ventis
Tradita, nocte atra & tenebris involverat Orci.
Non licuit firmos annis, virideſque juventa
Inſpicere, & caræ ad metam deducere vitæ.
Nec potui votis, nec ope adjuviſſe paterna
Clamantes, fruſtraque patris ſuprema petentes
Auxilia, & nota nequidquam voce vocantes.
Heu mortem inviſam: quis te mihi, PAULLE, Deorũ
Arripit, & miſerum complexibus abſtrahit iſtis?
Tu prior immiti correptus morte, parentem
Deſeris, & dulces auras, & lumina linquis.
Quod te ſi tali dederant ſub lege futurum
Fata mihi, non jam fuerat mœroris abunde?
Non gemitus? quid me e tam multis patribus unum,
Cælicolæ, lacrimiſque novis, & morte recenti
Opprimitis, caroque etiam ſpoliatis IULO?
Heu, miſerande puer, quanto plena omnia luctu
Liquiſti abſcedens! quem non veſana Deorum
Incuſavit inops, quum te complexa jacentem
Aſpiceret laniata comas & pectora mater?
Ah miſera, ah male fauſta parens, quid Numina fletu
Sollicitas? jacet ille, velut ſucciſus aratro
Flos tener, & fruſtra non audit tanta gementem.
Ah miſera, ah quid ſublatum complexa moraris?
Ille tuus non jam eſt. Vos illam in funere, matres,
Collapſam accipite, exanimemque reponite tectis.

At vos, inſontes animæ, cariſſima nuper
Pignora (quod mi ero ſupereſt optare parenti)
Semper avete mei, ut licuit, ſemperque valete.
Seu pulce Elyſium functos, umbræque tenebunt

San-

Sanctorum nemorum, puro ſeu ſidera cælo,
Ipſe ego vos ſemper lacrimis, vos carmina triſti
Proſequar, & veſtris perſolvam juſta ſepulcris:
Donec me vobis tenuem conjunxerit umbram
Summa dies, natis æquat quæ ſola parentes.
Interea curas numeris, muſaque levemus,
BATTE, animos: quando rerum mortalis origo eſt,
Quando etiam vitæ norunt vaſta æquora finem.
Scilicet, & quondam veniet labentibus annis
Illa dies, quum jam curvo ſub vomere taurus
Deſudet, terramque gravis proſcindat arator,
Nunc ubi cæruleæ roſtris ſpumantibus undæ
Sulcantur, verruntque citæ freta longa carinæ.
Nec vos, o liquidi fontes, æterna manebunt
Sæcula, ſe tanto quamvis pater efferat amne
Eridanus, tumiduſque fluat tot cornibus Hiſter.
Quin etiam aerii montes, mirabile dictu,
Taygetus, Syphiluſque, jugo & Cymbotus opaco
Innumeras poſt æſtates, ac ſæcula longa,
Senſerunt ſenſumque ſuum, ſupremaque fata:
Ex quo materies thalamos, primoſque hymenæos,
Atque elementa novus ſenſit diſcordia mundus.

IV.

AD DANIELEM RHAINERIUM

Veronæ Præfectum, Senatorem ampliſſimum.

RHAINERI venerande, uno quo ſoſpite, nondum
Juſtitia, & virtus terris antiqua receſſit,
Multa quidem monumenta tuis ſub faſcibus Urbis,
Multa cadunt antiqua piorum & templa Deorum,
Et Bromii vites, & amicæ Pacis olivæ.
Verum hæc ex Urbis re dilabuntur, & ipſi
Ultro etiam ſua tecta volunt procumbere Divi.
Ah, ſaltem antiquo medicorum parcere ritu
Faſque, & ſuetus amor pietatis, & inclyta virtus
Magna tui valeant. valeant hoc more vetuſto,
Quo noſtri vixere atavi, vixere parentes,
Te duce venturi longum ſuperare nepotes.
Sanctior hic templis, hic Divum eſt ſanctior aris,
Quem neque tempus edax potuit, nec ſæcula tot jam
Non belli rabies, non ipſum infringere ferrum.

Tantum eſt juſtitiam violari, & fœdera rumpi.
Scilicet & ſacra eſt medicina, vetuſque Deorum
Inventum, & ſacri medici, quibus auctor Apollo:
Qui revocare animas jam caligantibus Orci
Faucibus impoſitas ad caræ munera vitæ,
Ætherioſque hauſtus, & dulcia lumina poſſunt:
Qui genus innocuum, vitæque ad publica nati
Commoda, divinas tantum didicere per artes
Exercere ævum, atque humanæ præeſſe ſaluti.
Hos æquum eſt te præcipue, longeque tueri,
RHAINERI, ante alios, idem cui ceſſit Apollo
Ipſe ſuas artes, & munera nobilis otii:
Quemque domos Divum docuit, perque omnia duxit
Sidera: quem Grajo inſignem Latioque cothurno
Secretas dedit Aonidum percurrere ſilvas,
Et calamos, citharamque humeris ſuſpendit eburnā.
Idem te dulces Sophiæ deduxit ad hortos,
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favonii
Semper alit, ſemper cæleſti nectare paſcit.
Salve, magne parens, qui tot virtutibus auctus
Urbem juſtitia, & Divis in pace ſecundis
Egregiam moderare, Atheſis qua flumine pulchro
Labitur, & placido ſecat arva virentia curſu.
Tu quoq; magna virū genitrix, urbs inclyta, ſalve,
Cura Deum, VERONA: tui ceſſere labores,
Ærumnæque graves, atque horrida Martis imago,
Sanguinis & veſana ſitis, & triſtis Erinnys.
Barbara jam ceſſit rabies. & in Alpibus atrox
Sævitiam miles, gelidumque exercet ad Albim.
Jam duros nimium ſervitus, & fera juſſa
Deſuemus perferre, ullos non jam urbe Tyrannos
Conſpicimus, ſed te, RHAINERI maxime, ſed te,
Magne pater, uno tandem quo ſoſpite, nobis
Jam bona Libertas rediit, Pacemque per agros
Læta Ceres, Bacchique chorus comitantur ovantes.
Gaudete o quicumque boni ſperatis agreſtes,
Quorum amor eſt ſobolis, ſtudiumq; nepotibus arva
Incolere, & parvas ulmis attollere vites.
Tempus io, nunc tempus adeſt, quo ſæcula Parcæ
Aurea nent, tandem quæ nunc te Præſide læta
Incipiunt: ſed erunt nobis tunc maxima, quum te
Inſignem ſceptro Venetum, ſanctaque tiara
Regna ſalutabunt terris diffuſa, tuumque,

Qua

Qua Sol exoriens viſit, qua deſerit orbem
Occiduus, late clarum feret Hadria nomen.

V.

AD JOANNEM MATTHÆUM GIBERTUM, EPISCOPUM VERONENSEM.

Ille tuus, GIBERTE, ſacras qui in montibus aras
Melſineis tibi conſtituit, qui teque, tuumque
Per nemus omne canit, perque omnia littora nomē,
Hæc enata ſuis mittit tibi poma ſub hortis
Aurea, quæ quondam Medorum e finibus Atlas
Tranſtulit, & magno ſervabat tuta Dracone:
Mox victor ſacra expolians pomaria Perſeus,
Dum levibus noſtrum talaribus aera tranat,
Donavit Charitæ Benaci ad flumina Nymphæ.
Inſuper hos, GIBERTE, tibi dat munera piſces,
Qui quondam Etruſci nautæ, noſtraque fuere
Effigie, nunc Benaci ſub gurgite nantes
Cærula converrunt ſinuatis æquora caudis.
Quod ſi forte juvat tanti miracula facti,
Atque hominum quondam verſas audire figuras,
Ipſe edam, Saloi quæ quondā ad littora BATTUS,
BATTUS amor Dryadū cecinit, mihi rettulit Ægon.
Forte ſenex Cretæ patris Saturnus ab oris
Ab Jove depulſus, regnum ſedeſque quietas
Quærebat Latio in magno, fataliaque arva:
Jamque diem medio Sol inclinabat ab axe,
Quum feſſus, longaque via ſiccatus & æſtu,
Ad vada Benaci viridi proſpectat in herba
Veſcentes nautas, & puri grandia Bacchi
Pocula miſcentes: placido quos ore ſalutans,
Ecquis, ait, veſtrum, pueri, ſuccurrit egenti,
Defeſſoque ſeni? quis pocula parva miniſtrat,
Extinguitque ſitim? poſcenti illudere nautæ,
Et ridere ſenem. quis enim præſentibus undis
Poſſit habere ſitim? en flumine largius illo
Ebiberis, gelidaque æſtum ſolabere lympha.
Illuſus Deus immiſſis in flumina palmis
Haurit aquas, pronuſque bibit: tum verſus ad illos,
Quo tamen e pretio, pueri, ducetis ad illas
Remigio cautes, quæ fluctibus undique circum

Clauduntur, mediiſque jacet parva inſula in undis ,
Oſtenditque locum: pretium gens impia iniquum
Poſtulat. at pactus ſenior tamen omnia firmat ,
Adjuratque Deos teſtes, ſcanditque phaſelum .
Illi autem, dum nave cita liquida æquora ſulcant,
Ignari, quiſnam ſedeat Deus, Eja age nobis
Fare, ſenex, quoniam latebras pro crimine quæris?
Anne fugam ſubrepto auro , dominoque relicto
In loca tuta paras? Sed te tua fata ſequuntur ,
Demens, quem nullæ poterunt ſervare latebræ.
Nomine Carpus erat,qui tam temeraria verba
Dixerat, ingeminant comites, aurumque repoſcunt,
Proferri ſubreptum aurum: ni proferat, omne
Vi rapiant, pulſumque rate in media æquora turbēt.
Quos placidus dictis ſenior demulcet amicis .
Etruſci nautæ, quæ nunc mens impia ſuadet
Nec ſervare fidem vos, nec meminiſſe Deorum?
Dicenti jam vis, jam dextra infertur. At ille ,
Qui tandem agnoſci poſſet Deus, Impia, dixit ,
Gens inimica Deum, dabitur, quod poſcitis, aurum,
Hoc imo ſub fonte aurum paſcetis avari .
Dixerat. Aſt illis veniam poſcentibus & vox
Deficit, & jam ſe cernunt muteſcere, & ora
In rictum late patulum producta dehiſcunt :
In pinnas abiere manus, votiſque rigeſcit
In ſquammas, candamque pedes ſinuantur in imam.
Qui fuerat ſubita obductus formidine, manſit
Pallidus ore color, quamquam livoris iniqui
Indicium ſuffuſa nigris ſint corpora guttis.
Carpus aquas,primus Nomen qui læſit, in amplas
Se primus dedit, & fundo ſub condidit imo.
Inde alii celeri ſe ſe in media æquora ſaltu
Præcipitant,vacuamq; ratem, & ſine remige linquũt
Jamque Deus ſuper unus erat: ſubit ipſe [illegible]
Munus, & adductis pelagi petit ultima ripis
Expoſitus ripa placidas converſus ad undas ,
Ecquid io, Nymphæ Benacides, iſta ſuperſit
Navis, & hunc amnem ſacrum male fauſta carina ,
Et veſtras ſulcabit aquas? En certe ita & hujus
Criminis hoc ſcopulo ſemper monumenta manebũt.
Dixit, & in partem rupis converſa pependit
Cum remis ratis ipſa ſuis, ubi cernere conchas
Nunc etiam licet, externo quas littore nautæ

Col-

Collectas miſeri media impoſuere carina.
Ex illo nunc Benaci per littora nantes,
Atque auri venas fundo paſcuntur in imo,
Nunc etiam a primo retinentes nomina Carpo.

V I.

AD MARGARITAM VALESIAM

NAVARRÆ REGINAM.

Cæſaris Fregoſii nomine

DUM me Cenomanos inter tenet Itala tellus
Zefredique arces, mens autem neſcia claudi
Libera trans gelidas Alpes Rhodanumque vagatur,
Trans Ararim, cælumque beatum & Gallica ſemper
Regna videt, Regemque ſuum, tecumque moratur
Aſſidue, verſatque tuas ſub pectore laudes;
Ecce mihi cælata auro gemmaque nitenti
Armipotens, galeaque ferox & Gorgone Pallas
Oblata eſt, ſeu ſors tulerit, ſeu fata dedere.
Continuo viſa ante oculos effulgere imago
Magna tui, inque ipſa micuerunt Pallade vultus.
Virtuteſque tuæ, moreſque, & facta, decuſque.
Quippe illam e cunctis ſic tu mortalibus una
Aſſimilas, ſic una refers, in Pallade ut & tu
Noſcare, & Pallas in te. ſive illa Minerva,
Seu dici Bellona velit, conſenſus utrimque
Eſt idem, ora, animi, genius, cognataque virtus.
Jure igitur tibi debetur, tibi convenit uni
Gemma, aurum, effigieſque Deæ: ſive eſt Polycleti,
Sive Myronis opus. placeat tibi munus: imago
Eſt tua: ſit gratus cum munere, muneris auctor.
Quod ſi digreſſus paullum, & provectus amore
Pierio, dum me dulces per grandia Muſæ
Facta tua, & dum per monumenta heroica ducunt,
Ipſe tuas memorem laudes, quibus æthera ad altum
Scandis, & illa ſimul referam, per quæ una Minervã
Uſque adeo aſſimilas, juvet auſcultare canentem,
Si vacat, & ſolitæ ſunt te oblectare Camœnæ.
Illa parente Deo Jove magno, fratre ſuperbit
Gradivo. tum forte acres in bella phalanges
Si quando exacuit, late timor occupat urbes,
Turbati tremuere hoſtes, ac terga dedere.

Ipſa haſtam quatit atque horrenti Gorgone ſæ.it.
Ante Deam diræ effigies, Terrorque, Minæque
Sanguineæ, & dans terga Pavor, Viſque impia, & iræ,
Vinclaque, Vindictæque aſtant, & Mortis imago.
At vero poſitis armis, atque ægide dira,
Mollius humanas ſi demittatur ad artes,
Manſuetoſque uſus, tum dulcia carmina cantat,
Et facilem exercet Muſam, aut heroica geſta
Deſcribit, numeriſve orbes metitur & aſtra.
Sin autem imperiis & majeſtatis honore
Gaudeat, æternæ ramis inſignis olivæ
Aut juſtas ſancit leges, aut jura miniſtrat,
Aut arces ſtruit, aut medias regina per urbes
Incedit, matreſque ſuper longe eminet omnes:
Condenſi agglomerapt ſe altis clamoribus Afri,
Spectatumque ruunt, araſque & publica ponunt
Templa Deæ: plauſu reſonat Tritonia ripa.
Tu pariter magno Gallorum Rege Deoque,
Ac Jove nata ſimul, Germano Marte ſuperbis.
Nam Martem quiſnam eſſe neget, ſeu fortia nudus
Brachia, prævalidoſque artus, atque Herculis armos
Oſtendit, taurumque uno proſtraverit ictu:
Sive acrem, pictiſque armis ſpectandus & auro,
Preſſit equum, ſtruxitve acies, & victor in hoſtes,
Ceu torrens, ſigna atque viros ſternitque fugatque:
Fulmineove Jovis tonitrus imitatus & arma
Tormento, muros & magnas diruit urbes?
Te quoque tantorum comitem, partemque ſecundam
Bellorum, ſi quando acies atque arma movenda
Perculſæ tremuere urbes, horrorque, pavorque
It campis, Mars germanam comitatur ovantem:
Attoniti ſpectant populi gaudentque tueri
Nunc primum, nunc & medium, nunc agmen obire
Poſtremū, nunc pellere equum, nunc tēdere in hoſtē,
Turbantem cuneos, & abactis agmina ſignis.
Aſſiſtunt comites circum Solertia, & Aſtus,
Et magna audentes Animi, & Tolerantia dura,
Curaque, Sedulitaſque vigil, Speſque alta, Laborque,
Et Divum Favor, & ventis Fortuna ſecundis:
Pone ſequens magno graditur Victoria plauſu.
Nec minus horrenti a bello, partiſque triumphis
Si juvat ingenii, paciſque incumbere in artes,
Nunc lauro redimita comas, imitata ſorores

Ca-

Caſtalias, plectis numeros, & carmina dictas,
Carmina nec rerum fato ſubjecta, nec ævo:
Nunc magnos dimenſa orbes in templa Deorum
Attollis animos, patrioque aſſueſcis Olympo:
Nunc tua deſcribis vel regum geſta tuorum,
Aut eadem depingis acu. ſtant curribus altis
Et pater, & proavus, cunctique ex ordine reges,
Captivoſque hoſtes, & vinctos colla Tyrannos
Ante rotas longis ducunt in templa triumphis:
Ipſa opus & textum ſtupet immortale Minerva.
Quam vero, o quam te dicam, quum legibus æquis
Juſtitiaque feros populos frenaſque, regiſque,
Et divina doces jura, & civilia ferre:
Aut arces tollis, aut propugnacula condis:
Aut matres inter medias, populoſque frequentes
Incedis Regina. Favor comitatur euntem,
Majeſtaſque, Pudorque, tamen qui Pallada poſſit
A matam, & Martis gradientem in bella decere.
It dextra Pax læta manu, & prætendit olivam.
Applaudunt Sequani, floreſque & lilia paſſim
Effundunt, gaudentque tuas attollere laudes,
Reginamque, Deamque, ſalutiferamque ſalutant,
Et pace inſignem, & bello ferroque potentem.
Fortunata nimis, magnus quam Cæſar, & omnis
Suſpicit admirans orbis, cui lumine tellus
Felici arridet, totus cui militat æther.
Diis quamquam viſum aſpectu tibi debita regna
Paullifper privare tuo, ſeu crimine cives
Id meruere aliquo, ſeu te tua fata reſervant
Ad majora, viamque tuis virtutibus amplam
Expediunt, panduntque. Etenim jam tempora læta
Illa inſtant, quum poſt lacrimas, poſt publica vota
Te tandem tua regna novis decorata trophæis
Accipiant, & juſta tibi ſollemnia ſolvant.
Jam ludi, feſtique dies, jam ſacra parantur:
Jam placidus ripa gaudet Meniaſcus amœna:
In templis pueri impubes, mixtæquæ puellæ
Sacra canent, ortuſque tuos ad ſidera tollent:
Ut naſcentem ulnis primæ excepere Camœnæ,
Melleque, & Aonio tetigerunt ora liquore:
Ut Charites fovere Deæ, & decus omne dedere:
Ut parva in numerum pedibus cunabula Divæ
Pellentes, manibus nentes fatalia penſa

Gran-

Grandia concordes cecinerunt fata Sorores.
Stabunt ingentes ſublatis mollibus arcus
Cælati geſtiſque tuis, factiſque tuorum.
Supra omnes humeris exſtans altaque corona
Frater erit, ſenoſque ferox ex hoſte triumphos
Ducet ovans. mox fortuna congreſſus iniqua,
Cum dura bellare Dea, & decernere dure
Cogetur. longe illa Euris in bella vocatis
Objicere adverſos, & toto nubila cælo,
Et Caſus, & monſtra modis minitantia miris
Cernetur: Rex contra animis. & fortibus auſis,
Et virtute nova tandem ſuperare cadentem,
Tendentemque manus. tum ferro & compede vinctã
Protrahere, & campo captivam ducere aperto:
Nubila diffugere, & turpi deformia monſtra
Victa fuga, vario bello conſumata fameque
In cæcas latebras obſcuraque Tartara condi.
O, mihi ſi tantum juvenili in corpore vitæ,
Et tantum det Parca mihi, hæc ventura ſuperſtes
Ut videam, comiterque tuos, Regina, triumphos;
Mox etiam ſpectare queam & majora parari.
En erit, en umquam illa dies, quum Gallica ſigna
Attolli, & Sequanos compleri milite campos
Conſpiciam, fremere arma Rhemos, fremere arma Cadurcos,
Aulercoſque, Heduoſque, & pictis Lingonas haſtis?
In mediis Regem ſecum cataphracta trahentem
Agmina, ſublimem ſanctas procedere ad aras,
Per caput & ſacram regum de more coronam
Jurantem, & Solymas repetentem debita ſceptris
Regna ſuis: te parte alia fortes Ituriſcos,
Andelos, Bituraſque feros in bella moventem:
Conciliis, tantoque operi comitemque ducemque
Aſcitam: nec non tanto ſub Rege coactam
In ferrum ruere Italiam, & ſocia arma trahentem
Signa ſequi. mox o liceat Cæloque ſecundo,
Et præſente Deo, tot ſe ſe addentibus una
Proſpicere immenſum conſterni puppibus æquor,
Carmelique procul rupes, & littora Iopes
Læta Dei Claſſem, & victricia vela vocare,
Et trepidũ Euphratem, & magni tremere oſtia Nili.
Tunc ego non alium Martem mihi, Pallada poſcam
Non aliam mihi: Rex Mavors, tu maxima Pallas
Sola eris. o ego tunc gemino ſub Numine tutus

Per

Per medios hoſtes videor denſoſque maniplos
Victor agi, videorque mea ſub cuſpide fractos
Munera magna tibi captivos ducere reges:
Nec non & ſpolia ampla tuis addenda triumphis
Jungere, barbaricas veſtes, regumque tiaras,
Armaque, Mygdonioſque arcus, Lyciaſq; pharetras:
Cernere & exanimem fuſo cum milite portas,
Caucaſeas atque Hircanos inquirere ſaltus
Maumethem, & ſe ſe extremis occludere Bactris.
Hæc, precor, hæc propere eveniant felicibus aſtris,
Si qua fata dabunt, votis ſi Juppiter adſit.
Interea, ſive hæc te cura, & gloria tangit,
Seu pacem Europæ miſeræ moliris, & arma
In Superum ſævos hoſtes avertere tentas,
Magnanimo aſſiſtente tuis conatibus ANNA,
ANNA ſpectato meritis, cui ſumma poteſtas
Tradita, quo rerum moles oneroſa recumbit,
Quidquid agis, ſi quando animũ convertis ad ipſam
Italiam [neque enim teneat non hæc quoque cura]
Tunc dicas, Cælo ante alios mihi ſidus in illo eſt,
Qui niſi pro Rege invigilans noctesque dieſque
Illic res Italas, & regia munera tractet,
Gallica ſuſpiret regna, & tabeſcat abeſſe.
Præterea, Dea bellipotens, quæ munera CÆSAR
FREGOSUS, parva illa quidẽ, ſed congrua mitto,
Haud ingrata tibi Latiis accedat ab oris,
Una eadem, facieſque tui, facieſque Minervæ.
Quinetiam, quoties Divam ſpectare juvabit,
Te toties ſpectare puta. Sed, me quoque tanti
Si facies, ſi me tali dignabere honore,
Quum memor ipſa mei fueris, tum nomine noſtro
Longævamque diem, & felicia cuncta precata,
Diva, tuum ſalvere jube ſuper omnia Martem.

V I I.

AD M. ANTONIUM FLAMINIUM, *ET GALEATIUM FLORIMONTIUM.*

DUM vos fatidicos vates, arcanaque ſenſa
Volvitis, atque animum cæleſti nectare alĭtis,
Alloquiis, magnoque Dei conſueſcitis ori
Felices Duce Giberto, Campenſe magiſtro:

Quid

Quid dicam miſerum me agere, & quã ducere vitam
Irrequietum animi, & quærentem indagine vana
Naturam ſemper fugientem: quæ ſe ubi paullum
Oſtendit mihi, mox facies in mille repente,
Ceu Proteus, converſa ſequentem eludit, & angit
Mœrentem ſeniique horas, caſſumque laborem?
Nuper enim tenues ſpecies, ſimulacraque rerum
Quæ fluere ex ipſis dicuntur, perque meare
Omnia, dum ſector meditans, tacituſque requiro
Avia ſilvarum, & ſecreta ſilentia ſolus,
Cognovi tamen his ſpectris illudier ipſis:
Ut ſenſus feriant noſtros, ſemperque laceſſant,
Perque foras, cauſaſque animæ ludantq; meentque,
Ac remeent, ipſamque nec inter ſomnia linquant.
Ergo hoc eluſum ſtudio, feſſumque labore
Tandem me miſerata ſuos abduxit in hortos
Muſa memor, tetricumq; animum ſomno, atq; quiete
Curavit, numeriſque & blando carmine fovit.
Tum mihi: Quo tandem, o ſemper mortalia quærens,
Hanc colere uſque voles terrã? numquãne relinques
Has tenebras, numquamne in lucem lumina tolles?
An neſcis, quæcumq; hic ſunt, quæ hac nocte tegũtur
Omnia res prorſus veras non eſſe, ſed umbras,
Aut ſpecula, unde ad nos aliena elucet imago?
Terra quidẽ, & maria alta, atq; his circumfluus aer,
Et quæ conſiſtunt ex iis, hæc omnia tenues
Sunt umbræ, humanos quæ tamquã ſomnia quædam
Pertingunt animos, fallaci & imagine ludunt,
Numquam eadem, fluxu ſemper variata perenni.
Sol autem, Lunæque globus, fulgentiaque aſtra
Cetera, ſint quamvis meliori prædita vita,
Et donata ævo immortali, hæc ipſa tamen ſunt
Æterni ſpecula, in quæ animus, qui eſt inde profectus
Inſpiciens, patriæ quodam quaſi tactus amore,
Ardeſcit, ſed enim, quoniã hic non perſtat, & ultra
Neſcio quid ſequitur ſecum, tacituſque requirit,
Noſſe licet circum hæc ipſum conſiſtere verum,
Non finem: verum eſſe aliud quid, cujus imago
Splendet in iis, quod per ſe ipſũ eſt, & principiũ eſſe
Omnibus æternũ, ante omnem numerumq; diemque.
In quo alium Solem, atq; aliam ſplendeſcere Lunam
Aſpicias, alioſque orbes, alia aſtra manere,
Terramque, fluvioſque alios, atque aera, & ignem,
Et

Et nemora, atque aliis errare animalia ſilvis :
Denique cuncta alia cernas vegetantia vita.
Ergo, umbras quũ jam ſatis, & ſpecula illa, ſuperq;
Spectaris, longa jamdudum in nocte pererrans,
Fas tandem lucem, atque ipſum perquirere verum.
Quod quoniã longe ſejunctum eſt corpore ab omni,
Nec nexus habet, aut affinem ſenſibus ullis
Naturam, ſcito eſſe animum tibi diſſociandum
Corpore, purgandumque omni contage recepta,
Terrena labe, & mortalis luminis hauſtu :
Quærendæque aliæ ſilvæ, calleſque tenendi
Sunt alii, meliorq; Deum quæ ſemita monſtrat.
Hæc Muſa. o ſi te comitem dent rura beata
Bardolena mihi, o qui nos propter amœnum
Benacum viridi ſilvis in littore ſiſtat :
Atque olea, lauroq; tegat, detque abdita vatum
Senſa, & utramque Dei præcepta evolvere legem.
Rura, oro, GIBERTE, tuo Benacea vati
Da, virideſque oleas, & multa protege lauro.
Ille tuas laudes primum canet, & tua facta
Inclyta Mæoniis numeris ad ſidera tollet.
Ut puerum mirata ſacro cum Tybride Roma
Ante annos meritis titulis & honoribus auxit.
Ut res Romana, & ſacrorum tradita juſſu
Pontificum tibi ſumma in te uno ſæpe recedit :
Ut ſeptem fremuere novis applauſibus arces.
Macte animis, macte ingenio, tu trajicis æquor
Barbaricum, & ferro reges in bella ruentes
Alloquiis frenas, & cœptos ore tumultus,
Armaque, & hoſtiles animos, & prælia ſedas :
Fœdera, amicitiaſque feris, pacemque reportas
Italiæ, populiſque Dei. nec te tamen ingens
Terra capit. toto juvenem tot plauſibus Orbe
Exceptum, tua te pietas, tua maxima virtus
In cælum vehit, & terræ dat ſpernere honores :
Dat contemnere opes, unique incumbere Olympo,
Ac ſolis Divorum epulis, & nectare paſci.
Hæc ubi perpetuo cantavit carmine, & omnes
Reſpondent late rupes: tunc concitus œſtro
Fatidico, plenuſque Deo, Davidica vates
Ipſe etiam pater interpres oracula ſolvit,
Dignus, qui ante omnes citharam pertractet eburnã,
Quam quondam Solymæ ſtupuere arceſque Sionis.

VIII.

VIII.

AD FRANCISCUM TURRIANUM *VERONENSEM.*

TURRI, ſi aut mihi villa & lar ſit lætior, aut tu
Ferre domum tenuem poſſis,parvoſque penates
Urbe procul ruri ſe ſe abſcondentis amici,
Quantū ego te his mecū CAPHIIS in montibus optē
Montibus his, ubi, ſi querulæ nemora alta cicadæ
Non rumpant, equidem vix norim æſtatis adeſſe
Tempora, tam leni miteſcit Julius aura!
Sed quid, ſi eſt anguſta domus, dum pulvere & omni
Munda ſitu: dum ſit nullo turbata tumultu,
Neſcia curarum, nullius conſcia culpæ:
Alta ubi per totum ſit pax, & amica Camœnis
Otia, & integri per magna ſilentia ſomni?
Quid refert, alius minio laquearia rubra
Si inſpicere, ipſe velim fuligine nigra videre?
Si non dejectum cælo Jovis igne Typhœa
Terrigenaſque alios, ſpirantia ſigna, videbis
Admirans opus æterni memorabile Juli;
At bona Libertas aderit, quæ rura beata
Præcipue inſequitur, ſimplexque incedit & exles.
Hic tibi, ſi paullo digitus ſit inunctior, aut ſi
Potanti inſonuit cyathus, vel ſi pede utroque
Non ſteteris, nemo objiciet, nemoque ſedentem
Arguet, hoc illi ſi ſors ſuper incubuit crus.
Stare, ſedere, eſſe ex libito, & potare licebit.
Forſitan &, mihi quid vitæ, quid ſit ſtudiorum,
Noſſe optas, quo vel damnes, vel ſingula laudes.
Mane venit, juvat Auroram Solemque videre
Naſcentem, qui non alio conſurgit Eoo
Pulchrior, unde nova lætantur ſingula luce,
Et ſilvæ, ſcopulique, & pictis nubibus aer.
Parte alia Benacum alto de colle ſaluto,
Centum cui virides invergunt flumina Nymphæ;
Ipſe ſinu magno Genitor magno excipit amne.
Tum juvat aut ſpectare boves mugitibus alta
Complentes nemora, aut pulſas in paſcua capras.
Præ caper it, cui barba jubat, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore ſetæ.
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo

Up

Upilio, mulro armantur cui baltea fuſo.
Interea natos diſcentes ruſtica amare
Numina, vicini nemoris gelidam voco in umbram,
Qui libros, qui ſecum horæ ſolaria portent.
Hic legitur, viridique toro, ſaxove ſedetur
Glandifera ſub fago, aut caſtanea hirſuta.
At variæ circum ſilvis, & frondibus altis
Aſſuetæ ludunt volucres, atque æthera mulcent.
Tum denſum nemus, atque umbræ per gramina læta
Jejunas nos invitant ſpatiarier horas.
At feſſi hæc inter pueri ſitiuntque, dolentque
Plus æquo retineri, & jam Muſaſque, libroſque,
Et Pana, & gelidi pinus odere Lycæi.
Ergo præcurrere, & aquas, & vina pararunt
Lucenti in vitro, & flores ſparſere nitentes.
Advenio. primas atro lita mora cruore,
Aut groſſi menſas ineunt, cors cetera, & hortus
Sufficit. Interea crebro ſonat area pulſu,
Increpitat ſeges, & duri ſub Sole coloni
Alternis terram feriunt, & adorea flagris.
Fit clamor, reſonat tellus rupeſque propinquæ,
Et paleæ ſurſum ſtrepitu jactantur inanes:
Læta Ceres alto ridens deſpectat Olympo.
Umbra diem reliquum, ſomnus, librique, viæque
Producunt, dum ſiccam æſtu Canis excoquit urbem.
Verum, ubi cæruleis ferus ſe ſe extulit undis
Veſper, & in cælum ſurgentia ſidera vexit,
Vicina e ſpecula, magni admirator Olympi,
Alta rupe ſedens natis aſtra omnia monſtro:
Accendoque animos patriæ cæleſtis amore.
Illi admirari, & cognoſcere ſidera diſcunt
Cephæque, Arctonq; & ſervantem plauſtra Bootem
Hæc ergo præferre urbi, & contemnere magna
Si poſſis, quid te teneat, ne tu ocyus ad nos
Accurras? etiam has ſe des, hæc limina magnus
NAUGERUS ſubiit, nec dedignatus adire eſt
BATTUS amor Muſarũ, ipſum quo tempore primus
Pana, atque antiquos cecinit Telluris amores.
Hic me etiam deſueta Deæ, medicumque, ſenemque
Carmina juſſerunt canere, & ridere beato
Illudentem urbem, & male ſani murmura vulgi.
Verum, hæc GIBERTUS ne viderit ipſe, caveto:
Ni forſan Bubulone animum, curaſque relaxans

Prop-

Propter aquam viridi lætus conſederit herba.
Qua placidus leni deſcendit Tartarus amne.
Scilicet hic numeros non aſpernatur, & audit
Nos etiam,& noſtram, quamvis ſit ruſtica, Muſam.
Verum, ubi ſe ſibi reſtituit, mentemque recepit
Illam alto intentam cælo, ſeu ſacra ſacerdos
Munera obit, totum ſeu contemplatur Olympum,
Tum ſupra & Muſas, & ruris Numina ſupra eſt,
Vitam agitans Divum, Diis ſe cæleſtibus æquans.

IX.

IN MORTEM

ALIPRANDI MADRUTII.

IMpoſitũ quũ te pheretró,miſerande MADRUT
Cerneret illacrimans Cæſar, circumque videret
Et ſpolia, & victis erepta ex hoſtibus arma,
Et modo victrices juxta mœrere phalanges,
Quantũ, inquit, tua Mors noſtris inimica triumphis
Lætitiæ, decoriſque adimit! ſpes quanta futuri (tus,
Tecũ,ALIPRANDE,cadit! Sed non tua vivida vir-
Ut te hunc aſpicerem, tua non promiſerat ætas:
Sed fore, qui Solymis mecum atque Oriente ſubacto,
Barbaricis regum ſpoliis & mille trophæis
Olim magna tui decorares templa Tridenti
Invidit Mors tanta tibi. Vos nobile corpus
Ferte Ducis veſtri, juvenes, & reddite matri
Exanimi: ſed & hæc miſeræ ſolatia ferte,
Tantum ipſam peperiſſe virum, qui Cæſaris uſque
Et comes, & bene geſtarum pars maxima rerum,
Cæſaris ex animo nullo delebitur ævo.

X.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM

CARDINALEM AMPLISSIMUM.

PRISCÆ virtutis,Romani & ſanguinis hæres,
FARNESI, quoniam nec Dii munuſcula læta
Deſpiciunt, hominum ſpicas, ac ſerta roſarum,
Libaque, & exigui devotum turis honorem:
Tu quoque (ſi mores imitari, ac facta Deorum
Præ-

Præcipue Heroum eſt] non dedignabere parva
FRASTORI quæ dona tui natuſque, paterque,
Perpetui affectus monumenta, ac pignora mittunt,
Hos tibi patre Lyco, Scylla genitrice gemellos
Dat natus ſua dona canes. Scyllæ inclyta origo
A Nilo eſt: Lycus a magno deſcendit Araxe,
Qui quondam Euganeas tranſmiſſi munus ad oras
Præſtabant cunctis, ſive aprum figere morſu
Eſſet opus, rapidum curſu ſeu vincere cervum.
Horum igitur ſobolem natus tibi ab ubere matris
Nutriit ablatam, & noſtris exercuit arvis
Venatu aſſiduo, & vires durante labore,
Noſtrorum famam nemorum, geminumque ferarum
Terrorem, nunc ille tibi quam mittit habendam,
Romanis eadem in campis ſi forte ſequetur
Gloria, & ignota ſors in regione juvabit.
At genitor, nati cum munere, carmina mittit
Hæc tibi: quæ, quamquam triſti fugiente ſenecta
Lætitias cantuſque, tamen voluere Camœnæ
In te unum, dominæq; mei, nimiumque potentes,
Ut canerem, Muſaque canes comitarer amica.
Ergo tot rerum curis, ac pondere tanto,
Quo premeris, dum rem Romanã, ac publica curas,
Si quando deſeſſum animum, mentemque remittes
Liber, & ad dulces poteris te vertere Muſas,
Hæc quoque noſtra leges: ea ſi dignabere tanti,
Inter Romanas ut eant ſpectanda Camœnas.
Quod ſi etiam recreare animum corpuſque juvabit
Venatu, & latos ſaltus ac denſa ferarum
Luſtra fatigare, & capreas agitare fugaces,
Tum canibus miſcere tuis, tecumque vocare
Ne pigeat nato miſſos. hirſutior ille
Cuncta niger, tantum pedibus & gutture canus,
Non invitus herum Tiberonis voce ſequetur.
Aſt Athiſo [namque hoc alter de flumine noſtro
Nomen habet] nec curſu impar, nec dente minaci
Segnior, anguineo ſuffuſus terga colore,
Frontem albo pictus diſcrimine, pictus & albo
Cervicem, caudamque imam, pectuſque, pedeſque,
Addictus lateri numquam diſcedet herili:
Tantus amor domini: niſi forte cupidine prædæ
Conſpectæ impatiens etiam retinacula rumpat.
Hic tu, vel pulchro Calai, vel Tyndaridi alto

Pol-

Polluci ſimilis, ſilvas latratibus omnes
Complebis, rupeſque hominum clamoribus altas,
Vectus equo Hæmonio, & fulgenti clarus in oſtro.
Attonitæ viſu dicent nemora inter a nare
Ruſticæ Hamadryades, diſcetis amare, Dianæ
Inſuetæ Comites: volucri ſed conc tus ille
Fertur equo, veſtroſque alio deportat amores,
Inſequiturque feras. ah, ne illum accenſa cupido
Venandi, excitos ſilvis impellat in urſos:
Ne in ſævos impellat apros: tibi cura, Dione
Æneadum genitrix, ſit cuſtodire Nepotem,
Et juvenem ilicea defeſſum ſiſtere in umbra
Sat ſilvis animoque datum eſt: illum ſua Roma
Poſcit, & expectat lati res publica Mundi.
I, ſpes magna Urbis, rebuſque vocantibus adſis.
Interea, quando mihi Divus habebere ſemper,
Ipſe tibi CAPHIIS ſacras in montibus aras
Inſtituam, qua ſe ſummo de vertice collis
Tollit, & æquatum Benaci proſpicit æquor,
Et virides olea ripas, Patriamque Catulli:
Hic tibi ſollemnemque diem, & renovanda quotannis
Sacra, tuo ſtatuam ſemper de nomine dictu.
Tunc roſa, tunc violæ, tunc purpurei hyacinthi,
Verbenæque ſenem deceant, tunc texere flores,
Et viridem cano capiti impoſuiſſe coronam,
Lætitiaque diem & multo producere Bacco,
Fallentem ſenium, & curas de corde fugantem.
Forſitan, & Muſarum aliqua, & tibi fautor Apollo
Plectra mihi, citharamque dabit: Deus ipſe canentem
Perque tuos annos, perque acta illuſtria ducet,
Infanti ut prima impellens cunabula Pallas
Accinuit cantu Grajor cantuque Latino,
Scilicet & fari lingua aſſuefecit utraque.
Ut puerum Aonio perfuſum labra liquore,
Per dulces Muſarum hortos & amœna vireta
Perduxit, nunc Uranie, nunc Calliopea,
Nunc Clio monſtrante viam, nullaque Sororum
Non donante roſas, & ſerta virentia lauro.
Tum mores animumque dedit, ſenſumque ſenilem,
Atque Urbem regere, ac ſacro ſplendere galero.
Nec jam Roma capit, ſed lata in regna vocatum
Ad pacem Europæ, non te maria alta fatigant,
Non juga, non toties ſuperatis nubibus Alpes.
Te

Te Pœninæ arces, celerem te Norica ſaxa
Spectarunt rapido montana per ardua curſu,
Quantum Sol cæli, tantum telluris ... bire
Matre Dea comitante, & iter monſtrante Nepoti.
Nec ſatis hæc: majora urgent. Germania nuper
Grata Deo, nunc ingeniis elata ſuperbis
Detrectare jugum Imperii, & ſe opponere Patrum
Sanctorum placitis, & ſacris legibus audet:
Nec jam Pontificum, nec jam ullos Cæſaris audit
Infelix monitus, ſed lævo numine Divum
Arma parat: ſocium Cæſar te poſcit in hoſtes,
Pro ſceptro Imperii, pro relligione Deorum.
Tunc primum attonitæ gentes videre Latinæ
Te, Fratremque tuum patria virtute, animiſque
Invictis pariter, res duri & munera belli
Tractantes: gemini quales duxiſſe feruntur
Tyndaridæ pulchri Grajas in bella cohortes.
Tunc primum Romana acies, antiquaque virtus
Viſa fuit: Ducibus tantis Mavortia pubes
Magnanimi Æneadæ, memores virtutis avitæ
Bella cient: Italo pleni jam milite campi
Denſantur: jam procedunt longo ordine ſigna
Sublata in ventos, lateque inimica minantur.
Nec mora, jam ſummis Romanus miles, & arma
Alpibus apparent: concuſſæ motibus illæ
Funderuut gemitus: longe vagus audiit Œnus,
Obriguitque gelu: riguerunt flumina Rheni,
Et pavidus fluxit demiſſis cornibus Hiſter.
Romanum ad nomen planxerunt pectora matres,
Caraque in Hercynias traxerunt pignora ſilvas.
Sed quo me rapitis, Muſæ? quid facta revolvo
FARNESI? Majora animo jam concipe, teque
Impavidum, invictumque, aliis accinge triumphis.

X I.

AD EUMDEM

ILLUSTR. ET REVEREN. CARDINALEM

ALEXANDRUM FARNESIUM

Cui libros de Contagione dedicavit.

HÆc ergo florentes Sophiæ digreſſus in hortos,
Italiæ decus o Juvenis, FARNESIA proles,
Con-

Condebam, lectaſque tibi de morte ſacrabam
Primitias, dum tu magni inter Cæſaris arma,
Gallorumque acies, recti paciſque ſequeſter
Res miſeræ Europæ fractas componis, & omne
Robur, & arma Dei Maumethem vertis in hoſtem,
Percurriſque omnem, veluti Sol aureus, Orbem.
Fortunate nimis, quem cunctæ applauſibus urbes
Excipiunt, Paciſque vocant Patremque, Deumque,
Inque caput, ſacroſque ſinus, humeroſque, manuſq;
Et nigras violas, & candida lilia jactant.
Cui magna Italia, & terrarum maxima Roma
Aſſurgit, feſtoſque dies, & ſacra Nepoti,
Sollemneſque agitat pompas. dent undiq; circum
Stant populi, & ſtudio ingenti, & clamore ſecundo
FARNENSUM genus omne, alto de ſãguine ductũ
Æneadum longa ſerie, ſuper æthera tollunt
Patres, atque Duces, & partos mille triumphos:
Aſſenſu reſonat Tybris, & Tyrrhena reſultant
Littora: ſepteni reſponſant gaudia colles.
O nimium dilecta Deo, prælataque longe
Progenies, ſive imperiis & Marte regendæ
Sint res Romanæ, ſeu Relligionis habenis.
Atque equidem e fracto Imperio, Romaq; cadente
Servatam hanc ſtirpem fato, ſtatuentibus & Diis
Crediderim, quo Romanum per ſæcula nomen
Staret, & ara Dei, quæ primum maxima magnis
Auſpiciis fundata fuit, ſit maxima ſemper.
Quo me, PAULLE, rapis, quo tuque Nepoſq; vocatis
Laudibus heroum inſuetum? tu maximus ille es,
Uni cui Regni triplicis capite alta tiara
Conſurgit, cui ſumma uni terna illa poteſtas
Terrarum, Cælique data eſt, vaſtique Profundi,
Illorumque aperire fores, & claudere poſſe,
Qui PETRI, CHRISTIQ; Ratẽ turbante procella
Ventorum varia, & remorum parte revulſa,
Tempeſtatem omnem, atq; adverſos diſcutis Euros.
Nec ſanctam ſine honore ſinis, ſine remige certo
Fluctibus in tantis agitari turbine Cymbam,
Macte animo Romano, & macte ingentibus auſis.
At tibi quas, Juvenis fortunatiſſime, dignas
Attribuam laudes, generis ſpes altera tanti,
Inclyte Alexander, puerum quem plurima Virtus,
Canaque conſurgens teneris Prudentia in annis,

Et

Et ſpondens majora aſtris felicibus Æther
Ad ſummos meritum ante annos evexit honores,
Et ſacri geſtare dedit decora alta galeri?
En quantum de te ſacri ſibi Paſtor ovilis
Spondet Avus tuus ille, animo quæ gaudia verſat.
Forſitan & proprio non tam gavifus honore,
Quam ſpe ſublatus, tanti & virtute Nepotis,
Neſcio quid majus præſaga mente volutat:
Scilicet & gnarus fatorum, & præſcius ævi
Venturi, illa videt felicia tempora, quum tu
Sede ſua, ſolioque Dei, Diis proximus ipſis
Conſideas, quum Pontifici tibi maximus Orbis
Gratetur, ſupplexque tuis ferat oſcula plantis.
O mihi poſtremæ tantum dent Numina vitæ,
Ipſe etiam ut tum te tremulus, confectus & annis
Aſpiciam, ſanctoſque pedes proſtratus adorem.
O & ſi poſſim canere, & tua dicere facta,
Et ventura novo tecum ſæcla aurea Mundo!
Nam video ſub te victum, longeque fugatum
Maumethem ſe Caucaſeis includere portis:
At pacem viridi redimitam tempora oliva
Ire per Europam magnam, atque inviſere terras:
Quam pia Relligio, & junctis Concordia dextris,
Et Probitas, & Amor recti comitentur euntem.
Salve, magne Tybri. Salve & tu, maxima rerum
Roma parens, ſalvete arces, colleſque Latini;
Aurea qui primi longo meminiſtis ab ævo
Sæcula, quum nulli variarent jugera ſulci,
Sponte ſua ſed terra ferax daret omnia, & ipſæ
Præberent dulci victum de robore glandes;
Et nunc venturis eadem ſperetis ab annis.

XII.

AD JULIUM III.

PONTIFICEM MAXIMUM.

MAXIME Divini Paſtor gregis, inclyte JULI,
In terris cui ſumma uni eſt conceſſa poteſtas,
Sceptra viceſque Dei gerere, & regna infera Ditis,
Cælorumque fores aperire, & claudere poſſe:
Si tu, dum magnæ Italiæ, dum proſpicis omni
Europæ, & vaſta Mundi ſub mole laboras,

Paulliſper potes a tantis ſecedere curis,
Et potes agreſtes paſtorum audire Camœnas, [Pan,
Nunc aures adhibe placidas mihi; Namq; ego, quæ
Pan magnus cecinit noſtros ventura ſub annos, [eſt,
Nunc referã, tua, Magne Pater, pars maxima quorũ
Cujus ab auſpiciis Parcæ nova ſæcula volvunt.
Nec te pœniteat paſtorem audire canentem,
Quando etiam Admeti tauros formoſus Apollo
Pavit ad Amphryſi ripas, tenuique cicuta
Non puduit cantare Deum ſub tegmine acervo:
Et Veneri dilectus oves ductavit Adonis.
Scilicet & tu etiam poſt grandia nomina Paſtor
Diceris, atque hoc in primis cognomine gaudes,
Et pecudes curare ſoles, pecudumque magiſtros.
Forte ego, dum medio terras Sol excoquit æſtu,
Ipſe Sueſſani paſtor puer incola campi
Ducebam paſtas viridi de valle capellas
In nemorum ſecreta, umbras & frigora quærens,
Qua placidus curſu deſcendit in æquora Lyris.
Eſt lucus, priſci quem ſacravere Latini
Silvano; in cujus medio denſa ilice cinctum
Eſt pratum, agreſtes ubi Dii perſæpe videri
Audirique ſolent: hic capripedes Satyriſcos
Paſtorumque manum junctis per mutua palmis
In gyrum canere, & lætas agitare choreas
Invenio admirans. medius Pan magnus ovantem
Ad calamos, cantuſque regit ducitque coronam,
Dumque Deus canit ipſe, ſilet tum cetera pubes.
Dum ſilet ille, alii thiaſos, cantuſque, ſequentes
Inſtaurant, repetuntque Dei poſtrema canentis.
Ingeminat poſtrema nemus, reſpondet & Echo.
Tũ me reſpiciens, mihi ſanguine proximus Anthus,
Anthus, Aquinatis paſtor gregis, huc, puer, inquit,
Huc ades, o Neore, & te his adjunge choreis:
Aut, ſpectare magis ſi te juvat, aggere ab illo
Proſpice, dum ſaturæ ſua ducant otia capræ.
Cui ego: Quin potius juvet hoc de ceſpite veſtros
Spectantem luſus, molli requieſcere in herba.
Et tum forte Deus buccas ſandyce rubentes
Inflans, & picea frontem præcinctus acuta,
Ad calamos circumſiliens, hæc carmina cantu
Fatidico inſanus latas fundebat ad auras:
Dicite io, Satiriſci, & io geminate, coloni:

Aurea felici naſcuntur ſæcula Mundo.
Excipiunt juvenes, iterat nemus, aſſonat Echo:
Aurea felici naſcuntur ſæcula Mundo.
Tum ſequitur Deus.ante tamen Rex magnus Olimpi
Bellumque, horribilemq; famem, diramque flagellis
Armatam Alecto e tenebris, & faucibus Orci
Immittet terris, genus ut mortale coercens
Caſtiget, fraudeſque hominum, faſtuſque ſuperbos,
Et lux, & ſpes miſeras, & gaudia vana:
Dum tandem ſe ſe, atque Deos cognoſcere diſcant.
Mox tantum exſpectatum illud, quod carmine ſacro
Tot Vates cecinere pii, felicibus aſtris
Adveniet tempus, quo MONS ille arduus, ille
MONS ingens, ſublime caput ſuper omnia tollat
Culmina, ſidereum qui vertice tangat Olympum;
Quo neque vis ventorum adeat, non fulminis ignes.
Dicite io, Satyriſci, & io geminate, coloni;
Aurea felici naſcuntur ſæcula Mundo.
Hoc in MONTE Dei pecudes paſcentur & agni,
Graminis æterni pingues, & velleris aurei.
Exſilient & aquæ vivæ, quibus ubera capræ
Grandia diſtendant, diſtendant ubera vaccæ.
Non malus hic ſerpens, non noxia creverit herba,
Non ſentes, ſteriliſve filix, non frigida taxus,
Sed bis lecta ſeges, ſed bis gravis uva racemis:
Corticibuſque cavæ ſudabunt balſama pinus.
Hinc magnis præſtantem animis, & fortibus auſis
Fortunata nimis Paſtorem hæc ſæcula habebunt,
Qui virtute regat populos, & legibus æqui,
Divinas qui paſcat oves, & paſcua late
Extendat, pecudeſque ipſas, & ovilia ſervet.
Hic primum diram Alecto, & Cocytia monſtra
Caucaſea ærata religabit rupe catena.
Inde famem miſeram e Latio populiſque Deorum
Pellet in hoſtiles gentes, & barbara regna.
Tum læta Ubertas, ſegetumque onerata maniplis
Alma Ceres Italas ſpicis venerabitur aras:
Quam circum pueri ſalient, & ruſtica pubes,
Ridenteſque jocos, incomtaque carmina dicent.
At noti Muſis Damones & Alpheſibœi
Vota Patri magno, laudeſque & ſacra canentes
Æternis illum numeris ad ſidera tollent,
Heroemque, Deumque, ſalutiferumque vocabunt.

Dicite io, Satyriſci, & io geminate, coloni ;
Aurea felici naſcuntur ſæcula Mundo.
Ille animum mox ad pacem, & diſcordia regum
Pectora convertet, ſanctiſque hortatibus iras,
Atque odia, & cæcos regnorum & laudis amores,
Horrendamque ſitim cædis, fuſique cruoris
Sedabit, pelletque feri mala ſemina belli.
Tum Pax alma ferens ramos felicis olivæ,
Atque Amor, & junctis pariter Concordia dextris,
Et Genius comitum, & generis Hymenæus amator
Inviſent late populos, Latiique per arva
Lætitiam, riſuſque ferent: tum juſta cupido
Bellorum, piaque arma, Dei vertentur in hoſtes.
Jam video auguſtis late plena æquora velis
Fervere, jam trepidare vagi ſeptem oſtia Nili,
Euphratemque, Tygrimque ſuo ſe condere in amne.
Jam nec Bactra ipſum capiunt, non India tota
Maumethem fugientem, ipſum non Caucaſus ingens
Non qui tot ſilvas, juga tot comprendit Imavus.
Dicite io, Satyriſci, & io geminate, coloni ;
Aurea felici naſcuntur ſæcula Mundo.
Quænam, quæ properant tantæ per cærula puppes.
Devotæ ad Tiberim, magnæque ad mœnia Romæ,
Ceu denſæ ad nidos latum per inane columbæ?
Agnoſco gentem innocuam, numerumque beatum,
Felices animas, fatis ab origine prima
Dilectas, quæ cælo olim, Diviſque fruantur:
En jam ſanctam Urbem, jam ſeptē in collibus aras
Impoſitas, ſummique pedes Paſtoris adorant.
Hos inter, video, & noſtri longa æquora ſulcant
Arcades, Italiamque petunt, fataliaque arva
Arcades. o ſoli quondam cantare periti
Paſtores, quos Juſtitia e tellure recedens
Poſtremos liquit, nunc rurſus læta reviſit.
O ſancti, properate; vocat Deus æthere ab alto:
Vos alius jam grex, aliudque expectat ovile,
Quin venit illa dies, quum nos quoq; Mænala noſtra,
Arcadiamque omnem, qua immani a gente repulſi
Fugimus in Latium, longo poſt tempore tandem
Viſamus, dulcemque auram. o placidiſſime Peneu,
O Ladon, vos o gelidi pineta Lycæi,
Quando ego per veſtros meditabor carmina lucos?
Mænalios quando recinet mea tibia verſus?

Mæna-

Mænalus auritas, danteſque oracula quercus
Semper habet, ſemper doctas ille audit avenas.
Concipe Mænalios, mea tibia, concipe verſus.
Talia cantabat memorãs Pan magnus: at Anthus
Hæc referes, puer, inquit, & hoc tibi munus habeto
Nunc parvum: ventura dies majora reſervat.
Tum mihi fiſcellam dono dedit optimus Anthus,
Dicere & occaſus aſtrorum, dicere & ortus,
Et quid quæque ferat tellus, quæ commoda Baccho,
Quæ Cereri, quidnam ventos, quid nuntiet imbres,
Quæ tempeſtatum, cæli quæ ſigna ſereni:
Denique quæ cunctis natura ſit indita rebus.
Virtutem in primis & honeſtum, quemque docere,
Ac vitii ipſe expers, aliena notare paratus,
Et jam tempus erat paſtum deducere capras.

XIII.

INCIDENS.

BATTUS amor Dryadũ defunctũ paſtor IOLAM
Flebat. eum Fontes, Alpinaq; Numina circum,
Sacraque, pumiceoque ſedens Benacus ab antro
Mœrentem lacrimis conſolabantur obortis:
Ille autem nulla accipiens ſolamina, tantum
Deſerta ſub rupe, in littoribus Benaci,
Talia nequidquam ſurdas jactabat ad undas.
Immites Divi, & crudeles vos quoque Parcæ,
Crudeles nimium Parcæ: vos ibitis amnes,
Aeriæ ſtabunt rupes: nuſquam amplius ipſe
His terris, numquam hoc cælo agnoſcetur IOLAS
Ut cecidit? ſemel in pratis ut purpureus flos,
Quem tetigit vel hiems, vel iniquo Seirius æſtro.
Currite jam, fluviorum undæ, & producite vitam,
Et, rupes, durate: tamen non alter IOLAS
Hos pecus in montes, non hæc ad flumina ducet.

X I V.

I N C I D E N S

AD JOANNEM BAPTISTAM

TURRIANUM, VERONENSEM.

ILLA colum exercens ſaxo conſedit aprico ,
Læta tepore novo, & liqueſacta Sole pruina :
At juxta nemore in magno grex paſcitur omnis.

X V.

H I E M S.

AD EUMDEM.

FRigidus at ſilvis Aquilo ſi increverit, aut ſi
Hiberni pluviis deſcendent nubibus imbres ,
Nos habeat domus, & multo lar luceat igne ,
Upilio ingentem aut fagum, vel ſciſſile robur
Sufficiat, tum vos, claro quando igne ſoletis ,
Juniperi, ſuaves circum diffundere odores ,
Et vos, Palladiæ, flammis imponat, olivæ .
Ante focum tibi parvus erit, qui ludat, JULUS ,
Blanditias ferat, & nondum conſtantia verba .
Ipſe legam magni tecum monumenta Maronis .
O fortunatos nimium, ſi fato, quod ævi
Nos manet, hanc una dederint producere vitam.

X V I.

V E R.

AD EUMDEM.

JAm veniet Ver purpureum, juveniſque revertens
Annus aget Zephyros, & cælo deſuper alto
Deducet pleno genitalia ſemina cornu :
Unde hominum genus, & pecudũ vitæq; natantum ,
Et pictæ volucres, amantes roſcida plantæ
In Venerem cæco æterni rapiuntur amore .
Gaudete, o quicumque bonum ſperatis, agreſtes ,
Quorum amor eſt ſobolis, ſtudiumq; nepotibus arva
Incolere, & parvas ulmis attollere vites :

An-

Annus io, novus annus adeſt: mutatur, & ætas,
Et meliora novo naſcuntur ſæcula Mundo.
Bella pater procul, & diras Saturnus Erinnes
Arcebit caro e Latio, ac ſub Tartara mittet.
Tum Lethum, & cæcus Furor, & veſana Cupido
Perpetuis extra terras religata catenis
Perſolvent pœnas ſcelerum: at Pax alta per omnem
Italiam magno populos ſub Cæſare viſet.
Ille autem inſignis ſpoliis, & mille trophæis
Inſtituet feſtos alta ad Capitolia ludos.
Stabit onuſta ingens, Tarpeji ad limina templi
Quercus honore ſacra, & prænuncia temporis aurei.
Tum veſcæ glandes, tum terra ſponte ferente
Omnia: comparibus disjunget colla juvencis
Agricola, & rudibus mirabitur hordea ſulcis
Sponte adolere ſua, & nullo frumenta colono
Undantem lætis ſegetem flaveſcere campis.
Noctibus in ſilvas & mollia prata ſerenis
Ætherio dulcem comixtum nectare rorem
Sudabit cælum: terræ qui lectus ab herba
Mortales ſaturet menſa dapibuſque Deorum.
Salve, magne Tybri,& vos,natæ Tybride Nymphæ,
Tuque, ſenex pater Eridane, & qui flumine Tuſco,
Benace, in noſtro placidus perlaberis agro.
Tuque, Atheſis, cunctique amnes ſalvere Latini,
Diique omnes magnæ Heſperiæ, qui ſæcula ſoli
Aurea Saturni primo meminiſtis ab ævo:
Quum ſepes vel limes adhuc communibus agris
Non foret, aut ulli variarent jugera ſulci;
Sponte ſua ſed terra ferax daret omnia, & ipſæ
Præberent dulci victum de robore glandes.

XVII.

INCIDENS AD EUMDEM.

Quarum pars brumæ impatiens, & condita terræ,
Exſpectat ver egelidum, flatuſque Favonii:
Pars paſſura hiemem, læta ab radice vireſcit,
Emittitque comam, ſiculumque atque altera beta,
Atque ari virides, & odoriferæ calaminthæ,
Atque olus, atque rumex, & falſi gramina crithmi.
Quas inter ſuaves molleſque aſpirat odores
Nunc decus hortorum, menta: at, ſi vera loquuntur

Nympharum quondam pulcherrima Grajugenarum.
Tum juvat & frondes apii, & ſiſymbria læta,
Intubaque, toto florentes frigore ſonchos
Incolere, atque hortis Aquilonem arcere nocentem.

XVIII.

ALIUD.

NOX venit, & paſtæ redeunt ad tecta capellæ.
Præ caper it,cui barba jubat,cui cornua pēdent
Intorta, & grandes olido de corpore ſetæ.
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
Upilio, multo armantur cui baltea fuſo.
At mater longæva, igni dum braſſica fervet,
Mulctra effert, gravidoque recens lac ubere mulget.
Ruſticus interea pinguis collector olivæ,
Interea & validus prima de nocte bubulcus
Advenere domum: congeſta tum focus orno
Ingenti, aut fago, vel fragmine roboris, ardet.
Tolluntur lætæ flammæ, lateque relucent.

XIX.

ALIUD INCIDENS AD EUMDEM.

AT nemora, & liquidis manantia fontibus arva,
Et placidus myrteta inter, lauroſque virentes
Vicinus nitido Benacus labitur amne.
At focus, & circum pueri, vernæque canentes,
Dum cœna undanti coquitur ſilveſtris aheno,
Grandiaque exurunt crepitantes robora flammæ,
Suſpenſæ e ſummis pendent laquearibus uvæ,
Malaque, caſtaneæque, & paſſo, fiſtula ventre.
Hiberna de nocte, boum ſtabula alta petuntur.
Una omnes matreſque, virique, omniſque juventus
Inſomnem exercent noctem: pars penſa fatigat:
Pars texit teneros Amerino vimine qualos:
Atque anus hic aliqua interea, dum vellera carpit,
Et teretem tremulo propellit pollice fuſum:
Languentes oculos fabella fallit inani.

XX.

ALIUD.

MAne domi validos pluvia ut concluſit agreſtes,
Cæditur iliceo diſtenta ſagimine porca.
Læta

Læta domus. tum ſollicita in farcimine mater
Pingue ſuis niveum, & diſſecti fruſtra cerebri,
Et niveum lac purpureo cum ſanguine miſcet.
Tum ſemen marathri, atq; arentis gramina thymbræ
Adjicit, & coli inſperſo ſale concava complet.

X X I.

IN NATALEM DIEM

JANI FREGOSII, CÆSARIS F.

SACRORUM ſi plena Deo ſunt pectora vatum,
Si norunt triplices fata futura Deæ.
Fortunate Infans, verus tibi gloria vates,
Grandia concordes concinuere Deæ.
Ecce tuo felix naſci novus annus ab ortu
Incipit, atque omen nomine habere tuo.
Creſce cito, magnique Patris mirarier acta
Incipe, & invicti CÆSARIS arma ſequi.
Tempus erit, tibi quum partis jam mille trophæis,
Et feſſi rebus compoſitis Latii,
Barbaricis captis opibus, Ducibuſque ſubactis
Multa tibi circum tempora laurus eat.
Tum læta ante tuum ſtabit Victoria templum,
Claudet & ærata limina ahena ſera.

X X I I.

DE PARTU

VICTORIÆ FARNESIÆ

GUIDI UBALDI FERETRII.

Urbini Ducis, Conjugis.

LUCINÆ Junonis opem VICTORIA ſimplex
Quum peteret, placido ſic ait ore Dea:
Sis licet Æneadum & Veneris de ſanguine avito
Nata, Puella, tamen digna favore meo es.
Quam Charites tanto junctæ comitantur honore,
Grandia quam Parcæ fata manere canunt.
Quippe ubi Junonis flos & Saturnia quercus
Junguntur, fauſtis currere Iſauron aquis,
Promittique tibi ſobolem, qua priſtina virtus

Italiæ, & priſcus reſtituatur honos.
Naſcere, magne Puer, Patremque imitatus Avoſque,
Magna aude. non vos Umbria magna capit.
Et jam Infans ſanctaſque manus Divamque ſecutus
Optati in lumen ætheris exierat.
Ergo & quod potuit, riſu agnovitque Parentem,
Præſentiſque dedit nuntia ſigna Deæ.

XXIII.

TUMULUS FRANCISCI MARII

MOLSÆ MUTINENSIS.

QUod MOLSÆ fuerat mortale, hac conditur urna,
Exſtruxere ſuis quam Aonides manibus.
Cœtibus at Superum fruitur nitidiſſimus almis,
Itque comes magno ſpiritus HIPPOLITO,
Quem MEDICA de gente fatū pulcherrima Virtus
Extulit, & cæli templa tenere dedit.
Quemq; unum ante omnes coluit dum fata ſinebant,
Atque oculis vates prætulit ipſe ſuis.

XXIV.

AD JOANNEM LIPOMANUM

Ex Veronenſi Prætura decedentem.

HAdriacū, LIPOMANE, Atheſis dū curret in æquor,
Dum meritis reddetur honos, & gratia, ſemper
Prætori tibi debebit Verona, patrique
Linquenti monumenta annos manſura per omnes.
Illa tibi ſemper divinos ſolvet honores,
Et condat tua perpetuis annalibus acta.
I, ſpes, o Venetum, quem jam moderamina parva
Non capiunt, i, te majoribus inſere ſceptris:
Et lacrimas, & vota, quibus comitamur euntem,
Accipe, diſceſſuſque tui dona ultima porta.

XXV.

IN MORTEM
JOANNIS BAPTISTÆ MONTANI
MEDICI VERONENSIS.

DUM medica, MONTANE, doces ope vincere fa-
Et Lacheſi invita vivere poſſe diu, [ta,
Læthæo indignans preſſit te Parca ſopore,
Et ſecuit vitæ grandia fila tuæ.
Sic, animas & tu, Aſcelpi, dum ſubtrahis Orco,
Te quoque ſævorum perdidit ira Deum.

XXVI.

AD JO: MATTHÆUM GIBERTUM
EPISCOPUM VERONENSEM

MELSINEÆ rupes, ſubjectaque littora Tuſci
Quæ ſuprema ſonans alluis unda lacus,
Annuite: agreſtem dum, votum pauperis, aram
E vivo Thyrſis ceſpite tollit humo.
Nunc herba ſtruit, atque hederis & floribus ornat:
Et, GIBERTE, tibi ruſtica ſacra facit.
Aſt olim auratam niveus tibi taurus ad aram
Cornibus auratis victima magna cadet.

XXVII.

AD EUMDEM.

NAjades hoc GIBERTE, tibi Benacides antrum,
Et qui muſcoſo fons cadit e lapide,
Sacravere. tibi ſit cura & fontis & antri:
Et quandoque Deus ad tua ſacra veni.
Et ſacer eſt, & habet ſpirantes ſuaviter auras
Hortus: & eſt nullo gratior umbra loco:
Et nuſquam eſt longæva mage, & felicior arbos,
Pulcher Adoni, tua; pulcher Apollo, tua.
Hic canere, & tenuem poſſe exercere Camœnam
Ille dedit: ſanctus qui mihi ſemper erit.
Hic herbas, ſuccoſque tuos, artemque relinquo,
Phœbe: ſoles Muſas tu quoque amare magis.

XXVIII.

AD EUMDEM.

IPſa tibi, GIBERTE Deus, lego lychnida Leuce:
Melſineis Leuce cognita littoribus.
Et pulchram cyanum, & canentia lilia necto:
Illa colore magis, hæc & odore placent.
Roma caput ſacro doceret tibi magna galero:
Non tamen & Leuce, non ſua ſerta dabit.

XXIX.

AD EUMDEM.

ET laurũ, & citrum hanc tenerã de matre revulſã.
GIBERTO ſacram Thyrſis utramque ferit.
Hanc, Venus, aſt illum Juveni ſervabis, Apollo,
Ne noceant æſtus, ne noceatve gelu.
Tu quoque Benaci vicino, Nais, ab amne
Clam gelidas teneris frondibus affer aquas:
Dumq; feres, dic: Sancte, humili tibi nunc Dea rixo,
Quum venies, toto ſerviet amne tibi.

XXX.

DE MARSANGO

FLUVIOLO, PROPE VILLAM,

JOANNIS BAPTISTÆ RHAMNUSII,

In Agro Patavino.

QUI te populea cingit, MARSANGE, corona,
Dulce ut in umbroſis cornibus aura ſonet:
Ac ne umquam inficiat lutulenti ſordida plauſtri
Te rota, ſub firmo dat tibi ponte viam,
Vicinæ cultor villæ, RHAMNUSIUS, horti,
Agrique, & dominus ripæ utriuſque rogat;
Lenis vere flue, atque nivali providus undæ
Arida in æſtivi ſidera parce Canis.
Sic tibi grata Nape geminabit ſerta quotannis,
Et tua par magnis amnibus ibit aqua.

XXXI.

DE EODEM.

QUi modo fons, MARSANGE, humilis, modo cornibus ingens.

Per

Per ſalicum rapido laberis amne nemus.
Vere novo, MARSANGE, mihi flue lenior undis,
Uberior, ſitiens quum coquit arva Canis.
Frigentes æſtate tibi RHAMNUSIUS umbras
Sparget, & ad gelidas ipſe ſedebit aquas.
Vere roſam violaſque feret: pictaſque corollas
Pulchra tibi hinc Nais, hinc Galatea dabit.

Quæ ſequuntur, ſumta ſunt de libris, quos FRACASTORIUS ſoluta oratione conſcripſit.

In calce Homocentricorum.

Sed jam me rapidi diverſa volumina cæli
Dimenſum ſatis, & numquam requieta ſecutum
Sidera, per varios curſus varioſque recurſus,
Hac juvet inſudaſſe tenus: nunc ultima feſſum
Accipiat, finemque meo det meta labori.
Vos æterni orbes, æternique ætheris ignes,
Qui tacito circum labentes tempora curſu
Ducitis, & longum per ſæcula volvitis ævum,
Si non æternum [neque enim fas poſcere tantum]
At ſaltem durare diu, & producere vitam
Hoc concedite opus, videant ut veſtra nepotes
Sæcula, & æternis vos admirentur ab annis.
Mirenturque vias, quum jam non tramite ſueto
Curret iter ſolitum Titan, ſed purpureum ver
Et juvenem ſignis converſis invehet annum.
Tuque etiam, ſeu te tua tanta inventa, novoſque
Admirantem orbes, puro fulgentia cælo
Templa tenent, ſeu Threiciæ teſtudinis audens
Tangere ebur plectris, numeros & carmina dictas,
Qua via ſidereo candeſcit lactea cælo,
TURRI, ades, inventiſque tuis, noſtroque labori
Da, ſancte, augurium, atque optatis annue noſtris.

Poſtremo Capite Libri Primi de Contagioſis Morbis.

Sæpe exiguus mus
Augurium tibi triſte dabit, tellure ſub una
Quem non ullus amor tenuit, ſed in aera apertum
Erupit ſcrobibus, vitæque, atque immemor uſus,
Et parvos natos, & dulcia tecta reliquit.
Ipſa etiam tellus ceu non ignare futuri,
Quum tremit, atque intus gravida ſuſpirat ab alvo,
Si-

Signa dabit: tremuere urbes, & vertice toto
Formidavit Athos, timuitque ſub æquore Nereus.

Capite Septimo Libri Tertii de iiſdem.

Proderit & latos ſtipularum incendere campos,
Et nemora intacta, & ſanctos exurere lucos.

Dialogo de Poetica.

Huc ades, o Thelayra: quid ah quid grandia farra
Æſtivo ſub ſole teris, medioque ſub æſtu,
Nec parcis tibi, ſæva? ah te ne immitis adurat
Seirius: ah teneras ne rumpiat puſtula palmas.
Demens, o Thelayra, patri concede laborem,
Cui Cereris cura eſt: melior te cura Diones
Sollicitet. tu, dum fervet tritura ſub æſtu,
Dum crepitat ſeges, & multo ſonat area pulſu,
Clam te operi furare, & aquas effinge ferendas.
Hic nitidus fons eſt: hic plurima populus umbram
Sufficit, & gelidæ ſummittit frigora ripæ.
Vos auræ, Alpinis placidæ de montibus auræ,
Hæc illi portate: aut, ſi pater obſtat eunti,
Saltem æſtum lenite, gravem lenite laborem.

Libro Primo de Intellectione.

Natalem, Thelayra, tuum lux craſtina reddet.
Craſtina lux mihi ſancta. tuos age Lucifer, ortus
Profer, & Auroram propero dux evehe curru:
Evehe, ſed ſero tardus cede, Heſpere, cælo,
Longa ut eat, felixque dies. lege lychnida, Leuce,
Et viridem violis intexito amaracon albis.
Serta duo mihi necte: unum, quod poſtibus ipſe
Appendam, Thelayra, tuis, mea maxima dona
Nota tibi: aſt aliud, quod feſta luce laborum
Immunes decoret plena ad præſepia tauros.
Tu Vulgo Venerique palam formoſa videnda
Comtaque, ſed clam pulchra tuo, ſed comta Myconî
Incedes, tacitiſque Deam venerabere votis,
Ut mea tu, tuus ipſe ut ſim: Dea maxima votis
Annuet. at tu omnem, Thelayra, abrumpe pudorem
Tum, quum exſpectatum difflabit tibia cantum,
Ardenteſque ſono in choreas accendet amantes.
Tum dextram lævamque manus jungamus amicas,
Invideantque omnes, neque enim te doctior uſquam
Ulla

Ulla ſalit, non ipſa Jole, non nata Lycotæ.
Me vero quales in cælum tollere ſaltus
Aſpicies, Thelayra! modo & te flectere in orbem,
Et modo te contra ſtantem mira arte movere
Ante retroque pedes, ſpatio nec cedere ab uno!
Ipſa Venus cælo ridens ſpectabit ab alto.

Eodem Libro.

Ollis divina ſuper mens
Aſtat, magna, micans: cujus radiata nitore,
Quæ fuerant obſcura prius ſimulacra, repente
Fiunt coram anima, claraque in luce refulgent.
Non aliter, quam quæ cæca ſub nocte tenentur,
Si feriat rutilum Solis jubar omnia late
Splendeſcunt, pulchraque petunt in luce videri.

In calce ejuſdem Libri.

Lyncas nec acres advehe, neu gere
Thyrſos, venuſtum nec tege caſſide
Horrente vultum, ſed tenero veni
Cinctus tempora pampino:
Tuiſque mitis & placidus ſacris
Adeſto, qualem te memorant jugo,
Bactris ſubactis, in medio Deum
Convivam Jove cum patre
Sediſſe, circum Diis reſonantibus
Evoe: pharetra quum poſita tuas
Laudes eburna grandiloquus lyra
Latona cecinit ſatus.
Ereptus igne ut fulmineo Jovi
Bis natus infans ducetis ad Deos,
At tibi magnis plauſibus omnium ad-
riſit Cælicolum cohors.
Namque ore pulchro talis erat color,
Rubente qualis enitet in roſa.
Tum prominebat exſilientibus
Sacrum corniculis caput.
Tyrrhenus ut te navita deprecans
Sero, furoris, numinis & tui
Expertus iras ſquammeus in mare
Piſcis deſiliit rate.
Senſit Lycurgus vitibus impiam
Auſus ſecurim immittere; ſenſit &

Ge-

Cohors Gigantum trudere tum rata
Alto Cælicolas polo.
Tu Gange victo miles ab ultimis
Indis triumphos victor io refers:
Et redeunti Suſa & Achæmenes
Aras conſtituunt tibi.
Fremunt in altis origa montibus
Euoe: ſolutæ per juga Thyades
Crines in auras, raucisonis replent
Altum cornibus æthere.

Libro Secundo de intellectione.

Carpe fugâ, Galatea; ferus petit æquora Cyclops:
Carpe fugam, pelagoque procul ſpeculator ab alto,
Te quis amat, dignumque tuo ſe cenſet amore.
Humano primum rorantem ſanguine barbam.
Et fœdum os, oculumque unum, quē fronte patentē
Ipſe gerit media, multo lavere æquore cernes.
Pectere dein raſtro crines, apioque virenti
Aſſimiles, laudare: ſilens tum conſulere æquor,
Et ſe ſpectatis formoſum dicere ab undis.
Te vero, Galatea, quod hunc contemnis amantē,
Nec pecoris numerum, nec avenæ ſibila curas,
Crudelem, & piſtri natam Scyllaque vocare:
Crudeleſque Deos: ſi Dii tamen æthere in alto
Vel mare ſunt aliqui; neque enim ſe poſſe putare
Ullos eſſe Deos. demum tibi dira minari.
Nam fore, ut ictu uno magno cum fragmine montis
Teque tuumque Acim medium diſperdat in æquor.
At tu tuta mari magno, Cyclopis amores
Deſpiciens, videnſque minas, & inania verba,
Id noſtros Galatea, ſinus, formoſa, recurre.
Ille inter pecudes & amore uratur, & Ætna.

Eodem Libro.

Telamonius Ajax
Arma rapit, Superoſque furens in prælia poſcit.
Jamq; hominū hos nūc inſequitur, nūc percutit illos.
At tacitus mœrenſque hominum conſortia vitans
Bellerophon ſolos errat male ſanus in agros:
Bellerophon, quē Martis honos, quē gloria curruum
Per deſerta fugit, nec amor comitatur equorum.

Dia-

Dialogo de Animа, non procul ab initio.

Ne timeas, Trojane Puer, quod in ardua tantum
Tolleris a terra: quod roſtro, atque unguibus uncis
Te complexa ferox volucris per inania portat.
Audiſtine umquam ſublimis nomen Olympi?
Audiſtine Jovis tonitru, qui fulmina torquet,
Qui pluit in terras, cui templa araſque dicatis
Vos homines, tauroſque tua mactatis in Ida,
Quique etiam veſtri eſt, ſi neſcis. ſanguinis auctor?
Ille ego ſũ non te hæc volucris, ſed Juppiter eſt, qui
Haud præda captus, cari ſed amore Nepotis
In ſummum amplexu innocuo te portat Olympum
Aſtra ubi tot ſpectare ſoles, ubi pulcher obiit Sol
Ortuſque occaſuſque ſuos, ubi candida noctes
Currit Luna nitens, Auroram Lucifer anteit.
Hic ego te in numero Superum, domibuſque Deorũ,
Ver ubi perpetuum, felix ubi degitur ætas,
Æterna & ſemper viridis florenſque juventa,
Conſiſtam: æqualemque annis pubentibus Heben
Officioque dabo comitem, qui pocula nobis
Læta miniſtretis, reliquum cæleſtibus una
Aſtragalis choreiſque diem exercere licebit.
Pone metum, dilecte Jovi, melioraque longe
Proſpiciens, caram, Puer, obliviſcere Trojam.
Neve Deum te jam, & Divorum regna petentem
Ulla canum, aut Idæ nemoroſæ cura ſequatur.

Eodem Dialogo.

P S Y C H E.

Huc, Amor o dilecte, ades o dilecte Cupido:
Formoſum tua te PSYCHE formoſa requirit,
Et poſcit te Dia Deum, puerumque puella.
O tibi tam ſimilis ſi te peramatque cupitque,
Nonne & amabis Amor illam, cupieſque Cupido?
Eſt eadem nobis patria: eſt cæleſtis origo
Ab Jove: nos terris pariter, nos æthere in alto
Verſamur pariter, conjunctaque munera obimus.
Ipſa bonum pulchrumque modis in pectora miris
Inſinua tu corda feris, tu ſuggeris ignes,
Accendiſque ardore novo: genus unde animantum
Concipitur, creſcitque, ſua & connubia jungit.
Me miſeram, quod & ipſa meis in me artibus uſa

Ah

Ah nimium tenera, & pulchro nimis apta moveri,
Ut te conſpexi, ut novi, pulcherrime rerum,
Continuo facibuſque tuis, & Amoris amore
Exarſi. juvat hoc, paribus ſi & tu ignibus ardes.
Tolle, Puer, vittas, atque in me lumina ſolve,
Nempe & amabis Amor pulchram, cupieſq; Cupido.
Ipſa tibi tenuem, qua cingas tempora, vittam
Intertextam auro, & molli bombyce laboro:
Pictus ubi Narciſſus hiat, Mæander oberrat.
Hic ego te latas terras, atque alta volatu
Nubila tranantem fingo, & maria uda ſecantem:
Cuncta tibi imperio ſubdentem, homineſque, feraſq;
Et pictas volucres, &, quæ nant æquore, monſtra.
Diis quoque nec parcis: curru rex Juppiter aureo
Invehitur, cinctus humeros & brachia ferro.
Quos inter tua PSYCHE etiam religata catenis
It mœrens, ſequiturque tuos captiva triumphos.

Vetus Epigramma, in calce Sententiæ de Vini temperatura.

Infantem Nymphæ Bacchum, quo tempore ab igne
Prodiit, inventum ſub cinere abluerant.
Ex illo Nymphis cum Baccho grat a multa eſt,
Sejunctus quod ſit ignis, urat adhuc.

HIERONYMI FRACASTORII

Carminum Finis.

ILLUSTRIUM ALIQUOT POETARUM CARMINA AD FRACASTORIUM, ET DE FRACASTORIO

ANTONII MARII.

FRASTORI *venerande, anima mihi carior ipſa,*
Ut valeas, quidnam juncto pede, quidve ſoluto
Scribat, ſcire velim, dum te Marpeſia celſo

Col-

Colle tenet, placidi ſectantem commoda ruris.
An medicas herbas Phœbo monſtrante per agros
Colligis, ut caros cives a funere ſerves?
An Dryadum miſtus choreis, Fauniſque jocoſis
Agreſti ludis calamo: quæ Tityrus olim
Cantet, & umbroſo miretur Nais ab antro?
An potius volucri raptus ſuper æthera monte,
Colloquio frueris TURRII, ſecumque vagaris,
Ignotaſque vias ſtellarum, orbeſque tueris
Ignotos, veterumque palam commenta refutas?
Felix, quem populi de tempeſtatibus atris
Ereptum, claro ſiſtit Sapientia cælo.
At nos indoctæ ſequimur veſtigia turbæ,
Parvaque miramur, quia numquam cernere magna
Contigit, hinc vana deludit imagine mentem
Aut ſpes, aut metus: invadit nunc falſa voluptas,
Nunc falſus dolor. in primis me torva feroci
Pauperies vultu terret, ceu triſtis Erinnys,
Quum pavidum flammis ultricibus urget Oreſtem.
Sæpe loquor mecum, tacituſque hanc corde voluto:
Incipe ſorte tua contentus vivere, teque
Liber, & impavidus fortunæ oppone ſuperbæ.
Nemo pauperie miſer eſt. aurove beatus.
Oppreſſum morbo Chromilum de paupere lecto
Transfer in auratos thalamos, & ſtragula picta;
Non tamen ægroto decedet corpore febris.
Impatiens, æſtuque amens vigilabit. at idem,
Quum validus ſilvis apros venatur, in alta
Hibernas noctes nive dormit ſuaviter. ægrum
Sic animum nec divitiæ ſanare valebunt,
Nec mentem ſanam vel magna offendere egeſtas.
Quare age, ſi carus Superis, ſi carus amicis
Eſſe velis, animum ſemper cole: cetera mitte.
Cuncta poteſt ſpreviſſe aliquis, nemo omnia habere.
Ille opibus vincet Cræſos, illi fluet Hermus,
Cui licuit contemnere opes. ſunt denique certæ
Divitiæ, Virtus, Sapientia: quas neque bellum,
Nec mors ſuprema potis eſt rapuiſſe favilla.
Hæc mecum. Sed cuncta fluunt animo, ſimulatque
Tabentes artus, & commoda multa volentem
Aſpicio miſeram juvenili in flore ſenectam.
Crudeles Parcæ, dulcis nec dona juventæ
Carpere, nec lentos finitis finire dolores,

Non

Non mea vos pietas, tremuli non vota parentis,
Non lacrimæ veſtras potuerunt flectere mentes.
At tu, quem Phœbus letales pellere morbos
Edocuit, citharaque amnes cantuque morari,
Huc ades, o FRASTORI, averſaque Numina flecte
Carminibus, tabemque meo de corpore pelle.

JOANNIS BAPTISTÆ AMALTHEI,
In obitum HIERONYMI FRACASTORII.

NEC Sol ab ortu pulchrior aureum
Oſtendit axem, nec magis Heſperus,
Quum pura nox invexit aſtra,
Sidereos micat inter ignes,
Quam vera Virtus munere Cælitum
Terris refulſit. quam neque fulminis
Exterret ictus, nec minaces
Martis equi, nec iniqua bella.
Sed Ditis atri, quem ſemel horridis
Adjecit umbris dura neceſſitas,
Non dia Virtus, non Camœnæ
Ætherias revocant ad auras.
Nec Muſa quondam reſtituit parens
Fatis ademtum Threicium Orphea,
Quamquam ille dudum corda molli
Flexerat Eumenidum querela,
Auſus profundos flebilibus modis
Excire Manes, nigraque Tartara,
Noctemque damnatam ſubire,
Dum miſeram Eurydicen repoſcit.
Nec morte functum candida Pieris
Ad lucis oras, ad nitidum diem
FRASTORIUM vatem reducit
Sæpe Deos precibus fatigans:
Seu flexuoſo Tethyos e ſinu
Phœbus recurrens explicat aureas
Equis habenas, & rubente
Exhilarat ſua regna curru:
Sed noctis udæ prævius Heſperus
Sacros reliquit Nereidum choros,
Et Luna rorantes aperto
Extulit Oceano jugales.
Illum gementes Aonio in ſpecu

Fle-

Flevere Muſæ; nec mel apes, neque
Dulcem dederunt aſtra rorem, &
Flumina deſtituere cycni.
Nunc plena luctus omnia: nunc humi
Phœbea laurus, nunc hederæ jacent.
Nunc cæca nubes ſidus urget
Pierium Stygia ſub unda:
Sic puppis atro mergitur æquore,
Quæ bella nullis gentibus inferens
Fulgebat inſignis Sabæis
Muneribus, Phariaque merce.
Declivis alto Sol ruit æthere
Feſſas reclinans Oceano rotas:
Sed luce terras veſtit idem
Purpureo rediens Eoo.
Nos ut ſevera turbidus alluit
Cocytus unda, fataque Gnoſius
Judex abena movit urna,
Ad ſuperos via nulla ducit.
Quis victa morbis, victa doloribus
Firmabit herbis membra potentibus?
Quis verba devolvet rotata
Ambroſio nivis inſtar ore?
Tardaſque nectet fluminibus moras
Carmen decoro pectine temperans?
Carmen, quod argutis ab antris
Sæpe loquax iterabat Echo:
Tu, Phœbe, teſtis, quum tibi fervida
Sacrabat alto pectora numine
Oracula edoctus Pelaſum,
Sanctaque templa animi recludens.
Sive ille fati præpetis obviar
Tardaret alas Pœonis artibus,
Seu voce mallet, ſeu canoris
Pronum Atheſim fidibus morari,
Qua pulchra labens per vada libero
Amnis natatu Naiadum ſacros
Pertentas amplexus, & udam
Mordet aqua fugiente ripam.
Sed pone luctus, anxia Pieri:
Non ille magni cultor Apollinis
Urgetur obductus perenni
Nocte oculos, gelidoque ſomno:

Qui

Qui ſempiternæ menſus iter plagæ,
Et ſe beatis ſedibus inſerens
Acceſſit aſtris, & niteſcit
Altior invidiæ tenebris.

ADAMI FUMANI VERONENSIS.

LONGE *Vir unus omnium doctiſſimus,*
Verona per quem non Marones Mantuæ,
Nec noſtra priſcis invident jam ſæcula,
Virtute ſummam conſecutus gloriam
Jam grandis ævo hic conditur FRASTORIUS.
Ad triſtem acerbæ mortis ejus nuntium
Vicina flevit ora, flerunt ultimæ
Gentes, periſſe muſicorum candidum
Florem, optimarum & lumen artium omnium

LUDOVICI NOGAROLÆ COMITIS.

Ad Paullum Rhamnuſium Venetum.

F*RASTORII monumenta hoc tu dum,*PAULLE, *libello*
Colligis, e cæcis eripiens tenebris,
Scilicet ut Vates, Medicaque excelluit arte,
Percurritque domos ætherias animo,
Ingentes VERONA *refert tibi nunc mea grates*
Cum Baldo, Benacoque ſuo, atque Atheſi.
Qui tanto aſſurgent plauſu, quantum ipſa labore
Fama ſui civis ſe efferet aucta tuo.

JULII CÆSAAIS SCALIGERI,

Cujus etiam inter Poemata libellus exſtat, quem inſcripſit:

ARÆ FRACASTOREÆ.

O*S FRACASTORIO naſcenti defuit ergo,*
Sedulus attenta finxit Apollo manu.
Inde hauri, Medicuſque ingens, ingenſque Poeta;
Et magno facies omnia plena Deo.

JOANNIS MATTHÆI TOSCANI

De FRACASTORIO, Poetarum ſui ſæculi vere Principe.

Q*UI FRACASTORIUM titulo fortaſſe negabit,*
Quem Vati tribuit pagina noſtra, parem,

Aut

Aut non Pieriam guſtaverit ille, Marone
Quæ demto nulli vena ſecunda fluit:
Aut ſi guſtarit, nec mecum ſentiat, ille
Jam penitus guſtu judicioque caret.

EJUSDEM.

ANTE ſuo quamvis tumuit Verona Catullo,
Et fuit e claris urbibus una diu:
Attamen invidit primam tibi, Mantua, palmam
Hæc non læta ſatis proximiore gradu.
Atque aliquem, poſſit quem magno æquare Maroni,
Sollicita Phœbum det ſibi voce rogat.
At FRACASTORIUM lætis excepit ut ulnis,
Plus aliquid votis dat mihi Phœbus, ait.

FINIS.

M. ANTONII FLAMINII CARMINUM

LIBER PRIMUS.

AD FRANCISCUM TURRIANUM PATRICIUM VERONENSEM.

I.

ECCE Flaminii tui libellum,
Candidiſſime Turriane, quem nos
Donamus tibi jure, quando nemo
Tantum nos amat, aut amavit umquam
Neque hoc munere, quod mihi dederunt
Formoſæ manibus ſuis Camœnæ,
Dum colo Aonios puer receſſus,
Poteſt dignior ullus eſſe, quam tu,
Quem Phœbus pater, & novem ſorores
Amant non minus ac ſuos ocellos.
At vos, numina cara, Turriani
Famam cum lepido meo libello
Servate incolumem perenne in ævum.

II.

I I.

HYMNUS IN PANA.

JAM ſatis cecini fera
Regum prælia: nunc age,
Mater Pieri, quem Deum,
Quem dulci Æoliæ fidis
Plectro rite canemus?
An te, lanigeri gregis
Silvarumque virentium
Cuſtos, cui nigra Mænali
Terga, cui gelidi placent
Summa templa Lycæi?
Nymphæ, ſemiferam Jovis
Prolem dicite, dicite
Pana capripedem, leves
Suetum cum Dryadis choros
Silvis ducere in altis.
En ut grata ſilentia
Cantu noctivago Deus
Rumpit. cernite, io, venit,
En venit capitis feri
Serta pinea quaſſans.
Huc concurrite, virgines
Intactæ, & pueri integri:
At quibus ſcelera impia
Mentem ſollicitant, procul
Hinc abeſte, profani.
Abſint & querimoniæ,
Et mixtus lacrimis dolor:
Hic lætis choreis dies
Ducenda, hic leve tinnula
Carmen voce ſonandum.
O Pan Najadum pater,
Qui per devia montium
Valliumque reconditurum
Agreſtes agitas, canum
Cinctus agmine, lyncas:
Te divum, atque hominum ſator
Silvarum dominum dedit
Eſſe, qua roſeus dies
Surgit, quaque cadens rubris
Ponti mergitur undis.

Tu fontes liquidos gregi, &
Læta pabula ſufficis:
Tu cuſtos ovium potens
Dictus, mollia candidis
Exples vellera lanis.
Quos tu, ſancte, pio ſemel
Agnos lumine videris,
Illos nec ſtabulis lupus
Infeſtus rapiet, mala
Nec contagia lædent.
Felices nemorum comæ,
Quæ te, cum vaga roſcidus
Veſper ſidera protulit,
Dulci carmina fiſtula
Audivere canentem.
Tunc puræ melius nitent
Noctis conſcia ſidera:
Tunc auræ Zephyri tacent:
Tunc lætas croceis humus
Spargit floribus herbas.
Non tam dulce ſonat cadens
Udo in gramine cycnus, aut
Veris tempore floridi
Ales ſub ſilvæ querens
Denſis Daulias umbris.
Ergo Hamadryades deæ,
Limpidis ubi procubat
Umbra ſaxea fontibus,
Ludunt in numerum, & levi
Campos ter pede pulſant.
Tu vero choream regens,
Cantus ingeminas: ſonant
Lætis omnia plauſibus,
Et cultrix nemorum gemit
Imis vallibus Echo.
Mox feſſa Dryadum agmina
Propter gramineam ſedent
Ripam fluminis, hic ubi
Dulcem mollis amaracus
Late ſpirat odorem.
Et dum ſuave rubentia
Carpunt mala, vel aureos
Crines frigidulis aquis

Immergunt, liquida ſimul
Voce carmina dicunt.
Ut fulgentia ſidera
Et magnas ſuperum domos
Linquens, ad vaga flumina
Paverit niveas oves
Majæ clara propago,
Qua Cyllenia verticem
Rupes umbriferum nigris
Late fontibus irrigat,
Et gratas pecori vago
Semper ſufficit herbas.
Hic flavæ Dryopes ſinu
In molli recubans Deus
Cælo frondiferum nemus
Præfert, heu nimium gravi
Victus vulnere amoris.
At felix Dryope, novem
Poſt faſtidia menſium,
Optatum ex utero dedit
Poudus. Vix puer hauſerat
Dias ætheris oras,
Fugerunt Dryades, parens
Fugit territa, nam inguinum
Tenus hircus olens erat
Infans, binaque flammea
Stabant cornua fronte.
Tunc illum genitor ferens
Albis pellibus abditum,
Ad magni ſolium Jovis
Venit; nec mora, riſit immenſi
rector Olympi:
Riſerunt ſuperi: at Venus
In ſinu puerum tenens,
Viſus paſcit amabili
Monſtro, grataque turgidæ
Libat oſcula fronti.
Salve o Naiadum potens,
Salve, & hinc lacrimabiles
Morbos, & miſeram famem in
Extremas Arabum domos,
Et feros age Turcas.

III.

HYMNUS

In Bonam Valetudinem.

DIVA funeſtis inimica morbis,
Cui vigor mentis, ſolidumque robur,
Et joci dulces, animique ſemper
Gaudia cordi:
Te voluptatis canimus parentem,
Candidam blandæ Veneris ſodalem,
Unicum vitæ decus, & malorum
Dulce levamen;
Quam colunt ſanctæ juvenes, ſeneſque,
Quam ſibi cuncti cupiant, ſuiſque;
Nam ſimul cœtus hominum caducos
Alma reviſis,
Ilicet Morbi fugiunt protervi,
Occidit Febris truculenta, dirus
Occidit Pallor, fera Mors profundo
Exulat Orco:
At domus florent pueris, ſeneſque
Induunt fortem virides juventam,
Et Venus terras colit, & Lyæus,
Et bonus Hymen.
O quies rerum, o hominum benigna
Mater, o cunctis veneranda; namque
Quid poteſt gratum ſine te, quid niſi
Dulce videri?
Huc ades noſtrum miſerans laborem,
Sive te cæli tenet aula, ſive
Inſulis molles choreas beatis
Læta frequentas.
Huc ades tandem, bona diva, & artus
Languidos aura refove ſalubri,
Ne meam tabes edat immerentis
Atra juventam.

IV.

HYMNUS

In Dianam.

AT TE quis tacitam ſinat,
O caſtiſſima cælitum,

Cultrix o Erymanthii,
Gynthiiſque receſſus?
Te chori, & citharæ juvant,
Te juvat ſtrepitus canum
Audire, & celeres feras
Acri figere cornu.
At cum Sol abit aureus,
Tu perfuſa liquentibus
Undis Oceani, vago
Luſtras æthera curru.
Currum lucida ſidera
Sectantur pede candido,
Laſcivas meditantia
Pura nocte choreas.
Tunc ſilvæ memor, aureos
Flores, & violaria.
Et parvas ſegetes levi
Nutris humida rore.
Tu ferum mare temperas,
Tu noti, & pluviæ potens,
Tu partus aperis prece
Ter vocata puellæ.
Salve, dux bona ſiderum;
Altorum dea montium,
Salve, votaque virginum
Audi rite precantum.

V.

HYMNUS

In Auroram.

ECce ab extremo veniens Eoo
Roſcidas Aurora refert quadrigas,
Et ſinu lucem roſeo nitentem
Candida portat.
Ite, pallentes tenebræ, ſub Orcum,
Ite, quæ tota mihi nocte diros
Manium vultus, mihi dira ſemper
Somnia fertis.
Da lyram vati, puer, ipſe flores
Sparge, dum canto. Bona diva, ſalve,
Quæ tuo furvas radiante terras
Lumine luſtras.

En tibi ſuaves violas, crocumque,
En odorati calathos amomi:
Surgit, & noſtros tibi dulcis aura
Portat odores.
Deferat laudes utinam preceſque,
Quas tibi ſupplex mea Muſa fundit,
Jam pio ſanctos bene docta divos
Tollere cantu.
Quis tuam digne celebrare lucem
Poſſit, o almæ genitrix diei?
Quis tuam formam, o dea ante divas
Pulchrior omnes?
Ut genas cælo roſeas, comamque
Auream profers, tibi fulva cedunt
Aſtra, decedit rutilante victa
Luna decore.
Te ſine æterna jaceant ſepulti
Nocte mortales: ſine te nec ullus
Sit color rebus, neque vita doctas
Culta per artes.
Tu gravem pigris oculis ſoporem
Excutis; (leti ſopor eſt imago)
Evocans tectis ſua quemq; lætum ad
Munia mittis.
Exſilit ſtratis rapidus viator,
Ad jugum fortes redeunt juvenci,
Lætus in ſilvas properat citato
Cum grege paſtor.
Aſt amans caræ thalamum puellæ
Deſerit flens, & tibi verba dicit
Aſpera, amplexú teneræ cupito a-
vulſus amicæ.
Ipſe amet noctis latebras doloſæ,
Me juvet ſemper bona lux. nitentem
Da mihi lucem, dea magna, longos
Cernere in annos.

V I.

DE DELIA.

O FONS Melioli ſacer,
Lympha ſplendide vitrea,
In quo virgineum mea
Lavit Delia corpus;

Tuque lenibus enitens
  Arbor florida ramulis,
  Qua latus niveum, & caput
  Fulſit illa decorum;
Et vos prata recentia,
  Quæ veſtem nitidam, & ſinum
  Foviſtis tenerum uvida
  Læti graminis herba;
Voſque auræ liquidi ætheris,
  Noſtri conſciæ amoris, ad-
  eſte, dum queror, atque vos
  Suprema alloquor hora.
Si ſic fata volunt fera,
  Si ſic eſt placitum deis,
  Ut nobis amor impia
  Morte lumina condat,
Saltem pro pietate mea
  Hoc concedite, frigidum
  Ut corpus liceat mihi
  Veſtra ponere terra.
Sic ſatis moriar libens,
  Si ſpes hæc veniat ſimul;
  Quod nullo melius loco hos
  Linquet ſpiritus artus.
O ſi tempus erit modo,
  Cum ſuetum huc aditum ferat,
  Quæ nos ante diem nigros
  Cogit viſere manes,
Et locum aſpiciens, ubi
  Illo purpureo die
  Me vidit, miſerum ſuis
  Multum quærat ocellis!
Sed jam frigida pulverem
  Inter ſaxa videns, ſtatim
  Pectore ardeat intimo, &
  Me ſic fata repoſcat,
Ut vitæ veniam impetret,
  Et cogat ſuperos ſuum
  In votum, humida candido
  Tergens lumina velo.
Pulchris undique ramulis
  Inſtar imbris in aureum
  Manabant dominæ ſinu
  Flores ſuave rubentes.

Talis

Talis Idalia Venus
Silva, ſub viridi jacet
Myrto, puniceo hinc & hinc
Nimbo tecta roſarum.
Hic flos purpureas ſuper
Veſtes, hic ſuper aureos
Crines, hic roſei ſuper
Oris labra cadebat:
Ille gramine roſcido
Inſterni, hic vitrea ſuper
Lympha nare, alius cito in
Gyrum turbine verti.
Leni murmure candidum
Audiſſes Zephyrum tibi
Palam dicere, Regnat hic
Blandi mater Amoris.
Tunc mecum ter, & amplius
Dixi: Aut venit ab æthere
Hæc alto, vel Oreadum
Certe ſanguinis una eſt.
Sic & blanda protervitas,
Sic & virgineum decus
Oris, verbaque dulcia
Memet abſtulerant mihi,
Ut ſuſpiria ab intimo
Fundens pectore, ſæpius
Dicerem: Huc ego qua via,
Quove tempore veni?
Nam ſuper nitidum æthera
Evectus volucri pede, &
Magni concilio Jovis
Intereſſe videbar.
Illo ex tempore frigerans
Fons, & prata recentia, &
Arbor florida ſic mihi
Mentem amore revinxit,
Ut ſeu nox tenebris diem
Pellit, ſeu rapidum fugit
Solem, non alia miſer
Umquam ſede quieſcam.

VII.

DE SACELLO CORYCIANO.

DI, QUIBUS tam Corycius venuſta
Signa, tam dives poſuit ſacellum,
Ulla ſi veſtros animos piorum
Gratia tangit,
Vos jocos riſuſque ſenis faceti
Soſpites ſervate diu, ſeneɛtam
Vos date & ſemper viridem, & Falerno
Uſque madentem.
At ſimul longo ſatiatus ævo
Liquerit terras, dapibus deorum
Lætus interſit, potiore mutans
Neɛtare Baccum.

VIII.

PAULLI TERTII
PONTIFICATUS MAXIMUS.

JAM nox ſidera Tethyos
Undis cæruleis condere cœperat,
Cum lætæ volucres diem
Venturum vario carmine nuntiant;
Argutæ fidicen lyræ
Alcon, auricomo gratus Apollini
Alcon, in viridi ſedens
Ripa Tybridis hæc dulcia fundere
Cœpit carmina, Lesbium
Aurato feriens peɛtine barbiton.
Jam Sol Oceano diem
Ducet purpureis, Roma parens, equis,
Quo Farneſius incl yti
Heros imperii ſceptra potentia
Sumens auſpicio Deum
Felici, Auſonijs attulit urbibus
Pacis gaudia candidæ;
Et belli furias alpibus, & mari
Arcens, triſtia dulcibus
Mutavit litui murmura canticis
Ex illo nitidis viret
Arvis tuta Ceres, Bacchus & exteris

Cre-

Creſcit liber ab hoſtibus,
Nec noſtros abigit miles atrox greges,
Nec paſſim pila ferrea
Ictu fulmineo mænia concutit,
Nec diſcordia civium
Cognato maculans ſanguine dexteras
Miſcet prœlia; quo nihil
Sol, qui cuncta videt, ſpectat acerbius.
PAULLO denique tertio
Rerum præſide, vis, & furor impius,
Et triſtes ſuperum minæ
Exceſſere procul finibus Italis,
Illuxitque beata diu
Optato veniens tempore Fauſtitas;
Ut quondam medio in mari
Jactatis validi turbinis impetu
Nautis Tyndaridæ ferunt
Fratres auxilium ſidere dextero.
Ergo jam novus incipit
Rerum ordo, facies jam nova cernitur:
Antiquum revocat decus
Divum Roma domus, & caput urbium,
Et magnis legionibus
Turcam, & Danubii flumina territat.
Fortunata per oppida
Cornu fundit opes Copia divite:
Virtuti ſuus eſt honos,
Et legum timor, & priſca redit fides.
Sed jam purpureum bonæ
Oſtendit Veneris ſtella oriens diem.
Salve, lux nitidiſſima,
Natali proprio carior omnibus,
Quos pulcherrima ſuſtinet
Regnis Heſperiæ terra feracibus,
Te nec Juppiter horridis
Infuſcet nebulis, nec malus invida
Contriſtet pluvia Notus,
Nec lux Oceano pulchrior exeat.
Fœcundi aura Favonii
Pingat cæruleis gramina liliis:
Stillent mella virentibus
Ramis: lacte mero, Tybri pater, fluas.
Tum læti choreæ: Joci

Ducant, nec geminis juncta ſororibus
Abſit Gratia, nec Pudor
Sanctus, nec Pietas, almaque Veritas.
At tu, nobilis imperi
Vertex, magnanimum Roma Quiritium
Mater, ſurge cadentibus
Aſtris, & ſuperum dona fer omnibus
Templis: incipe debitas
Prima luce Deis reddere gratias
Cantu, ac turis honoribus,
Et PAULLO Pylii tempora Neſtoris
Ora, qui tibi ſæcula
Saturni veteris rettulit aurea.

I X.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM.

PULCHRÆ Naiades, bonique Fauni,
Dilectum juvenem vocate ad iſtas
Mecum delicias. Ades, Quiritum
Alexander ocelle. ſat tuliſti
Dura frigora, ſat graves calores,
Et caſus varios periculorum.
Te vidit Tagus aurifer citatis
Equis currere, te rapacis unda
Rheni, te Liger, & Garumna vidit
Iratos properantem adire reges,
Et componere bella, fœderumque
Leges dicere: te feras per alpes
Nuper terrificis euntem in armis
Faunique ſtupuere Oreadeſque,
Dum cinctus legionibus Latinis
Petis Vindelicas tremendus oras,
Et magnum Carolum tuo labentem
Firmas præſidio, truceſque noſtris
Agris Teutonicas minas repellis.
Sed jam deſine, jam ſatis laborum
Pro cara Italia ſubiſti: omitte
Curas Urbis, & Orbis, æſtuoſa
Dum Canicula ſævit, otiumque
Præfer dulce negotiis, ut alti.

Vir-

Virtus Stipiadæ ſolebat olim
Factitare, tumultuoſa Romæ
Linquens mœnia ter, quaterque in anno.
Hic quieſce parumper, hic moleſtis
Te furare laboribus. licebit
Horas fallere fervidas legendo
Muſæ verſiculos Horatianæ,
Et quæ Mæonides facer, facerque
Canit Vergilius, licebit antra,
Et fontes gelidos adire. riſus,
Et joci comites procul fugabunt
Curas, triſtitiamque; nec pudebit
Modo incompoſitos videre motus
Saltantis Pholoes: modo aſſidere
Canenti Melibœo; aves tenaci
Viſco fallere, piſcibus juvabit
Dolos tendere vitreis ſub undis.
Nec cervi, leporeſve, capræve
Abſunt; accipiterque copioſas
Hic prædas agit: omnibus venuſta
Rura denique gaudiis redundant.
Ergo mœnia Romuli, & ſevera
Cuncta deſere: ſed cavebis illas
Turmas innumerabiles clientum
Tecum ducere. ſit comes Mapheus,
Et Mirandula, Romuluſque docti
In primus homines bonique. ad illos
Addantur alii viri elegantes,
Sed pauci tamen. haud beata guſtes
Ruris commoda, ni ſuperfluentes
Pompas Urbis in Urbe derelinquas.

X.

AD AGELLUM SUUM.

FORMOSA ſilva, voſque lucidi fontes,
Et candidarum templa ſancta Nympharum.
Quam me beatum, quamque dis putem acceptum,
Si vivere, & mori in ſinu queam veſtro!
Nunc me neceſſitas acerba longinquas
Adire terras cogit, & peregrinis
Corpuſculum laboribus fatigare.
At tu Diana, montis iſtius cuſtos,

Si ſæpe dulci fiſtula tuas laudes
Cantavi, & arma floribus coronavi,
Da cito, dea, ad tuos redire receſſus.
Sed ſeu redibo, ſeu negaverint Parcæ,
Dum meminero mei, tui memor vivam,
Formoſa ſilva, voſque lucidi fontes,
Et candidarum templa ſancta Nympharum.

X I.

AD LITAVIUM SPERANTIUM.

NON ſemper rapido Cynthia belluas
Curſu perſequitur, nec miſeris ſolet
Semper letiferum Delius impiger
Arcum tendere gentibus,
Aut regina ſuum Calliope melos
Noctes, atque dies continuat, neque
Ipſis perpetuo ſævit in ignibus
Infeſtus Veneris puer,
Tu numquam ſtudiis otia triſtibus
Interponere amas: ſed magis in dies
Pallentem ſequitur cura ſcientiam,
Atque alti labor ingeni.
At contra ſapiens quam bene Socrates
Doctus cum pueris ludere! ſic gravis
Olim Panthoides ſeria mollibus
Condibat citharæ modis
Quin & Scipiadæ Lælius abdito
Lucrini varias littore conchulas
Certabat legere, ut grandia publicæ
Curæ tædia poneret.
Jam mittas, *Litavi*, quærere, quæ Dei,
Quæ natura animæ, cur Jovis optima
Sit lux, curve ſenex falcifer invido
Terras lumine faſcinet.
Indulge potius, dum licet, otio,
Et ſolare levi Flaminium lyra
Mærentem ob dominæ diſſidium Chloes,
Et Lygdæ nova prœlia.

XII.

X I I.

AD SE IPSUM DE ADVENTU HIEMIS.

JAM bruma veniente præterivit
Æſtas mollior, & cadunt ab altis
Frondes arboribus: tepor Favoni
Immanes Boreæ furentis iras
Formidans abiit: illum agri voluptas
Canoræ volucres ſequuntur. ergo
Et nos dulcia rura deſeramus,
Dum Ver purpurea coma decorum
Reducat Zephyri repentis auram.
Horti deliciæ meæ valete,
Fontes luciduli valete, ſalve
Mihi villula carior ſuperbis
Regum liminibus. recedo, ſenſum
Sed meum hic animumque derelinquo.

X I I I.

DE LAUDIBUS LAURI.

LAURE, conſpicuo nitens
Semper tegmine frondium,
Quas nec bruma gelu rigens,
Nec ſævi rabies Noti
Læto privat honore,
Te canam, nemorum decus
Arborumque virentium,
Inter quas ita gloria
Præſtas, ut teneras ſuper
Vites tollitur alnus.
Iratæ fugiens minas
Junonis, celeri ut pede
Latona Ortygiam attigit,
Te viſa, gemini ſtatim
Solvit pondera fœtus.
Hinc tantis meritis parem
Phœbus reddere gratiam
Quærens, horrificum neci
Ut Pythona dedit, tua
Cinxit tempora fronde
De in vocalibus Aonum
Silvis inſeruit, te ubi

La.

Lactis fluminibus leves
Nymphæ, & capripedes rigant
Dulci nectare Fauni.
Nec colles Heliconios
Dextro contigerit pede
Te quiſquam ſine. nam prius
Ex Lauro capiunt ſua
Sancti præmia vates.
Quin & limina Cæſarum,
Victoremque etiam tuis
Exornas ſoliis ducem,
Cum Victoria nobili
Plena pulvere venit.
Cum primum hæc dea præpete
Penna fortia Romuli
Intrat mœnia, poneris
Tarpeii in gremio Jovis
Lætæ nuntia pacis.
Quamvis ipſe Dieſpiter
Crebris fulminibus Deum
Templa concutiat, tamen
Nullis ipſa tonitribus
Igni tacta coruſco es.
Quis te laudibus efferat
Dignis, Laure? nocentium
Tu purgamina ſordibus
Præbes, veraque cornea
Mittis ſomnia porta.
Te pulcherrima ſoſpitet
Latona, & cohibens levi
Arcu Cynthia belluas:
Te Phœbus viridem tuus
Omne ſervet in ævum.

XIV.

AD BACCHUM.

AGE, Bacche, quis furor me rabidũ occupat? io io
Rapior, & alta curſu volucri in nemora feror,
Ubi ſacra Mænades cum trieterica celebrant,
Furibunda ſolent vagantes agitare tripudia.
Audire videor alto reboantia ſtrepitu
Ubique æra: jam choris, jam videor nemorivagis
Celer intereſſe turmis. evoe mihi ſola ſub
Pedi-

Pedibus tremunt, nubes evoe pulverea diem
Mihi tollit. adeſt, adeſt jam Semeleja propius
Soboles: io venit, tinnula cymbala reſonant,
Phrygis recurva ſtridet grave tibia calamis.
Evoe vagus abit animus, evoe tremula flagris
Mihi terga quatit furor. parce precor, precor, animæ
Stimulis citare tantis: alios rape celeres
Per opaca Thraciæ rura, alii capita rotent
Hinc & hinc reflexa, thyrſiſque feras hederigeris
Lanient. in otioſis ego ſacra latibulis
Faciam, aureiſque Bacchi pia numina fidibus
Referam novus ſacerdos. tua, Liber, initia
Cantabo, & iſta, donec mihi vita ſupererit,
Habitabo nemora, ſemper tuus, Evie, famulus.
Quod ſi bene, pater, Evantum me inſetere choris
Animo eſt, & altæ furibundum per juga Rhodopes
Agitare, tuo mihi ſaltem munere liceat
Rabidi furorem amoris compeſcere, pater, &
Da ſervitio gravi dominæ vivere vacuum.

X V.

AD AGELLUM SUUM.

Umeræ frigidulæ, arborum ſuſurri,
Antra roſcida, diſcolore picta
Tellus gramine, fontium loquaces
Lymphæ, garrulæ aves, amica Muſis
Otia, o mihi ſi volare veſtrum
In ſinum ſuperi annuant benigni,
Si dulci liceat frui receſſu,
Et nunc ludere verſibus jocoſis,
Nunc ſomnum virides ſequi per umbras,
Nunc mulgere mea manu capellam,
Lacteoque liquore membra ſicca
Irrigare per æſtum, & æſtuoſis
Curis dicere plurimam ſalutem;
O quæ tunc mihi vita, quam beata,
Quam vitæ ſimilis foret deorum!
At vos, o Heliconiæ puellæ,
Queis fontes & amœna rura cordi,
Si cara mihi luce cariores
Eſtis, jam miſereſcite obſecrantis,
Meque, urbis ſtrepitu tumultuoſæ
Ereptum in placido locate agello.

XVI.

XVI.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM

CARDINALEM.

JAM diem gyro breviore claudens
Phœbus inſani rabiem Leonis
Sedat, Autumnumque refert decorum
Mollior æſtas.
Ille maturis redimitus uvis
Lætus incedit per amœna rura:
Ejus aſpectu exhilarata ducunt
Poma colorem.
At puer flavæ Semeles ſodalem
Candidum gaudens rediiſſe, prodit
Obviam longe: ſocias choreas
Jungit uterque.
Saltat hos circum thiaſus, jocoſi
Panes, & paſſo Dryades capillo,
Fiſtulis mixtum reſonat ſuavis
Tibia carmen.
Ipſa pomoſos Cytherea in agros
Migrat, & pulcher Jocus, & Voluptas:
Tu tamen durus potes in moleſta
Urbe morari,
Semper & magnum celeri per orbem
Mente, Farneſi, volitas, quid acer
Turca, quid Rhenus paret, ac remota in
Parte Britannus,
Providens longe. ſed omitte curam
Imperi paucis vacuus diebus:
Te magis tantos vegetum ad labores
Rura remittent.

XVII.

AD AGELLUM SUUM.

VEnuſte agelle, tuque pulchra villula,
Mei parentis optimi
Olim voluptas, & quies gratiſſima
Fuiſtis: at ſimul ſenex
Terras reliquit, & beatas cælitum
Petivit oras, incola

Vos

Vos alter occupavit, atque ferreus
Amabili veſtro ſinu
Me lacrimantem ejecit, & caris procul
Abire juſſit finibus.
At nunc, amica rura, vos reddit mihi
Farneſii benignitas.
Jam vos reviſam, jam juvabit arbores
Manu paterna conſitas
Videre, jam libebit in cubiculo
Molles inire ſomnulos,
Ubi ſenex ſolebat artus languidos
Molli fovere lectulo
Gaudete, fontes, rivulique limpidi;
Heri vetuſti filius
Jam jam propinquat, voſque dulci fiſtula
Mulcebit, illa fiſtula,
Quam veſtro Iolæ donat Alcoa Maximus,
Ut inclyti Farneſii
Laudes canentem Naidum pulcher chorus
Miretur, & Pan capripes.

XVIII.

AD MUSAM DE PHILIPPO OBERMAIRO.

COLLIS Aonii puella cultrix,
Una ex virginibus novem tenellis,
Quam nec bella cruenta, nec labores
Solis dicere, ſed puellularum
Amores, querimonias, jocoſque
Laſcivis elegis juvat referre;
Hanc myrtum tibi dedicat Philippus,
Natus Vindelicis Philippus oris,
Sed tam cultus, & elegans poeta,
Tam dulcis lepiduſque, ut Italorum
Nemo ſit propior tuo Tibullo.
Hanc ille irrigua fovebit unda,
Hanc perfundet odoribus, tuaſque
Laudes aſſidue ſub hujus umbra,
Molli carmine concinet. puella
Pulchra, tu juveni fave, tuæque
Fac ſit deliciæ, tuique amores.

X I X.

AD VETURIAM MATREM, ET JULIUM, ET FAUSTUM

Fratres mortuos.

MAter candida, candidique fratres,
Qui me funere rapti acerbo, in atris
Lugentem tenebris videtis & cum
Sol terras hilarat nitente luce,
Et cum nox placidum refert ſoporem,
Jam mei miſereſcite, & deorum
Supplicate parenti, ut exuens me
Vinclis corporeis, volare veſtros
Ad manes ſinat; eſt enim relictum
Nihil dulce mihi, nihil, quod ægrum,
Et mærentem animum levare poſſit,
Præterquam lacrimæ, & querelæ, ab imo
Et ſuſpiria corde tracta. quod ni
Timeret mea mens, adire dum vos
Urget, ne, procul a piis repulſa,
Vobis perpetuo careret, ipſum
Ferrum jam mihi corpus exuiſſet.

X X.

AD JOANNEM ANTONIUM FLAMINIUM

Patrem morientem.

VIxiſti, genitor, bene, ac beate,
Nec pauper, neque dives, eruditus
Satis, & ſatis eloquens, valente
Semper corpore, mente ſana, amicis
Jucundus, pietate ſingulari.
Nunc luſtris bene ſexdecim peractis
Ad divum proficiſceris beatas
Oras, i, genitor, tuumque natum
Olympi cito ſiſte tecum in arce.

X X I.

AD ANTONIUM MIRANDULAM.

ANtoni venerande, anima mihi carior ipſa,
Romamne ſemper incoles?
Te nec avaritiæ morbus, nec fervida honorum
In Urbe detinet ſitis.
Vis igitur properemus, ubi Dovadula Muſis
Amica præbet otia?
Hunc agrum dat habere tibi Farneſius heros,
Quo nil amœnius, neque
Fertilius Baccho, & Cereri gratiſſima tellus
Togata cernit Gallia.
Has age delicias, & dulcia rura petamus,
Quo pulcher Autumnus vocat,
Et Baccus pater, & virides Pomona per herbas
Cum Gratiis ducens choros.
Jam videor tecum patula projectus in umbra
Ad lucidi fontis caput,
Diſcere, nubigenam quæ mille coloribus Irim
Vis pingat imbris nuntiam;
Cur cadat æſtivo glacialis ſidere grando;
Quis tantus excitet furor
Ventos, horriſonas curvato gurgite ut undas
Ad alta mittant ſidera;
Altera cur auro tellus fluat, altera ferro,
At illa gemmis ſplendeat.
Felix, qui rerum cauſas, Mirandula, noſti,
Et eleganter explicas.
Tu docti pridem male culta vireta Lycæi
Poſt longa primus ſæcula
Efficis, ut priſco revireſcant more, quod omnis
Miretur ætas poſtera,
Teque parem dicat magnis herbibus illis,
Quos ipſa Pallas artibus
Erudiens claris dat adhuc ſplendere per orbem,
Ut pulchra cæli lumina.

X X I I.

AD APOLLINEM.

CYnthii cultor nemoris, beatas
Voce qui Nymphas, citharaque mulces,
Phœ-

Phœbe, ſupremi Jovis, & deorum
Blanda voluptas,
Si tibi ſemper mea mens ab annis
Serviit primis, neque dulce cordi
Eſt meo quidquam ſine te, precanti
Annue dexter.
Ut mihi optatum dat habere agellum
Clara Farneſi pietas, gravique
Liberans cura, jubet otioſam
Ducere vitam.
Sic tuo vati liceat, perenni
Nomen illius celebrare cantu;
Et viri in noſtris vireat libellis
Gloria ſemper,
Myrtus ut luco viret in latenti,
Fonte quam nutrit liquido decora
Nais, & ſævas hiemes, & æſtus
Arcet iniquos.

X XIII I.

NÆNIA IN MORTEM FRANCISCÆ SFORTIÆ SORORIS GUIDI ASCANII CARD.

PUELLA delicatior
Molli columba, pulchrior
Roſæ rubentis floſculo,
Cur immerentem candidis
Te ſæva Parca fratribus,
Et conjugi dulciſſimo
Prima juventa ſuſtulit?
Sic florem hiantem mollibus
Telluris almæ amplexibus
Vellens procella turbinis
Leves in auras diſſipat.
Franciſca, acerbo funere
Cæli relinquens lumina,
Tuæ domus, & patriæ
Cuncta abſtuliſti gaudia.
Te mollis unda Tybridis
Flens crevit, ipſæ crinibus
Paſſis puellæ Naides

Fle-

Flevere; ſeptem collium
Queſtus ad alta ſidera
Ivere: lucidum caput
Sol lugubri ferrugine
Velavit, atra civitas
Cum te ſepulcro poneret,
Pudor, Venuſtas, Gratiæ
Sunt hoc ſepulcro conditæ.
Crudelis, implacabilis!,
Iniqua Mors, cornicibus
Tam longa parcis ſæcula,
Et huic puellæ tam cito
Manus rapaces iniicis,
Quæ debuit Amphryſiæ
Viciſſe vatis tempora.
Nec te rogantis dulcia
Flexere verba, ferream
Quæ vim valebant frangere
Nec oris illa dignitas,
Cui Pallas ipſa ceſſerat,
Tui furoris imperum
Tardare quivit, impia.
Nil fratris Aſcani favor,
Quẽ magna Roma ſuſpicit,
Caræ ſorori profuit:
Nil vota PAULLI Tertii,
Quo terra nil majus videt,
Juvere neptem candidam.
At ſævias licet, fera
Mors, vivet ipſa funeri
Suo ſuperſtes, omnium
Volans per ora gentium
Franciſca, magnæ gloria,&
Dolor perennis patriæ.

X X I V.

EPITAPHIUM FRANCISCÆ SFORTIÆ.

FRANCISCÆ tumulo teguntur iſto
Oſſa Sfortiadis, viator. Illa
Et forma memorabili puella,
Et ſancti ſpecimen fuit pudoris;
Digna vivere ad ultimam ſenectam.

Sed

Sed mors, optima quæque prima tollit.
Ipſam Romula gens, avuſque PAULLUS
Tertius lacrimis piis honorant:
At deum genitor, deique gaudent
Eſſe concilio ſuo receptam,

X X V.

EPITAPHIUM JOANNIS MATTHÆI GIBERTI, PONTIFICIS VERONENSIS.

GIberti venerator hic ſepulcrum,
Quem *Ligur* genuit Panormi in urbe,
Roma nutrit, & diu regendi
Orbis participem beata vidit,
Dein Verona recepit, & magiſtrum
Sinceræ pietatis, & parentem
Mirata eſt. nihil ille, quod beatam
Poſſet reddere civitatem, omiſit:
Nunc cælo fruitur beatus ipſe.

X X V I.

AD SUAVISSIMUM SODALEM SUUM.

SEnex plauſtribus loquacior ranis,
Turbaque ſemper garrula cicadarum,
Tu nunc relictis villulis Capenatum,
Sinu Bononiæ educaris in dulci,
Qua civitate delicatior nulla eſt;
Vitamque lætam vivis atque felicem
Fruens Morono, ſtrenuoque Cervino,
Quos publicarum cura nobilis rerum,
Ardenſque ad alta ſidera evehit virtus.
At cum reverſus ad tuos agros, triſti
Silentio miſer, otioque marceſces,
O quam vicem tuam dolebis! & cæli
Lucem nitentem quam videbis invitus,
Cum vita morte jam videbitur pejor!
Senex dicacule, & facete nugator,
Feſtivitatis magne amator urbanæ,
Dic, caprimulgos inter atque foſſores,
Et ſenticoſa rura gentis inſulſæ
Quid dulce poterit eſſe, quidve jucundum?

Cum

Cum quo jocando tunc dabitur ineptire?
Quis elegantes ventitabit ad cœnas?
Cui poſt Falerna vina de malo. & ſacro
Libro venena verſuum propinabis?
Megæra, non Camœna, quos tibi dictat,
Ut ſic acerba peſtilentior peſte
Tuos ſodales eneces, quibus centum
Abeſſe millia paſſuum, nihil prodeſt:
Nam charta tetro infecta carminum tabo,
Quam ſæpe doni maximi loco mittis,
Modis legentum corda polluit miris,
Ut liberare languidos ſuis ſuccis
Nec ipſe Phœbus, ipſa nec Salus poſſit.
At tu poeta letifer, tuos, quæſo,
Amiculos ne perde peſte tam dira,
Sed peſſimis jam pone verſibus finem;
Sævire vel ſi pergis, hoſtibus ſævi.

XXVII.

DÆ VERSIBUS PHILIPPI OBERMAIRI.

Dulces verſiculi, meo Philippo
Quos dulciſſima Muſa molli in umbra
Dictat Caſtaliæ, ſuo lepore
Sic ſenſum afficiunt meum, meumque
Sic cor exhilarant, ut iis legendis
Curæ ſollicitæ, anxii timores,
Et ſuſpiria, lacrimæque amaræ
Confeſtim fugiant; velut, ſuaves
Cum ſpirant Zephyri tepente vere,
Cælo nubila, candidæ pruinæ
Terris diffugiunt; novique flores
Pingunt gramina gemmeo colore.
Dulces verſiculi, tenelli, Amorem
Spirantes, Veneremque, Gratiaſque,
Semper vivite, ſemper irrigate
Veſtro nectareo liquore ſenſus,
Et mentes hominum venuſtiorum.

XXVIII.

AD PHILIPPUM BEROALDUM JUNIOREM.

SCribes Bentivoli fortia Principis
Tu facta, & Ligurem ſanguine Julium
Gaudentem Latio, infeſtaque Galliæ
Noſtris agmina finibus.
Nec parco referes carmine, quam fera
Atrox in Selinum bella gerat Sophis,
Dum Turcas odio perſequitur gravi
Regnis pellere patriis.
Nos diva, Idalium quæ nemus incolit,
Et miſcere ſimul dulcia triſtibus
Gaudet, Mæonia non patitur tuba
Regum dicere prœlia,
Nec Thebas veteres, primave Romuli
Sceptra, auſamve Deum tecta refringere
Telluris ſobolem, aut excidio datum
Grajis Ilion ignibus.
Nos heu Hierophiles cogit amor male
Cervicem laqueo ſubdere diſpari,
Quem nec Theſſalico murmure ſaga, nec
Duræ gramen Iberiæ,
Nec Circeja queat ſolvere nænia.
Tu non viſa canes prœlia: nos gravem
Experti dominæ ſævitiam, levi
Curas eluimus fide.

XXIX.

AD GRATIAS.

GRATIÆ, pulchræ Veneris ſodales,
Queis ſine gratum nihil aut venuſtum eſt;
Non Amor, non ipſa Venus, jocive,
Blanditiæve;
Tres fero vobis violæ coronas
Flore fulgentes, ego terna vobis
Candidi lactis, totidemque libo
Cymbia mellis:
Vos meis dulcem numeris leporem
Addite, ut ſemper bene docti ad aures
Grata Farneſi veniant Iolæ
Carmina veſtri,

XXX.

XXX.

DE LAUDIBUS MANTUÆ.

FELIX Mantua, civitatum ocelle,
Quam Mars Palladi certat uſque & uſque
Claram reddere gentibus, probiſque
Ornare ingeniis virorum, & armis!
Te frugum facilis, potenſque rerum
Tellus, te celebrem facit virente
Qui ripa, calamiſque flexuoſus
Leni flumine Mincius ſuſurrat,
Et qui te lacus intrat, adveniſque
Dites mercibus invehit carinas.
Quid palatia culta, quid deorum
Templa, quid memorem vias, & urbis
Moles nubibus arduis propinquas?
Pax ſecura loco, quieſque nullis
Turbata exſiliis, frequenſque rerum
Semper copia, & artium bonarum.
Felix Mantua, centieſque felix,
Tantis Mantua dotibus beata,
Sed felix magis, & magis beata,
Quod his temporibus, rudique ſæclo
Magnum Caſſaliona protuliſti!

XXXI.

AD CÆSAREM FLAMINIUM.

CÆSAR æterno mihi junƈte amoris
Vinculo, immites aditure mecum
Non modo Hyrcanos, Erebi ſed atra
Regna profundi,
Ne mihi pulchros Ligurum receſſus,
Neve Campani memores venuſta
Rura Sebethi, aut placidas amœni
Tiburis arces.
Ipſe nil doƈti patriæ Catulli
Comparo; hic vivam, & moriar beatus:
Hac mihi toto nihil eſt in orbe
Gratius urbe.
Tu ferax vatum generoſa tellus,
Hoſpitum nutrix, & amica, vatem
Hoſpitem ſe ſe tibi dedicantem
Candida nutri.

Vos lares dulcis patriæ valete;
Non enim poſſum miſeras videre
Civium pugnas, gladioſque fratrum
Sanguine tinctos.
Vos tamen ſemper mea mens amabit,
Me licet Parcæ rapiant ad orbem,
Zona quem Solis dirimit coruſco
Torrida ab igni.

XXXII.

DE FONTE BAGNAJÆ.

HUnc fontem amœnum, qui vireta limpidis
Et ornat, & fœcundat iſta rivulis,
Magni Rodulphi magna liberalitas
Cæſis medullis montium Canalia
Per longa duxit; hoc tibi, terra optima,
Dans munus omni præferendum muneri.
Nam quod vetuſto pollíceris nomine,
Præſtare nunc primum incipis uberrima
Lympha; vocari ſcilicet BAGNAIA,
Vocabulo jam patrio digniſſima.

XXXIII.

AD VILLAM MARIANAM.

De Victoria Columna.

SALVE magna domus, meæ Columnæ
Natalis, domus o beata ſalve.
Hic ne vagiit illa Muſa, doctis
Quam Phœbus decimam addidit Camœnis?
Cæli lumina vidit hicne primum
Cælo femina digna? digna celſis
Naſci, & vivere in ædibus deorum:
Supra ſidera ſidus ipſa clarum?
O felix domus! hic Minerva pulchras
Artes edocuit meam Columnam:
Hic illi citharam dedit canorus
Apollo; Superaque, dixit, omnes,
O Victoria, feminas canendo,
Quotquot magna tulit, feretque tellus;
At te ne ſuperent novem ſorores,
Jovis progenies novem ſorores.
Fortunata domus, domus beata!

Audi-

Audiſti toties meæ Columnæ
Illa carmina, quæ movere mentes,
Quæ vim ſiſtere fluminum ſolebant.
Tibi Cynthia ſilva ſæpe, ſæpe
Invidit tibi Cirrha, & antra Pindi,
Et fontes Heliconii receſſus.
Jactat Creta Jovem, ſuam Dianam
Delos inclyta: tu tua Columna
Gloriare domus beata. pace
Et Jovis liceat loqui & Dianæ,
Non Delo minor es, minorve Creta.

XXXIV.

AD DIANAM,

CASTA Latonæ ſoboles Joviſque,
Quæ pharetratis comitata Nymphis,
Cynthium collem peragras, nigrique
Silvam Erymanthi,
Bocchius, linguæ decus utriuſque,
Doctus errantes agitare cervos,
Hanc tibi villa media locatam
Dedicat ulmum;
Unde veloci domitæ ſagitta
Pendeant lynces, timidique damæ,
Atque vivacis tibi conſecrata
Cornua cervi.

XXXV.

CATELLA AD REGINALDUM POLUM.

CUR me, Pole, tua venire ad urbem
Lectica prohibes? tuæ quid, oro,
Summæ participem benignitatis
Eſſe non pateris? Canes bonorum
Heroum comites fuere ſemper;
Et cælum Canis incolit ſupremum
Inter ſidera; nec polus, beata
Sedes cælicolum, ſuam Catellam
Dedignatur habere ſecum: at ipſa
Sum deſpecta tibi, nec unum apud te
Angulum valeo impetrare. verum,
Si noſtram vacet æſtimare formam,
Non indigna tuo favore credar.
Eſt pilus mihi lucidus, venuſtæ

Pendent auriculæ. nigris ocellis,
Et caudæ placeo jubis comatæ.
Nec ſum corpore vaſta, nec figura
Tam brevi, ut videar puellularum
Comes dignior eſſe, quam virorum.
Nec turpi ſcabie laboro; nec ſunt
Inviſi pulices mihi moleſti.
Nec ſum prorſus mutilis futura,
Si laſſam recreas, vehiſque tecum;
Nam pedes tibi ſuaviter foveo,
Qui jam frigoribus rigent acutis.
Nec vero timeas, luto referta
Quod via aſſidue ambularim; amicus,
Et cliens tuus optimus, Morilla
Me ſuis manibus pie, ac benigne
Puro flumine ter quaterque lavit,
Et munda dedit eſſe mundiorem
Sponſa, quam bona mater ad maritum
Vult deducere nuptiis paratis.
Quod ſi non ſatis hæc videntur eſſe
Ad flectendum animum tuum; catelli
[Ah nimis miſeri mei catelli!]
Te, precor moveant, tenella pleno
Quos geſtans utero, pedes movere
Vix queo amplius: & tamen neceſſe eſt,
Milliaria ſingulis diebus
Multa conficiam miſella, ni te
Volo linquere. Sed prius vel iſtis
Optem filiolis meis ſepulcrum
Fiant viſcera matris; ipſa præda
Optarim prius eſſe vel luporum,
Quam te, maxime Pole, derelinquam.

XXXVI.

CATELLA IN MADIUM.

Quid, efferate, quid, Madi nequiſſime,
Catella feci blandula,
Cur me meoſque liberos crudeliter
Lingua proterva perderes?
Per te, ſceleſte, factum, ut aſperas quoque
Polus benignus in feras,
In me foret crudelis, ac meas preces
Ventis ferendas traderet;

Et

Et quæ reliqui patriam, & dulces lares,
Ne ſtulta vos relinquerem,
Afflicta, mærens, ſemimortua cum meis
Linquor catellis in via,
Futura præda mox lupis rapacibus,
Turpive corvorum gregi,
Nec forma rara, nec mihi fidelitas
Favore digna profuit:
Nec pulchra proles, ventre quam gero, ſaxea
Mollire quivit pectora.
Proles miſella, matre cum miſerrima,
Eheu tenebras horridas
Adibis Orci, antequam nata haurias
Jucunda cæli lumina!
Hoc urit anxium cor, hoc multo mea
Me morte pejus enecat.
At tu, catellam amabilem, & mitiſſimam
Qui cæde perdis impia,
Madi, in moloſſum peſſimum incidas, precor,
Qui te Deos inanibus
Votis vocantem laceret, ac membra omnia
Dente cruento differat.

XXXVII.

AD AURAM DE REGINALDO POLO CARD.

AUra, quæ lucum viridem pererrans
Nos levi blande recreas ſuſurro,
I, citis, quæſo, pete Reginaldum
Candida pennis;
Tempera & ſuavi rapidum calorem
Spiritu, circum volitans, nec æſtus
Igneus frangat ſine delicati
Corporis artus.
Sic ferum ſemper Boream ſonoro
Æolus clauſum teneat ſub antro:
Sic tibi numquam noceat furentis
Impetus Auſtri.

XXXVIII.

DE LIBELLIS ANDRÆ NAUGERII.

QUOT bruma creat albicans pruinas,
Quot tellus Zephyro ſoluta flores,
Quot ſpicæ Libycis calent in agris,
Quot vindemia porrigit racemos,
Quot vaſtis mare fluctuat procellis,
Cum naſcens pluvias reportat Hœdus,
Quot Ceraunia frondibus teguntur,
Quot cælum facibus micat ſerenum,
Quot ſunt millia multa baſiorum,
Quæ dari ſibi poſtulat Catullus,
Quotque ſunt atomi Lucretianæ,
Tot menſes, bone Naugeri, tot annos
Vivent aureoli tui libelli.

XXXIX.

AD MUSAS DE HORATIO GUALTERUTIO CAROLI FILIO.

NYMPHÆ progenies Jovis ſupremi,
Cultrices Heliconii receſſus,
Quas cantus juvat & leves choreæ,
Vobis ſe famulum dicat tenellus
Hic puer citharam ferens eburnam,
Et ſtylum, & tabulas, puer diſertus,
Et dicaculus, & nitens; novella
Ut myrtus viridi hortulo. Puellæ
Pulchræ, illum ſinite ad vireta veſtra
Lætum accedere; nec juventa molli
Flore veſtiat os ei, poeta
Dum factus culicem Maronis æquet,
Aut vincat potius, venuſtiora
Ludens carmina roſcidis ſub antris.

XL.

AD HORATIUM GUALTERUTIUM CAROLI FILIUM.

ALumne Muſarum puer, tibi Thalia dulcis
Ab urbium frequentia remoto in antra Pindi,

Fron-

Frondis corona myrteæ caput decorum inumbrat,
Lyramque eburneam aureo docet ferire pleſtro;
Docet ſonare vocula dulci melos ſuaves,
Quo fluminum volubiles moratur illa curſus.
Non plus Marone parvulo canorus olim Apollo
Gaudebat: Orpheū parens non plus tenellū ama-
O digne vita cælitum, tibi neant Sibyllæ [bat.
Vivacis ævum innoxiæ manus trium ſororum.

X L I.

DE GASPARE CONTARENO.

DEſcripſit ille maximus quondam Plato
Longis ſuorum ambagibus voluminum,
Quis civitatis optimus foret ſtatus:
Sed hunc ab ipſa ſæculorum origine
Nec ulla vidit, nec videbit civitas.
At Contarenus optimam Rempublicam
Parvi libelli diſputationibus.
Illam probavit eſſe, plus milleſima
Quam cernit æſtas Adriatico in mari
Florere pace, litteris, pecunia.

X L I I.

AD RODULPHUM PIUM CARD. DE MORTE CONSTANTINI FRATRIS.

JAM modum figas nimio dolori,
Magne Rodulphe, & pueri quietam
Deſinas umbram miſeris querelis
Sollicitare.
Occidit frater tibi jure dulci
Carior vita; tamen ille juſtis
Non reviviſcet lacrimis. nec ipſa
Parca movetur
Queſtibus; nec te pietas juvabit
Hic tua. Obſcuras potuit deorum
Manium ſedes penetrare quondam
Thracius Orpheus,
Viſus & blandæ citharæ canoris
Vocibus ſævas Furias movere,
Conjugem caram ſuperas ad auras
Ducere tendens.
Pæne jam lucem miſer hauriebat;

Ditis impulſu ſtetit, & ſequentem
Reſpicit: retro fugit illa venti
Ocyor alis.
Hanc Charon putri revehit phaſelo,
At procul ripa minitans, maritum
Arcet incaſſum repetentem avari
Munera Ditis.
Scilicet leges ſuperum refigat
Nemo; mortalis pereat, neceſſe eſt:
Ut libet, vitam pater ipſe divum
Donat, & aufert.
Mors rapit cunis cita vagientem?
Flore ſub primo cadit alter ævi:
Hic nimis vivax queritur caducæ
Damna ſenectæ.
Sic Jovi magno placitum. Quid ergo
Nitimur contra? miſerique ſemper
Vivimus? quanto ſatius, libenter
Ferre, quod æqua
Mente ni ſuffers, tamen eſt ferendum.
Quo reluctantes trahere obſtinata
Vis ſolet ſtultos, ſapienter ipſi
Ibimus ultro.

XLIII.

AD ACHILLEM BOCCHIUM.

ERGO [proh ſuperum fidem!
Iſto contegitur marmore Julia,
Clarum Felſineæ decus
Urbis? ſic igitur, ſic periit bona
Noſtri mater Achillei?
Nec quidquam pietas ſollicita in Deos,
Nec quidquam integra profuit
Et mens, atque animi candor amabilis?
En quiſquam, juvenum optime,
Conſolando tuis ponere lacrimis
Finem cogitet? hic, miſer,
Hic flendum, hic querulis omnia cantibus
Imple. haud aſpera nunc ſuis
Intrantem pepulit te foribus Chloe:
Non non candidior nive
Faſtidit tua nunc carmina Tyndaris.
Et collo dare brachia

Oran-

Orantis refugit: ſed miſer, ah miſer,
Mater Julia, Julia
Heu mater, propriis luminibus tibi, &
Vita carior occidit!
Quid laudare ſacris uſque pium juvat
Vatem numina cantibus?
Lesboumque agili tangere barbiton
Plectro? ah carmina, barbitos,
Surdorum ah valeant numina cælitum.
Sed quid irrita fundimus
Lamenta? immeritos invidia Deos
Quid pulſamus inutili?
Omnes una eadem mors manet. ibimus
Omnes ad tenebras nigri
Plutonis. ſed enim cum ſemel occidis,
Non forma, aut decor ingeni,
Nec te cana Fides eripiet feri
Ex Orci manibus. pius
Fruſtra, parce mihi proficientibus
Jam, Bocchi, querimoniis.
Maternas, aliquis ſi manet Inferis
Senſus, credibile eſt tuo
Lædi umbras gemitu. deſine, deſine;
Et conſtanti animo feras,
Quod mutare nequit dura neceſſitas.

X L I V.

AD CÆSAREM FLAMINIUM.

NE Midæ ingentes ſtupeas acervos,
Cæſar, aut fultam Pariis columnis
Regiam, aut regis nitido micantes
Ære catervas:
Iſta ſed vulgus feriant inane.
Tu piam mentem ſuperos domumque
Parvulam, & quantum ſatis eſt agelli
Fertilis ora.
Ille theſauros Arabum, & ſuperbas
Indiæ gazes habet: has, & illos,
Mente qui celſa, populique vanos
Spernit honores.
Tu licet regno potiare, dives
Quod tenet Medus, tamen uſque ſervis,
Imperat donec tibi plus habendi

Dira cupido.
Triſte portentum, macieque ſemper
Lurida pallens. nihil hac ab Orco
Sævius miſit ſuperas ad auras
Ira deorum.
Cautus hanc vita. fugit hora curis,
Et ſimul vitæ poſitura finem.
Poſt rogum diſtat nihil ipſe nudo
Crœſus ab Iro.

XLV.

GRATULATUR, ALEXANDRUM FARNESIUM

Gravi morbo liberatum eſſe.

DA vati citharam, puer,
Et mecum ſuperis incipe debitas
Cantu ſolvere gratias,
Qui nobis juvenem reſtituunt ſacrum.
Jam triſtes quærimoniæ
Ceſſent, jam lacrimis, optima civitas,
Tandem pone modum piis:
Jam di, Roma, tuas audierunt preces.
En Farneſius inclytus
Vivit, nec miſeram funere patriam
Fœdat. dicite, virgines,
Dis laudes, pueri dicite candidi:
Ludis, lætitia, jocis,
Et fauſtis reſonent omnia plauſibus.
Cælo nubila Juppiter
Pellat. Sol, nitidum jam caput exſere.
Urna fundere limpidas
Undas incipiat jam Tyberis pater,
Et ſeptem geminos tegant
Montes purpureis lilia cum roſis.
At tu, Romuleæ parens
Urbis, certa ſalus, & decus Italæ
Gentis, maxime PAULLE, jam
Divis ſolve bonis vota. nepos valet;
Invictoque animo feret
Tecum una imperii pondera maximi;
Alcides velut impiger
Fulſit ſuppoſito ſidera vertice.

XLVI.

AD BACCHUM.

HAnc vitem tibi dedico racemis
Gravem purpureis, pater Lyæe;
Pro qua tu mihi vineam tuere
Non dico a Satyriſve, capreiſve,
Non a grandinis impetu, vel Auſtri,
Sed a Pygmalione Formiano,
Qui ſua horribili voratione
Plus nocere queat duabus horis,
Quam grando, Satyrique, capreæque,
Et venti rabies duobus annis.

XLVII.

JOCATUR IN PYGMALIONEM FORMIANUM.

SI villam mihi læſerit puſillam
Pagus, ſurripiens favos, merumve,
Aut pernas, oleumve, fictileſve
Urnas, haud equidem deos rogabo,
Furum ut grandine rura verberentur,
Dum fruges gravidis tument ariſtis,
Nec lupi ut rapiant oves; ſed unum hoc
Vindicem ſcelerum Jovem precabor,
Ut cum ducere cœperit colorem
Uva livida, mittat horum in agros
Dirum Pygmaliona, vinearum
Peſtem, & Tartareo cane, & Charybdis
Hiatu horribili voraciorem.

XLVIII.

AD VICINOS.

VIcini, moneo, procul fugate
Iſtum Pygmaliona, vinearum
Diram perniciem. canum frequentes
Adſint excubiæ: diem, atque noctem
Sagittæ, & lapides minentur. & cum
Iſthæc omnia feceritis, ipſe
Vias inveniet tamen vorandi.

XLIX.

VINEA.

ILLA ego innumeris onuſta nuper
Racemis, decus inclytum coloni,
Omnes vinea vineas propinquas
Vincens fertilitate, nunc nec unum
Quidem ſervo acinum miſella. quæris,
Unde hæc pernicies mihi, viator?
Venit Pygmalion ſilente nocte,
Et una minus hic moratus hora
Me, quis crederet? integram voravit.

L.

VINITORES.

PRÆTOR optime, vineas tueri
Ab hoc Pygmalione jam nequimus.
Quo vorat magis, in dies, & horas
Augeſcit magis & magis vorandi
Libido furioſa, nec Charybdis
Hujus viſcera quidquid eſt ubique
Uvarum ſaturare poſſit. ergo
Rogamus miſeri coloni, ut iſta
Tempeſtas, barathrumque vinearum
Pellatur procul hinc malas in oras,
Dum vindemia pendet: aut bibemus
Lympham pro mero, & omnium labores
Obſcœna ingluvie unius peribunt.

LI.

AD PYGMALIONEM.

CEdat, Pygmalion, tibi Celæno,
Harpyæque aliæ malæ, & rapaces
Cedat horribilis Chimæra: cedat
Et Scyllæ rabies tremenda. & illa
Cedat inſatiabilis vorago,
Quam Graji veteres vocant Charybdim.
Cedat tergeminus canis, laborque
Cedat Herculis Hydra. vincit omnes
Tua inſignis edacitas; nec illam
Jam queat ſaturare vinearum
Quidquid maximo in orbe Sol tuetur.

L I I.

A D E U M D E M.

UVÆ pernicies nefanda, ſi quam
Pro tua ingluvie fera, & tremenda
Pœnam judicio meo mereris,
Hanc jus exigat: optimas ad uvas
Relegere, manus, pedeſque vinctus:
Et ſemper capiti tuo imminentes
Racemos habeas, eoſque numquam
Poſſis tangere. Non mehercule orbis
Rotæ Ixioneæ, vel unda fallens
Parentem Pelopis, vel omne in ævum
Renaſcens Tityi jecur, vel ingens
Saxum Siſyphi, & omnium impiorum
Pœnæ omnes ſimul huic tuo, miſelle,
Queant ſupplicio pares vocari.

L I I I.

A D B A C C H U M.

TU, qui centimanum potes gigantem
Cælo trudere, Pentheumque regem
Leto mittis & impium Lycurgum;
Et Gangem ſuperas, & ultimum Indum,
Inviċtiſſime Bacche; non furentem
Iſtum Pygmaliona jam coerces?
Qui fera ingluvie incitatus omnes
Vineas vorat, & tuum liquorem,
Qui ſervandus erat cadis in annos
Plures, mittere ventris in cloacam
Totum pergit, & annuos labores
Abſumit male pauculis diebus.
O monſtrum horribile ultimas in oras
Pellendum, aut magis Inferos ad imos!

L I V.

A D E U M D E M.

QUOD noſtras, bone, vineas, Lyæe,
Servaſti incolumes, & integellas
Diro Pygmalione ceterorum
Vineta ingluvie fera, & nefanda
Vaſtante, hoc tibi ponimus ſacellum;

Quod

Quod pro tempore ſit quidem puſillum
Acerna ex trabe, ſed tamen venuſtum eſt:
At ſi ſuſtuleris ferum, & tremendum
Hoc monſtrum, populus tibi merenti
Ædem marmoream, pater, ſacrabit.

L V.

DE HORTIS BLOSII PALLADII.

BLOSI villula ter quaterque felix,
Feliciſſimi hortuli poetæ
Venuſti, teneri mei ſodalis,
Quo vivente, ſales, joci, lepores
Vivent: ac pereunte, diſperibunt:
Ille molliculam ſuam Turundam
Vos docet reſonare, vos jocoſis
Ludentem hendecaſyllabis odoro
Fovetis gremio: relicta Apollo
Cirrha, Pierideſque vos frequentant,
Ex quo deliciæ ſuæ, ſuique
Amores Bloſius vireta veſtra
Cirrhæ prætulit, Aonique monti.
Quid mirum, bona rura, ſi feratis
Dulci nectare poma dulciora?
Has dulciſſimus omnium poeta
Plantulas manibus ſuis feraces
Sevit, inſerit, & colit, ſuoque
Muſæo aſſidue rigat lepore.
Hoc perfuſa lepore tam venuſtos
Flores, tam varios benigna tellus
Paſſim fundit humo: hoc lepore eodem
Fontes luciduli, antra opaca, amœnum
Nemus, tectaque pulchra condiuntur;
Ut omnes Venereſque, Gratiaſque
Hortis omnibus, omnibuſque villis
Omnino videamini abſtuliſſe,
Hortuli nimis, & nimis beati,
Tuque villula ter quaterque felix.

L V I.

AD BLOSIUM PALLADIUM.

QUalis ſuſurrus arboris, cum florido
Jam vere ludit aura primis frondibus:

Ve-

Veſanientis quale per Caniculæ
Æſtum jacere in diſcolore gramine,
Sub umbra amœna, fontis ad lympham ſacri;
Tales mihi, poeta jucundiſſime,
Luſus tui, quibus Turundam carmine
Tam bello, amabili, & faceto concinis;
Ut illa carior Catulli paſſere
Jam ſit mihi, ſive eſt quid illo carius.

L V I I.

DE TURUNDA BLOSII PALLADII.

TURUNDA, turdis eſca ſolis cognita,
Venuſta cum te Muſa non cognoſceret,
Nunc es lepore verſuum dulciſſimo
Condita ſic a Bloſio meo, ut cibos
Sis facta menſis principum gratiſſimus.

L V I I I.

D E E A D E M.

TURUNDA, turdos ſueta edaces paſcere,
Poſtquam faceti Muſa culta Bloſii
Dulcem leporem carminis tibi addidit,
Non amplius turdos agris, ſed urbibus
Mentes virorum paſcis elegantium.

L I X.

T U R U N D A.

CUm domos humiles Turunda ruris
Ignota incolerem, doloſque turdis
Hic parare ſolerem, amore captus
Mei Bloſius, omnium poeta
Urbaniſſimus, ad ſuos penates,
Et palatia celſa Vaticani
Montis ducere ruſticam, rudemque
Haudquaquam erubuit, ſuæque Muſæ
Jocis, & numeris, leporibuſque
Condiens, ita amabilem ſaporem
Addidit mihi, ut ire non vererer
Ad menſas hominum elegantiorum.
Quin Farneſius ipſe, flos Quiritum,
Cœnas magnificas ſua Turunda

Ornat cotidie. Hæc ego ipſa mecum
Non ſemel reputans, ſatis ſuperque
Fortunata mihi videbar eſſe,
Ut quod præterea Deos rogarem,
In mentem hercule nil venire poſſet.
At nunc maximus ille rex Olympi,
Qui terras tonitru quatit ſonoro,
Miſit alipedem Deum venuſta
Forma, pileolo comas tegentem
Flavas, anguibus implicata virga
Cui geſtamen erat manus decoræ,
Ardebant oculi, & genas rubentes
Pingebat niveus color, novoque
Malas flore juventa veſtiebat.
Is me purpureo ore ter quaterque
Tentans corripuit, volanſq; ſummum
In cælum ad teneram tulit puellam,
Pulchram, Juppiter! & decentem, aitque:
Quam gentes Italæ vocant Turundam
Servato, ſoror, uſque dum parata
Jam cœna pater accubet: petenti
Tūc dato hanc;etenim poeta ſummus,
Cui nomen Bloſio eſt, eam canendo
Tantis laudibus extulit, comeſſe
Ut ipſam cupiat pater deorum;
Et quidem meritiſſimo: ſapore
Hæc enim ambroſiæ mihi videtur
Longe ſuavior, omnibuſque rebus
Mortales quibus, & quibus beati
Paſcuntur ſuperi. hæc locutus ille
Abit: me nivea puella dextra
In cella bene olente collocavit,
Ubi ſunt epulæ deum repoſtæ.
Sic ego auſpiciis bonis ab agro
Ad urbem veniens, ab urbe ſummum
In cælum penetro, cibus ſupremo
Jovi, & cælitibus futura magnis.

L X.

TURUNDA.

QUis hoc credat? ego illa, quam comeſſe
Nec dites, neque pauperes ſolebant,

Quæ

Quæ ſolis avibus parabar eſca ,
Nunc lautis ſuperum Turunda menſis
Acceptiſſima ſum; nec ullus eſt jam
Qui non ambroſiæ meum ſaporem
Longe præferat. ore quiſque divum
Me vorat cupido, & caniſtra plena
Menſis terque quaterque fert Juventa;
Nec tamen ſatis eſt. Quid erudito,
Dicat forte aliquis, deum palato
Te gratam facit. o Turunda? nempe
Bloſi dædala Muſa me lepore
Suo condit ita apte, & eleganter ,
Ut quo plus edor, hoc magis magiſque
Augeſcat ſtudiumque,amorq; edendi .
Quod ni cælicolas pudor vetaret,
Ab iis manderer uſq; & uſq; & uſque:
Junonique, Jovique, ceteriſque
Dis magnis, mediocribus, puſillis
In manu forem, & ore continenter .

L X I.

T U R U N D A.

QUAM ſim cælitibus Turunda grata ,
Bloſi, diſce ſimul, ſimulque ride .
Formoſus veneris puer , puerque
Ideus Jovis inclyti miniſter ,
Me ſemper manibus gerunt , vorantque ,
Seu domi libeat manere , ſive
Per cæli varias vias vagentur .
Ilos quidam e ſuperis ſenex , opacam
Qui barbam gerit , intuens ocellis
Obliquis gemuit , dolenſque dixit :
Felices pueri , quibus Turundam
Per annos licet eſſe continenter ,
Et domi , & platea quoque frequenti ;
Quod idem ut liceat mihi , libenter
Sim trimus puer . At tibi ſenectus
Sit ſemper viridis , poeta magne ,
Cujus munere præferor beatis
A dis ambroſiæque , nectarique ,
Seu quid ſuavius eſt , magiſve dulce .

L X I I.

T U R U N D A.

ILLA ego, illa Turunda, ruſticorum
Quæ ſpurca fieri manu ſolebam,
Ut turdos caperem, cibus doloſus,
Nunc domum Jovis incolo ſupremi,
Ad cælum hendecaſyllabis vocata
Bloſi, candidi, & optimi poetæ.
Hinc me pulchra Juventa delicatis
Confectam manibus ſuis, deorum
Ad menſam aureolo ferens caniſtro
Omnes exhilarat. vorat jocoſa
Ore purpureo Venus Turundam:
Implet Juppiter os ſuum Turunda:
Turundam ambroſiæque, nectarique
Præfert Mercurius: Deum palato
Nil eſt denique gratius Turunda.
Immo dique, deæque cum Turundæ
Nil dulcedine poſſe comparari
Arbitrantur; & omnium Turunda
Præſtantiſſima judicor ciborum.
At tu, culte poeta, qui facetis
Tuis verſibus evehens ad aſtra,
Me miſces dapibus deorum, amicos
Illos experiare ſemper, & cum
Terras liqueris, ad tuam Turundam
Fruendam venias, receptus almi
Jovis concilio, ſacraque menſa.

L X I I I.

T U R U N D A.

QUOD orta in agro, & educata ruſticis
Caſis, Quirini mœnia, & celſas domos
Menſaſque principum virorum maxima
Cum laude adivi, & inde campos aeris
Erecta ſupra, Solis aureum jubar,
Et clara Lunæ cerno ſub me lumina;
Quod me Juventa pulchra delicatulis
Formare palmis gaudet, & quod infimis
Terris cibus volucrum, at alto in æthere
Cibus deorum nominor gratiſſimus;

Quod

Quod denique ille rex Olympi maximus,
Supremꝗa rerum cui poteſtas omnium,
Me dulciorem affirmat ipſo nectare,
Tuæ Camœnæ, Bloſi, id omne debeo;
Tuæ Camœnæ, qua nec ulla dulcior.
Nec ulla cœtu dignior cæleſtium.

L X I V.

T U R U N D A.

Pater deorum, voſque magni cælites,
Si quid Turundæ vota ſupplicis valet,
Si dulce vobis extitit quidquam meum
Meo poetæ digna, quæſo, præmia
Pro liberalitate veſtra ſolvite.
Ut ipſe dulci dulciorem nectare
Vobis Turundam reddidit, ſic illius
Vos integratis viribus concedite,
Forti juventa ut ſic ſenecta fortior,
Cunctiſque rebus, ut cupit, fluentibus,
Tantis dies noctesque abundet gaudiis,
Ut ſemper ipſi læta portet ſomnia
Quies profunda, dulcis, & facillima.
Tum quos paravit delicatos hortulos,
Pomona ſemper incolat, nec arbores
Æſtu ſinat, durove lædi frigore,
Notive flatu, aut verberante grandine.
Hic uva Cretam vincat; & Phæaciam
Malus, pyruſque, Mediamque citrius:
Hic prata ſemper floribus lætiſſima,
Hic ſint Favoni grata ſemper murmura,
Semper volucrum ſilva cantus audiat;
Nec manet ullo fonte lympha purior,
Loquaciorve; cumque vis Caniculæ
Furens hiulcat arva, ſiccat uberes
Aquas, abundet hic amœnus fontium
Liquor, gelu, niviſque vincens frigora.
Senex facetus, ſub virente pampino
Projectus alta in herba ad undas vitreas
Suam Turundam cantet: illum Naides
Inuſitato carminis tactæ ſono
Luſtrent choreis: ſerta canis crinibus
E fronde myrti nectat alma Cypria.
Sic ille centum lætus annos exigat,

Nunc

Nunc civitatis deferens frequentiam,
Nunc infrequentes urbe mutans hortulos.
At cum peractis curſibus vitæ ſeni
Jam fila Parcæ legerint noviſſima,
Illique placida mors ocellos clauſerit,
Blandi ſoporis more ſenſus auferens,
Suam Turundam viſat alto in æthere,
Poeta cœtu cælitum digniſſimus.

L X V.

AD BLOSIUM PALLADIUM.

POETA docte, culte, amabiliſſime,
Ipſa Turunda dulcior, quod audeo
Tuæ Camœnæ candidæ facetias
Laudare turpi & infaceto carmine,
Ecquid perinde ineptio, ac ſi condiam
Abſinthio mel? aut lutoſa dextera
Velim polire virginem pulcherrimam?
Sed contra habeto ſic, & animum advertito;
Ut pulchra turpi comparata pulchrior
Puella ſit; ſic & poetæ non bono
Bonus poeta copulatus, optimi
Nomen lucratur. ipſe, qui jure optimo
Poeta paſſim nominaris optimus,
Quid ergo non lucraberis, ſi plumbeas
Nugas meas, tuoſque verſus aureos
Uno atque eodem junxeris volumine?
Sed ſerio tandem ut loquar, quæ carmina
Scripſi jocando de Turunda, hæc nemini,
Si quid tuum ſodalem amas, oſtenderis;
Nam tecum ineptus eſſe, & inſulſiſſimus
Impune poſſum, ceteris ſim fabula.

M.

M. ANTONII FLAMINII CARMINUM

LIBER SECUNDUS.

AD STEPHANUM SAULIUM.

I.

POne metum, Sauli, longas jam pone querelas;
Flaminius valet, ac lætus tibi carmina dictat.
Scilicet ut Romæ corruptas fugimus auras,
Et riguos patriæ montes, ſaltuſqae ſalubres
Venimus, effœtos venit quoque robur in artus.
Diffugit macies, diffugit corpore pallor,
Et ſomnus vigiles irrepſit blandus ocellos;
Quem neque deſiliens crepitanti rivulus unda,
Nec Lethea mihi duxere papavera quondam.
Jam valeat Romana meo cum Principe tellus,
Certum eſt, in patriis ævum conſumere ſilvis.
Si lætus pomis, & vili paſcor oliva,
Et juvat anguſto vitam traducere tecto
Ignotum, duplici pellentem frigora panno,
Quid Regum turres, ac limina magna potentum
Perſequor, & dulcem dimitto ſtultus agellum?
At tu, quem virtus, generis quem antiqua ſuperbi
Ad ſummos jam nobilitas tollebat honores,
Vitaſti ſapiens urbana negotia: nunc te
Lauricomas inter ſilvas, citrioſque nitentes
Muſarum placidæ traducunt otia vitæ.
Tu gelidam ſtratus formoſi fontis ad undam,
Qua leviter cultis immurmurat aura viretis,
Occultas rerum cauſſas, cælique meatus,
Quid deceat, quæ ſint fugienda, ſequendavé, tractas.
Tu magni eloquium Tulli, numeroſque ſecutus,
Condis perpetuis manſura volumina chartis.
Nec tamen irriguos hortos ornare colendo,
Nec citrium ſerere, aut buxum tondere comantem
Negligis, aut ſedes apibus optare quietas;
Dulcia divini decerpens gaudia ruris.
Te, juvenis venerande, ſequar; quantumque benigni

Di

Di dederint vitæ, contentus paupere tecto
Jam vivam mihi ſecretis inglorius arvis.

I I.

I A N T H I S.

VEniſti tandem, tandem mea ſola voluptas,
Veniſti, & lucem miſeræ vitamque tuliſti.
Quantum vere novo gaudet laſciva capella,
Æſtivis quantum ſitientes imbribus horti,
Tantum, Mopſe, tuo reditu lætatur Ianthis.
Te ſine, care puer, leto mihi triſtior ipſo
Viſa fuit, tardoque dies mihi tardior anno.
Seu tenebras Veſper, ſeu lucem ferret Eous,
Me flentem Veſper, flentem cernebat Eous.
Lugebant ſilvæ, lugebant mollia prata,
Formoſuſque ſuos amiſerat hortus honores;
Et deſiderio domini pecus omne peribat.
Dulcia nunc tecum redierunt gaudia cunctis.
Aſpice, te læta pinus complectitur umbra;
Arguto properans te murmure lympha ſalutat,
Albaque purpureum tibi ducunt poma colorem;
Ipſa ego nunc dulci ſaturabo lumina vultu.
Diſcedet macies, diſcedet corpore pallor,
Et tecum longos peragam feliciter annos.
Seu teneras ſolito paſces in monte capellas,
Seu patrios fines linques, & pabula nota,
Quidquid ages, formoſe puer, tua cara puella
Tecum ſemper erit, terras comes ibit in omnes.
Jam didici, quid ſit juvenem expectare morantem;
Exſpectans una vel nocte puella ſeneſcit.

I I I.

AD NYMPHAS DE FONTE PHILALETHIS.

NAiades pulchræ, pulchris e fontibus ortæ,
Hanc lympham vobis Philalethes dedicat. illa
Nec fons frigidior quiſquam, nec purior. at vos
Arenti veſtram lympham defendite ab æſtu,
Neu ſitiant myrti, neu deſit floribus humor;
Et domino ruris viridem ſervate ſenectam.

IV.

IV.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM.

Farneſi, vatum decus, & ſpes unica, noſtri
Solus principium, & finis tu carminis eſto:
Utque optata mihi dexter facis otia, ſic te
Manſuro liceat cantu celebrare, meiſque
Floreat æternum tua virtus inclyta chartis:
Quod ſpondent Muſæ,& cultus mihi ſemper Apollo.
Nam qui nec vates, nec dulcia carmina curat,
Ille licet gazas Arabum, Crœſique talenta
Congerat, & priſco ſit regum a ſanguine cretus,
Attigit infelix ubi metam ignobilis ævi,
Deſpectum jacet in tenebris ſine nomine corpus,
Villicus occulto moriens ut pauper agello.
Quaque pio vati prudens ſi dona dediſſet,
Viveret exequiis invita morte ſuperſtes,
Illa meretrici dabit hæres. O male ſani,
Diſcite, divitiis uti ſapienter. Avaris
Obruit hic aurum terris, cæcoque furore
In mediis opibus vivit rerum omnium egenus:
Alter avaritiam ſæva plus morte peroſus,
Rem patriam ſtulte vetitos effundit in uſus,
Ingentemque auri ſcurtæ populantur acervum.
At ſapiens recte diſpenſat dona deorum;
Dat partem patriæ; reficit labentia templa;
Et Muſas fovet, & ſacros ante omnia vates.
Ergo illum dulci tollunt ſuper æthera cantu,
Mortalemque vetant inviſæ occumbere morti.
Sic Mæcenatis, quo Tuſcia gaudet alumno,
Uſque feret nomen diverſas fama per oras,
Dum rapidus circum terras volvetur Olympus.
Ille quidem magnos reges æquaverat auro,
Cumque ipſo curas partiri & gaudia fuerat
Auguſtus Cæſar, rerum cui prima poteſtas:
Sed nihil Auguſtus, nil pondera divitis auri
Profuerunt, vitæ legeret cum fila ſuprema
Parcarum manus. obſcura caligine leti
Conſitus inferna ſemper latuiſſet in umbra,
Ni miſerata virum divini Muſa Maronis,
Ipſius ad clarum famam evexiſſet Olympum.

Scili-

Scilicet ingeniis varia eſt vis inſita. rerum
Invigilant alii cauſſas aperire latentes;
Et convexa poli penetrant, maneſque ſubimos.
Hic jura imperiis deſcribit: at ille rotundo
Attentum ore tenet populum magnumque ſenatum.
At ſi quem placidis naſcentem vidit ocellis
Caſtalii regina chori, & formoſus Apollo,
Ille urbis ſtrepitum fugit, & viridantia ſilvis
Rura colens, gaudet longos extendere in annos
Magnanimum heroum divino carmine laudes.
Ergo age virtutem, juvenum flos candide, ſolam
Mirare, & doctos tua ſemper cura poetas
Ornet alatque; tuum ut vivat per ſæcula nomen.

V.

DE SE ÆGROTANTE.

Ergo adeo cœptum peraget Mors impia curſum,
 Ut poſt everſæ triſtia fata domus,
Me quoque ſurripiat primo vix flore juventæ?
 Et noſtra exiguus jam tegat oſſa lapis?
Di, quorum auſpicio communes hauſimus auras,
 Parcite nunc vitæ rumpere fila meæ:
Parcite, ſi veſtros ſuſpexi ſemper honores,
 Si nullo infecta eſt candida mens ſcelere.
Non prius ac cæli curſum confecit, Ibero
 Tingit anhelantes gurgite Phœbus equos:
At nunc perpetuam nobis Mors pallida noctem
 Portat, & infernos cogit adire lacus.
Et nondum eſt rugis facies mihi languida, nec dum
 Infecit nigras alba ſenecta comas.
Sic roſa vix lætum calathi pandebat honorem,
 Cum cadit, & rutilo murice pingit humum.
Jane pater, noſtræ quondam ſpes una juventæ,
 Jam condes manibus lumina noſtra tuis!
Jam me poſtremo tumuli donabis honore;
 Et cupies tantis non ſupereſſe malis.
Aſt ego ſecura nequidquam mente parabam
 Grandia mox Umbri dicere facta Ducis.
Ut validas olim bello devicerit urbes;
 Quem tremuit victis pulcher Iſaurus aquis:
Ut nunc indomitos certet contundere Iberos,
 Italiæque gravi ſolvere colla jugo.

Hæc

Hæc heu Perſephone, ſupremi nuntia luctus,
  Vota dedit levibus diripienda Notis.
Sæpe ſalutifero morbum depellere ſucco
  Tentavi: at nulla ceſſerat arte dolor.
Sæpe Deum ſupplex clamavi numina: ſed non
  Audierunt noſtras numina ſurda preces.
Quod ſi tanta ſitis, noſtræ ſi tanta cupido eſt
  Mortis, & effugii ſpes mihi nulla manet;
Ah liceat ſaltem Elyſios inviſere campos,
  Et fortunatæ regna beata plagæ;
Hic ubi cum molli Nemeſis formoſa Tibullo
  Ludit; & eſt vati Leſbia juncta ſuo.
Et mihi, qualis erit teneris comitata puellis,
  Occurret celeri candida Lygda pede:
Et dulces dabit amplexus, & baſia junget,
  Junget & optati gaudia conjugii.

VI.

DE HERCULE, ET HYLA.

Quid mirare, tuo ſi regnat corde Lycinna,
  Nec ceſſat tantis te cruciare malis?
Crede mihi, non ſolus amas; Veneris puer omnium
  Eſt divum, atque hominum maxima pernicies.
Audiſti ne, humeris cælum qui ſuſtulit altis,
  Auſus & inferni regna ſubire Dei?
Ille idem tanto puerum dilexit amore,
  Ut, ſeu nox alto ſurgeret Oceano,
Seu roſeo terras veſtiret lumine Titan,
  Hercule cum magno candidus eſſet Hylas.
Nulla dies miſerum puero ſine vidit amantem,
  Nec cum tergemini corpora Geryonis
Sterneret, atque alios invictus mille labores
  Imperio duri ſuſciperet domini.
Quin etiam Colchos peteret cum pulcher Iaſon,
  Amphytrioniadæ tunc comes ibat Hylas,
Ibat Hylas, clavamq; gerens, Lybicamq; pharetrã,
  Qualis cum molli parthenice pluvia
Stat gravis, ac Phœbi radiis aſperſa nitentem
  Dat lucem, Paphiæ rarus honos Veneris.
Et jam Pleiades cælo caput attollentes
  Linquebant ſacras Nereidum choreas,
Cum Pagaſæ curvis e littoribus digreſſi

Currebant celeri per vada ſalſa rate;
Quos comitabantur cinctæ fulgentibus armis
Pallas, & ipſa potens cælicolum domina.
Jamque volans undis Nerei mirantibus, Argo
Myſorum claris urbibus appulerat.
Hic juvenes pictis e puppibus egredientes,
Deponunt altis membra ſub arboribus,
Et molles ſibi quiſque toros bene olentibus herbis
Exſtruit: intonſo creverat herba ſolo.
At formoſus Hylas taciti per devia montis
Ibat luciduli ſumere fontis aquam.
Fons erat in ſilva puris argenteus undis,
Quem bicolore tegit populus alta coma.
Ac circum Paphiæ denſant umbracula myrtus,
Et parit aſſiduas aura benigna roſas,
Narciſſumq;, crocumq; immortalemque amaranthum,
Et te flebilibus ſcriptum, hyacinthe, notis.
In medio faciles nudato corpore Nymphæ
Ludebant ſparſis per roſea ora comis;
Quæ puerum cupido miratæ lumine, cum vix
Illius molles tingeret unda pedes,
Arreptum ſubito vitreum traxere ſub amnem;
Ut quondam veris tempore purpurei
Stella volans, cælo noctis delapſa per umbram
Emicat, inque alto conditur Oceano;
Tunc lætus clamat ſumma de puppe magiſter,
Candida felici pandite vela Noto,
Pandite; nam cælo ſuperi bona ſigna dedere.
Sic ait, & placidis per mare fertur aquis.
At miſer Alcides caſu perculſus acerbo
Amiſſum toto littore clamat Hylam;
Littore Hylam, furibundus Hylam per devia quærit,
Qualis turicremas parva juvenca deum
Concidit ante aras: ſed fati neſcia mater
Non jam frondifero paſcitur in nemore,
Nec dulcem puri libavit fluminis undam,
Sed fertur celeri per nemora alta pede.
Omnia mugitu complens, ſi forte veniret
Bucula maternis obvia luminibus.
Sic heros, Hyla ingeminans, Hyla omnia replens
Errabat dubio per loca ſola pede.
Quantas ille fero profundit corde querelas!
Pallenti quantas ore dedit lacrimas!

Cum

Cum ſæpe optaret ſcopulo ſe mittere ab alto,
  Aut vitam rapidis ponere fluminibus.
Interea curvo ſolvens de littore funem,
  Colchorum fines iverat Æſonides;
Quem deſiderio pueri confectus inani
  Mox ſequitur lacrimans Amphytrioniades.
Hos tu ſollicitos heroum doctus amores,
  Diſce libens duræ ferre jugum dominæ;
Nec te jam pigeat quemvis perferre laborem.
  Omnis amor longo vincitur obſequio.

VII.

DE SE PROFICISCENTE NEAPOLIM.

PAUSILYPI colles, & candida Mergilina,
  Et myrteta ſacris conſita littoribus,
Si mihi poſt tantos terræque mariſque labores
  Contigerit veſtræ limina adire DEÆ;
Limina, quæ vates ſpecula ſundavit in alta
  Actius, Eois clarus & Heſperiis;
His ego pileolum figam, & calcaria, & enſem,
  Et quæcumque vagus arma viator habet.
Nec mihi jam quiſquam vel prudentiſſimus ullas
  Aut pelagi, aut terræ ſuaſerit ire vias;
Non mihi Perſarum ſi detur regia gaza;
  Non mihi ſi rubri ſerviat unda maris.
Quis furor eſt, nullis umquam requieſcere terris,
  Atque alia ex aliis ſemper adire loca?
Nec vitare graves æſtus, nec frigora ſæva,
  Nec timuiſſe vagæ mille pericla viæ?
Felix, qui parvo contentus vivit agello,
  Nec linquit patriæ dulcia tecta domus.
Quem verſare juvat fœcunda ligonibus arva,
  Et nitidam vitis fingere falce comam.
Aut gelidam ſummo lympham deducere clivo,
  Æſtibus ut mediis arida prata bibant.
Aut tondere gregem lucenti vellere amictum,
  Et tonſum liquidis mergere fluminibus.
Hic laribus certis, certiſque ſodalibus utens
  Magnorum vita cælicolum potitur.
Nec violentus eum crudeli vulnere latro,
  Nec fera cæruleo perdidit unda mari.
Ille ſuis moriens ſuprema dat oſcula natis

Deficiens caſto conjugis in gremio.
Illa viri fugientem animam dulci excipit ore,
Et claudit tenera lumina cara manu:
Dehinc tumulum viridi componit margine fontis,
Qua vetus arboreis decidit umbra comis.
Huc madefacta piis lacrimis fert liba quotannis
Cum pueris veniens mæſta puella ſuis:
Et magna manes compellat voce mariti,
Spargens fictilibus lac niveum calathis:
Nec potis eſt dulci tumulo ſe avellere, donec
Heſperus invitam cogit abire domum.
O fortunati cineres, umbræque beatæ,
Morte obita ſi quem talia fata manent!
At me, dum terras, & vaſta per æquora curro,
Si vocet in Stygiam pallidus Orcus aquam,
Quis tumulum faciet? tumulo quis triſtia libans
Dona, peregrinas flebit ad inferias?
Jam valeant Alpes, & nimbifer Apenninus,
Tuque maris noſtri littus utrumque vale.
Me juvat umbroſis vitam nunc degere in hortis,
Et Phœbo, & muſis otia digna ſequi.
Tum rerum cauſſas, eventaque dicere: qua ſint
Lege colenda homini numina ſancta Deum:
Qui deceant mores, faciat quæ vita beatum:
Quid verum falſis diſtet imaginibus.
In primis celebrare Patrem fidibus juvat, a quo
Ex nihilo Vates omnia facta canunt;
Cælicolæ quem Tergeminum venerantur & Unum;
Qui mare, qui terras, qui ſupera alta regit.
O utinam ille ſuo me ſiſtat numine ſancto
Ad fortunati littora Pauſilypi!
Littora divino quondam celebrata Maroni,
Et patrio Minci flumine cara magis.
Littora, quæ toties viderunt Calliopeam
Dictantem vati carmina docta ſuo.
Sirenes illis ſtupuerunt verſibus: illis
Carminibus omnis Nereis obſtupuit.
Ipſe pater Tegeæus amœna vireta Lycæi
Linquens inſolitis cantibus intererat:
Quem comitabantur ſilvarum numina Fauni,
Et Nonacrinæ maxima turba deæ.
Ille coronatus viridanti tempora myrto
Dicebat laudes, candide Daphni, tuas;

Et

Et quæ Mænalius dulci cantarat avena,
Dum paſcit niveas Alpheſibœus oves.
Tum miſeros Galli conſolabatur amores,
Duritiam incuſans, pulchra Lycori, tuam.
Hinc lætas ſegetes, & Bacchi dona canebat,
Et pecus, & liquidis dulcia mella favis.
Mox ſe ſe attollens, numero graviore ſonabat,
Trojani referens horrida bella ducis;
Erroreſque vagos, & diruta Pergama flammis,
Viſaque Tartarei pallida regna Dei;
Tum patri celebrata prius certamina, pæne
Femina cum Phrygias perdidit una rates.
In primis fatum miſeræ deflebat Eliſæ,
Quam tulit heu diro vulnere ſævus amor.
Siſte ratem, Ænea, properas quid funus amanti?
Per Veneris quæſo numina ſiſte ratem.
Quod ſi forte tuæ mors eſt tibi cara puellæ,
Ah ſaltem in gremio concidat illa tuo.
Vos, o cæruleæ formoſa Doride natæ,
Vos dominum ad littus, quæſo, referte meum.
Sic veſtro nulli veniant in amore dolores:
Sic vobis ſemper mutuus adſit amor.
Ille canit: celſo properant de vertice lauri,
Et prata omnigeno flore colorat humus.
Tu ne ſacrum felix aluiſti terra Maronem?
Tu ne pio celas oſſa beata ſinu?
An ne etiam, ut fama eſt, Vatis placidiſſima ſæpe
Inter odoratum cernitur umbra nemus?
Felices oculi, fortunatiſſima ſilva,
Et quidquid ſancto naſcitur in nemore!
Cui non ſit dulci patria tua dulcior ora?
Quis non te lucis præferat Elyſiis?
Jam mihi Benaci lætiſſima littora ſordent,
Jam formoſus aquis Meſulus irriguis.
Me tibi, terra beata, dico; tu meta laborum,
Jamque ſeneſcentis grata quies animi.
Tu, dum fata ſinunt, lucemque, auramque miniſtra:
Tu, precor, exſtincti corporis oſſa tege.

VIII.

DE ALEXANDRO FARNESIO CARDINALI.

Dum puer aerias ſuperat Farneſius Alpes,
Et permutato currit anhelus equo,

Illius crines flavos, corpuſque decorum
Ambroſiæ liquido ſparſit odore Venus;
Ne teneros pueri Sol igneus ureret artius,
Frangeret aut nimius mollia membra labor.
Tum mirans ait, O divum pulcherrima cura,
Progenies claris edita ſemideis,
Tu ne per alpinas cautes, & inhoſpita ſaxa
Tam tener admiſſo currere pergis equo?
Et rapido curſu noctemque diemque fatigas?
Ut natus Maja pulcher Atlantiades,
Cum celeres patris defert mandata per auras,
Et pennis terras tranſvolat, & maria.
Macte puer virtute, puer digniſſime cælo,
Cæſaris ad magni colloquium propera;
Ut tua miretur jam dicta, animumque virilem
Romani cuſtos maximus imperii.
Et te jam primis venerari diſcat in annis
Paullatim, donec fulſerit illa dies,
Cum genibus minor ipſe tuis, ſpectante ſenatu,
Procumbet ſanctis oſcula dans pedibus.
Nam ſimul aucta ſuum ver dulce peregerit ætas,
Et te maturum fecerit illa virum,
Auſpicio divum regno præfectus avito
Aurea Romanis tempora reſtitues.
Fortunate puer! per te felicia deget
Oti a pacatis hoſtibus Italia.
Illa tibi centum ponet de marmore templa,
Illa tibi ſupplex annua ſacra feret.
Hæc Venus, & puerum divinum amplexa receſſit:
Illæ deæ lætus munere currit iter.

IX.

AD ANTONIUM GIBERTUM.

Docte puer, magni pulcherrima cura Giberti,
Progenies ſilvis edita Pieriis,
Te dulces oras in luminis egredientem
Excepit tenero Calliopea ſinu:
Et capiti impoſita lauri de fronde corona,
Formoſa Aoniis ora rigavit aquis.
Cui puero favet illa, is firma ætate poetas
Antiquos doctis verſibus æquiparat:
Ipſum admirantur populi; juveneſque, ſeneſque
Atto-

Attoniti pendent vatis ab ore ſacro.
Seu vexat miſeras diſcordia flebilis urbes,
Ille ſuis mulcet pectora carminibus.
Seu gravis ira deum morbos exaſperat, iras
Condonant vati numina magna pio.
Sic divos cithara placabat Thracius Orpheus,
Sic hominum cultus molliit ille feros.
Fortunate puer! tanto dignatus honore,
Deſpicito quidquid mobile vulgus amat.
Eſt patruus tibi præſtanti virtute Gibertus,
Quem tellus magnæ ſuſpicit Heſperiæ.
Hoc duce relligio multos neglecta per annos
Jam rediit: pulſa eſt vana ſuperſtitio.
Ipſius pare ſanctis hortatibus: ipſum,
Care puer, magni numinis inſtar habe.
Hoc duce Sirenum cantus, & pocula Circes,
Et Veneris ſævas effuge blanditias.
Qui ſequitur Venerem, fugit illum candida Muſa,
Ah miſer ille puer, quem dea docta fugit!
Blanda Venus pueros nigrum deducit ad Orcum
Inſidians; cælo candida Muſa beat.
Incautas juvenum mentes in monſtra ferarum
Vertebat Solis filia blanditiis.
Blanditiis captus, qui dextra vicerat Hydram,
Hac eadem nevit Lydia penſa manu.
Alcide infelix, ubi ſunt Erymanthia monſtra,
Victaque tergemini corpora Geryonis?
Et tremefacta tua pallentia Tartara clava,
Fultaque cum magnis ſidera numinibus?
Alcide infelix, tantis de laudibus iſtis,
O pudor! exuvias una puella capit.
Nos vero capiant Muſarum gaudia ſancta,
Gaudia dis etiam cognita cælitibus:
Quos teneræ mulcent jucunda voce ſorores,
Et citharæ cantus ſuavis Apollineæ,
Cum pater auratis celebrat convivia tectis,
Et dapibus menſas pulchra Juventa onerat.
At puer Idæus niveo ſuccintus amictu
Miſcet ſupremo dulcia vina Jovi.
Hunc puerum virtus tanto præfecit honori:
Huic puero pietas munera tanta dedit.
Ille colens centum ſalientem fontibus Idam,
Sive vagas arcu ſollicitaret aves,

Sive ſub umbroſa captaret frigora quercu,
Qua fugiens liquido murmurat unda pede;
Pieridas, Phœbumque patrem, divoſque canebat,
Qui virides ſilvas, qui ſupera alta tenent.
Dum canit, incluſum fulvis Jovis armiger alis
In ſedes illum tranſtulit ætherias,
Felices ſuperum ſedes, quas candida veſtit
Purpureo ſemper lumine Lætitia.
Tu quoque Muſarum veneratus numina, dignum
Cæleſti puero te, bone, finge, puer.

X.

DE DONO BENEDICTI ACCOLTI CARD.

HAnc pateram Chio ſpumantem, auroq; nitentē
Accoltus vati donat habere ſuo.
Ipſe meri partem libo tibi, candide Liber:
Et partem libo, pulcher Apollo, tibi.
Vos pateram contra Muſarum nectare dulci
Implete, & large proluite ora mihi,
Accolto dignas ut ſolvam carmine grates,
Carmine, quod poſſit nulla abolere dies.

X I.

DE FAMA IDMONIS PERICLITANTE.

INtemerata Fides, ſancti germana Pudoris,
Tuque Honor, & nudæ ſimplicitatis Amor,
Si teneris Idmon coluit vos ſemper ab annis,
Et mens a turpi crimine pura nitet;
Vos juvenis famam præſenti arcete periclo,
Et facite illa magis ſplendeat atque magis.

X I I.

D E L E U C I P P E.

CAndida Leucippe, gratiſſimus ardor amantum,
Mille ſibi matres quam cupiere nurum,
Se, dea Clara, tuis ſecretis ſedibus abdit,
Seque tibi famulam tempus in omne dicat;
Pro crinali auro, tenui circumdata velo,
Flaventeſque ſacra forcipe tonſa comas,
Ut quæ non caſto mortales uſſit amores,
Nunc caſto ſanctos urat amore Deos.

XIII.

X I I I.

DE FONTE RODULPHI PII CARDINALIS.

Deliciæ ruris fons formoſiſſime, tuque
  Spelunca irriguis frigida pumicibus,
Qui vos egregia magnus Pius arte creavit,
  Hanc vobis eadem condidit arte domum.
Vos lenite æſtum curarum, feſſus ab urbe
  In veſtrum quoties fugerit ille ſinum.

X I V.

DE HIERONYMO SAVONAROLA.

Dum fera flamma tuos, Hieronyme, paſcitur artus,
  Relligio ſanctas dilaniata comas
Flevit, & O, dixit, crudeles parcite flammæ,
  Parcite; ſunt iſto viſcera noſtra rogo.

X V.

AD STEPHANUM SAULIUM.

Ne tibi ſim carus, Sauli cariſſime, ni te
  Plus amo, quam natum mater amare ſolet.
Et merito; quis enim te dignior alter amari?
  Aut quid amore tuo dulcius eſſe poteſt?
Quærat opes alius, magnos ſibi quærat honores:
  Tecum dulce mihi vivere, dulce mori.

X V I.

VIA VITERBIENSIS.

Quæ fueram pediti via vix ſuperabilis ante,
  Per me ſecurum jam rota currit iter.
Scilicet hoc tibi præcipuum nunc, maxime Paulle,
  Debetur munus pro pietate tua;
Qui cupidus regum magnos componere motus,
  Hanc ſenior toties iſque, rediſque viam.

X V I I.

DE IMAGINE REGINALDI POLI.

Si velut egregia pictura, maxime Pole,
  Eſt expreſſa tui corporis effigies,

Sic divina tuæ potuiſſet mentis imago
Pingi, nil oculi pulchrius aſpicerent.

XVIII.

FONS NICOLAI RODULPHI CARDINALIS.

QUod ſolitus ſilvis liquido pede currere in altis
Nunc celebro auguſtæ regia tecta domus,
Gratia magna tibi, Rodulphi magne; meam tu
Per duri montis viſcera ducis aquam:
Ut qui vix fueram pecori bene cognitus ante,
Nunc regum lymphis ora manuſque lavem.

XIX.

DE FRANCISCO MOLSA.

POſtera dum numeros dulces mirabitur ætas
Sive, Tibulle, tuos, ſive Petrarcha, tuos;
Tu quoque, Molſa, pari ſemper celebrabere fama,
Vel potius titulo duplice major eris:
Quidquid enim laudis dedit inclyta Muſa duobns
Vatibus, hoc uni donat habere tibi.

XX.

DE ACTIO SYNCERO.

QUantum Virgilio debebit ſilva Maroni,
Et paſtor, donec Muſa Maronis erit;
Tantum pæne tibi debent piſcator, & acta
Acti, divino proxime Virgilio.

XXI.

DE AUGUSTINO NIPHO.

QUi docuit rerum Niphus cognoſcere cauſſas,
Non rerum oblitus hoc jacet in tumulo;
Sed cælo meliore ſui cum parte receptus,
Nunc gaudet melius diſcere quam docuit.

XXII.

DE URANIA JOVIANI PONTANI.

QUæ cecinit claro fulgentia lumina cælo
Pontani doctis verſibus Urania,
Phœbe, tuis magnam lucem addidit ignibus; utque
Nunc melius niteant ſidera cuncta, facit.

XXIII.

XXIII.

DE BENEDICTO LAMPRIDIO.

PErdideras Varium; noſtro ſed tempore laudes
Lampridius renovat, docta Cremona, tuas.
Ille Sophocleo ſcantabat digna cothurno
Iſte canit Lyricos Pindarico ore modos.

XXIV.

DE GASPARE CONTARENO.

CONTARENE, tuo docuiſti, magne, libello
Exſtinctis animas vivere corporibus:
Ergo jure tui vivunt monimenta libelli,
Et vivent ſæclis innumerabilibus.

XXV.

DE ANDREA NAUGERIO.

NAUGERI, ne quis tibi certet, neve laboret
Incaſſum laudes æquiparare tuas;
Sive epigramma facis juncto pede, ſive ſoluto
Defles magnanimum funera acerba virum.

XXVI.

DE BALTHASSARE CASTILIONO.

SI truculenta ferox irrumpis in agmina, Marte
Diceris invicto, Caſtilione, ſatus:
At molli cithara ſi condis amabile carmen,
Caſtalia natus diceris eſſe dea.

XXVII.

DE EODEM.

HOrrida terribilis cum tractas arma, Maronis,
Caſtilione, tui carmine digna facis:
Idem cum molli vacuus requieſcis in umbra
Caſtaliæ, æterno digna Marone canis.

XXVIII.

DE JOANNE COTTA.

SI fas cuique ſui ſenſus expromere cordis,
Hoc equidem dicam pace, Catulle, tua:

Eſt tua Muſa quidem dulciſſima, Muſa videtur
Ipſa tamen Cottæ dulcior eſſe mihi.

XXIX.

AD ACHILLEM PHILEROTEM BOCCHIUM.

Achille, pater elegantiarum,
Si Marcum tibi vis ſuos ocellos,
Seu quid carius eſt ſuis ocellis,
Debere, ut decet optimum ſodalem,
Noli ſubripere, obſecro, quod illi
Multo carius eſt ſuis ocellis.
Sed quid carius eſt ſuis ocellis?

XXX.

AD PHŒBUM,

Ut nos de Peſte liberet.

EX CODICE MS.

GABRIELIS FLAMINII,
M. Ant. Fratris Filii.

Hunc tibi, Phœbe pater, lunata fronte juvencũ,
Tybris qua undoſo largius amne fluit,
Alcimedon jactata alte poſt terga ſecuri
Mactar, & in ſacros porrigit exta focos.
Tu ſi ſævitum eſt ſatis, & ſi cædis abunde eſt,
Pœnarum exſolvit ſi tibi Roma ſatis;
Illuviem hanc expelle, inimicaque tela reconde,
Et melius Turcas mitte perire feros,
Qui cinxiſſe Rhodum perſtant nunc fortibus armis
Dilectam, & cives perdere claſſe tuos.

XXXI.

AD BEATRICEM DE COMA ABSCISSA.

Ex Codice Ms. Gabrielis Flaminii Forocornelienſis. M. Antonii Flaminii Fratris Filii.

Quid fles abſciſſi toties diſpendia crinis,
Qui tibi mox circum largius ora fluat?
Iſta iterum fuſos argentea colla capillos
Accipient: reduces nec mora longa dabit.
Interea nitidos fletu corrumpere ocellos
Deſine: & aureolis, lux mea, parce genis.
Non deerunt laquei, miſeros queis perdere amantes
Poſ-

Poſſis, & evinctos in tua jura trahas.
Tu male nota tibi ſic es fortaſſe, Beatrix,
Crinibus ut tantum poſſe placere putes?
Semper erit noſtris cur ſis prælata puellis:
Mille adſunt cauſſæ, mille decenter erunt.
Ipſe aderam, exuvias capitis cum ſtringeret ægre
Dira manus, ferro demeteretque comam.
Aura cæſaries terram ſpargebat, & ille
Qui poterat Phœbum ſæpe decere nitor.
Dicebam mecum, Tali ſe Juppiter imbre
Optatum Danaes contulit in gremium.
Tum cordis ſubiit, fulvo quod vertice captum
Sævus amor denſis crinibus implicuit.
Acceſſi quæſitum amens ſi forte rediret,
Actius at miſerum vincierant oculi.
Cum tibi non deſint tot retia, culta Beatrix,
Invidiam ſuperis parce movere Deis.
Et mecum abreptos potius tu collige crines,
Vernabant capiti qui modo, pulchra, tuo.
Et Venerare Deum medicæ qui præſidet arti,
Caſtaque cum multa carmina ſunde prece.
Primitiaſque offer capitis: dabit ille fluentes,
Illudant quæ humeris, involitentque, comas.
Ergo iterum Zephyro ſpargent radiantia fila;
Apta novum Solis vincere fila jubar:
Atquè iterum accenſis flaveſcet crinibus æquor,
Et capiti raptæ reſtituentur opes.
Sic offenſa ſtupet frondator vimina ſilvis
Tam cito florentes explicuiſſe comas:
Sufficiunt ſic prata novos in ſerta colores,
Vidimus hiberna quæ violata nive.
Tunc lævi molles quærens in fronte capillos,
Vix cupiens tantis non caruiſſe malis.
O tibi tum quales vario de flore corollæ
Ornabunt poſtes, Phœbe ſuperbe, tuos!
Ipſe ego votivam feriam de more juvencam,
Et ſpargam viola verſicolore ſolum:
Atque addam inciſam multo mox carmine laurum,
Obtendat templi quæ tibi ſacra fores:
Formoſæ optatos crines quod, Phœbe, puellæ
Reſtituis, laurum hanc dedicat illa tibi.
Nos viridem interea juvet exercere juventam,
Non intellecto dum fugit hora pede.

M.

M. ANTONII FLAMINII CARMINUM
LIBER TERTIUS.
LUSUS PASTORALES CONTINENS

I.

PAN pater, & Silvane ſenex, Faunique bicornes,
Tuque pharetratæ candida turba deæ,
Si mea vos dulci delectat fiſtula cantu,
Si ſemper vobis annua dona fero,
Parcite purpureos, quæſo, violare racemos,
Neu tangant avidæ lutea pruna manus.
Hunc agrum dat habere mihi Farneſius heros:
Gratus ego hæc illi munera prima dico.

II.

CUm facies iter hac, Farneſi candide, Iolam
Ne pudeat, quæſo, ſemper adire tuum.
Te vocat arguto viridiſſima ſilva ſuſurro,
Te liquidi fontis garrula lympha vocat,
Villula pulchra, tui memorabile munus amoris,
Jamdudum geſtit ora videre tua.
Magne puer, ne parva, precor, fuge limina: ſæpe
Paſtorum ſubiit Juppiter ipſe caſas.

III.

HEu quid ago? moritur mi animus, mellita Ni-
Ni tibi quamprimum baſiolum rapio. (gella,
At ſi baſiolum rapio, vereor, tibi mecum
Ne ſint æternæ poſt inimicitiæ,
Quæ me non morti modo dent, ſed poſt quoq; mortẽ
Perpetuo pœnis triſtibus excrucient.
Sed rapiam; immo non. utrum, o anime, efficiã vis?
Neſcio, ſed tantum ſentio, quod pereo.

IV.

I V.

INtonſi colles, & denſæ in collibus umbræ,
Et qui vos placida fons rigat ortus aqua,
Si teneros umquam Fauni celaſtis amores,
Si vos Nympharum dulcia furta juvant,
Eſte boni, tutaſque mihi præbete latebras,
Dum ſedet in gremio cara Nigella meo.

V.

FUgit hiems, nitidis veſtitur frondibus arbor,
Jamque novos ducit candida Flora choros,
Et cedit Boreas Zephyri genitalibus auris,
Et victum pecori ſufficit almus ager.
Nunc, Amarylli, gregem ſecreta paſcere ſilva,
Nunc dabitur Veneris dulcia furta ſequi.
Tu venerare deam, ſertiſque recentibus orna,
Illius & ſanctos, imbuat agna focos,
Jucundam ut nobis inter nos ducere vitam
Annuat, & tuto ſemper amore frui.

V I.

JAm fugat humentes formoſus Lucifer umbras,
Et dulci Auroram voce ſalutat avis;
Surge, Amarylli, greges niveos in paſcua pelle,
Frigida dum cano gramina rore madent.
Ipſe meas hodie nemoroſa in valle capellas
Paſco, namque hodie maximus æſtus erit.
Scis ne Menandrei fontem, & vineta Galeſi?
Et quæ formoſus rura Lycambus habet?
Hos inter colles recubat viridiſſima ſilva,
Quam pulcher liquido Meſulus amne ſecat.
Nec gelidi fontes abſunt, nec pabula læta,
Et varios flores aura benigna parit.
Illic te maneo ſolus, cariſſima Nympha:
Si tibi ſum carus, tu quoque ſola veni.

V I I.

DUm ſonat argutis late vicinia gryllis,
Tu, Pholoe, dulci preſſa ſopore jaces.
Ipſe vagor media ſolus de nocte, tuoſque
Ad caros poſtes florida ſerta fero;
Quæque terris nuda calcando limina planta
Obſcu-

Oſculor, & lacrimis triſtibus illa rigo.
Tu, precor, aut noſtri miſerere, aut ſi tibi tantum
Diſpliceo, hic animam ponere dura jube.

VIII.

ET tonat, & vento ingenti nemus omne remugit.
Et cadit effuſa plurimus imber aqua:
Noxque ſoporiferis alis circumdata cæcam
Horrenti latebra nudis opacat humum.
Ipſe tamen Veneris crudeli compede vinctus
Ad dominæ cogor pervigilare fores.
Sævit hiems, Auſter denſiſſimus aere ſævit,
Sed gravius noſtro pectore ſævit Amor.

IX.

SIc tibi perpetuam donet Venus alma juventam,
Nec faciem nitidam ruga ſenilis aret,
Poſt cœnam cum matre tua, dulcique Lycinna
Ad matrem, Pholoe cara, venito meam.
Hic ſimul ad magnum læti vigilabimus ignem:
Candidior pulchra nox erit iſta die.
Fabellas vetulæ referent: nos læta canemus
Carmina: caſtaneas parva Lycinna coquet.
Sic noctem teneriſque jocis, riſuque trahemus,
Dum gravet incumbens lumina noſtra ſopor.

X.

JAm rapidus torret mediis Sol æſtibus agros;
Ad vallem niveum duc, Ligurina, gregem:
Hic avium cantus, hic fons nitidiſſimus antro
Proſilit, hic denſis quercubus umbra cadit:
Et circum flores examina læta ſuſurrant,
Et Zephyri blando murmurat aura ſono.
Hic laudes, formoſa, tuas mea fiſtula dicet:
Tu Dryadum calamo dulcia furta canes.

XI.

NAſcitur, & noſtro Veſper crudelis amori
Jam caulis ſaturas ducere mandat oves.
Deliciæ Ligurine meæ, te linquere cogor,
Sed tecum remanet mens, animuſque meus.
Quod ſupereſt, ubi jam tenebris Aurora fugatis
In ſilvam croceo mane reducet oves,

Hic illas, mea vita, iterum cogamus in unum,
Hic iterum dulcis me tibi jungat amor.

X I I.

Eſto magna Ceres, & Pan mihi teſtis; amantum
Et quæ firma facit fœdera, ſancta Venus;
Nulla dies, Ligurina, tuo me ſolvet amore,
Non ſi me Dryadum ſanguinis una petat.
Ut rupem hanc validis impellunt flatibus Euri,
Sed nullo rupes verbere pulſa labat,
Sic ſemper mea magna fides immota manebit,
Et mea meas uni ſerviet uſque tibi.
Dii faciant, in amore pares vivamus, & uno
Ambos una tegat funeris hora loco.

X I I I.

QUo te venturam dixti, cum mater ad urbem
Iverit, hoc furtim, lux mea, primus eo.
Dumque venis, longo brevius hora videbitur anno
Longior. ulla igitur ſi tibi cura mei,
Tolle moras omnes, timor omnis & abſit; amanti
Et comes, atque viæ dux erit ipſa Venus.

X I V.

SI Ligurina meos hodie non ludit amores,
Amplexus hodie ſi petit illa meos;
Hoc tibi muſculo lætus, Cytherea, ſub antro,
Aram de viridi cæſpite conſtituam:
Lætus ego ſpumante novo tria cymbia lacte,
Et totidem fundam cymbia plena mero:
Tum late variis halantem floribus aram
Imbuet effuſo lecta cruore bidens.
Saltabit Ligurina: tuas mea tibia laudes
Cantabit, dulces fundere docta modos.
Hæc tibi, ſancta Venus, ſollemnia ſacra quotannis
Et faciam, & magno ſemper honore colam.
Tu fac, diva, tuum ſupplex dum numen adoro,
Currat in amplexus cara puella meos.

X V.

HOs tibi purpureos in ſerta nitentia flores,
Dum Sol exoritur, Theſtyli cara, lego,
Dumque lego, crebra ingeminans ſuſpiria dico,
O utinam fieri vos, mea dona, queam!

X V I.

THeſtyli cara, favis Hyblæis dulcior, ecquid
  Munera pulchra vides, quæ tibi ab urbe fero?
Aſpice flaventem pallam, roſeoſque cothurnos,
  Et mitram, & bullis cingula clara ſuis.
Hæc ego dum porto, vidit pulcherrima Phyllis,
  Atque ait, Hæc dederis ſi mihi dona, puer,
Et Venerem, & Cereris ſanctiſſima numina teſtor,
  Te præter nullus Phyllida habebit amans.
Aſt ego per Phœbum, & Muſas, mea Theſtyli, juro,
  (Si fallo, ſemper ſis inimica mihi)
Nulla puella meos te præter habebit amores:
  Dum vivam, ſemper tu meus ardor eris.

X V I I.

THeſtyli, ſi qua tui ſuperat tibi cura Myconis,
  Craſtina cum cælo fulſerit orta dies,
Ad Cereris vallem niveas compelle capellas,
  Nec longam pigeat te, precor, ire viam.
Inde graves æſtus ubi Sol accenderit, antro
  Succede, arbuteis quod tegit umbra comis.
Hoc ego furtivo ingrediar pede munera portans,
  Quæ jampridem orat Phyllis habere ſibi,
Munera vel Nymphis digniſſima. ſi ſapis ergo,
  Ad dulces latebras incomitata veni.

X V I I I.

DIc age, quid tecum faciebat, perfida, Thyrſis,
  Sub corylo matrem dum ſopor altus habet?
Ah ego te pueri circumdare brachia collo,
  Ah ego te vidi; ſed pudet illa loqui.
Theſtyli, te ne meo quemquam præponere amori?
  Amplexus alii te ne dediſſe meos?
At neque me Phyllis, nec formoſiſſima Gorgo,
  Nec movit roſeis candida Niſa genis.
Ipſa mihi furtiva tulit munuſcula ſæpe,
  Sed lacrimans ſemper rettulit illa domum.
At tibi cur placuit tantum puer iſte? quid oro,
  Quid tantum egregii poſſidet iſte puer?
Hic domini cuſtodit oves. ego mille capellas
  Paſco, quas moriens tradidit ipſe pater.
Hic Dorylæ indocto ceſſit cantando: peritus

Et

Et voce, & calamis ceſſit Agyrta mihi.
Nec pede, nec jaculo valet hic, nec viribus: ipſe
Audeo vel magnas ſollicitare feras.
Sunt mihi flaventes tenera lanugine malæ,
Sunt nitidi crines, ſunt roſea ora mihi.
Ipſa meos oculos tua ſidera ſæpe vocaſti,
Ipſe tibi quondam pulcher Adonis eram.
Nunc ego deſpectus; nec te, male ſana puella,
Neſcio quem præ me Thyrſin amare pudet?
Jam fugiat leporem canis, accipiterque columbam,
Incultique ferant dulcia poma rubi.
Jam ſperent, metuantq;ſimul miſeri omnia amãtes.
Credite, nulla fidem ſervat amica viro.

X I X.

HUc ades, o mea Lygda, parum decede calori,
Dum medio cæli Sol gravis orbe furit.
Nonne vides, ut tota fluas ſudoribus? utque
Jam laſſæ nequeant ſtringere farra manus?
Hic patulæ ramis ſociant umbracula fagi,
Quas circum irriguis Meſulus errat aquis.
Nec ſalſæ deſunt oleæ, nec olentia cæpe,
Nec liba, aut veteri cymbia plena mero.
Huc ades: ardenti maneat ſub Sole Nigella.
Te molles umbræ, candida Nympha, decent.

X X.

IRrigui fontes, & fontibus addita vallis,
Cinctaque piniferis ſilva cacuminibus,
Phyllis ubi formoſa dedit mihi baſia prima,
Primaque cantando parta corona mihi,
Vivite felices, nec vobis aut gravis æſtas,
Aut noceat ſævo frigore triſtis hiems.
Nec lympham quadrupes,nec ſilvam dura bipennis,
Nec violet teneras hic lupus acer oves:
Et nymphæ lætis celebrent loca ſancta choreis,
Et Pan Arcadiæ præferat illa ſuæ.

X X I.

RIvule, frigidulis Nympharum e fontibus orte,
Qui properas liquido per nemora alta pede,
Si, formoſe, venis formoſum ad Phyllidis hortum,
Arentique levas aurea mala ſiti,

Illa

Illa tibi centum dabit oſcula, queis tua fiet
Dulcior Hyblæis unda beata favis.

X X I I.

CUm ver purpureum tepidi fert aura Favoni,
Ornatur variis floribus almus ager;
Formoſæ rident ſilvæ, ſunt omnia læta,
Et cantu volucrum dulcia rura ſonant.
At mihi triſtis hiems formoſior, & mihi Vere
Lætior adveniet, ſi, mea Lygda, redis.

X X I I I.

CUm boreas læto ſilvam ſpoliavit honore,
Squalet ager, mixto nix jacet alta gelu:
Non liquidi currunt amnes, ſtat nubibus aer
Obſcurus, volucrum garrulla turba ſilet.
Tale facis ver, cara, tuo, Ligurina, receſſu,
Te ſine formoſum, te ſine dulce nihil.

X X I V.

UT quondam nivei correpta cupidine tauri
Mugitu reſonat bucula mæſta nemus,
Illius caros ſi forte abducit amores
Paſtor: non miſeram gramina læta juvant,
Non liquidi fontes; talis mea vita, paterno
Poſtquam rure procul me ſine, Lygda, fugis.

X X V.

UT formoſa ſuo felix eſt bucula tauro,
Nec latos querulis vocibus implet agros,
Si dulci reditu caram ſolatur amantem
Carus amans; talis candida vita mea,
Meque prius miſerum fecit Venus alma beatum,
Ex quo reſtituit te, Ligurina, mihi.

X X V I.

ASpicis ut læti ſurgunt per gramina flores?
Explicat ut virides arbor ubique comas?
Ut melius fulgent ſoles, ut nubila cælo
Diffugiunt? terris diffugiuntque nives?
Hæc facies, hæc eſt Lygdæ ridentis imago;
Triſtitiam vultu ſic fugat illa ſuo.

XXVII.

XXVII

VIdiſti nitidas per candida lilia guttas
Ludere, cum tenui decidit imber aqua?
Et rorem de puniceis ſtillare roſetis,
Cum ſpirat naſcens frigora blanda dies?
Hæc facies, hæc eſt Ligurinæ flentis imago;
Illius lacrimis me ferus urit Amor.

XXVIII.

HÆc, Cytherea, ſuo dulci cum compare turtur
Cæditur ante tuos victima grata focos.
Unus amor caros felici copula amantes
Junxerat: unanimes abſtulit una dies.
Talis amor pulchram tenero cum Daphnide Niſam
Vinciat æterno fœdere, ſancta, precor;
Et dum longa dies ſenio conſumſerit ambos,
Alter in alterius corpore vivat amans.

XXIX.

LUna decus cæli, aſtrorum regina bicornis,
Quæ medio raptim laberis alta polo,
Ad dominam propero, qua nec formoſior umquam
Pavit, nec paſcet ulla puella gregem.
Tu, mea ne quiſquam valeat deprendere furta,
Conde precor lucem, candida diva, tuam.
Sic tibi ſit proprio ſplendeſcere lumine: ſic par,
Et magni radiis æmula Solis eas.

M. ANTONII

FLAMINII

CARMINUM

LIBER QUARTUS,

RELIQUOS LUSUS PASTORALES

CONTINENS.

I.

O Quæ venuſta Sirmionis littora
Colis, Catulli candida
Muſa, & beatam citrii ſilvam doces
Pulchram ſonare Lesbiam,
En nos Taburni in valle florida tibi

Aram

Aram virenti e caſpite,
Et terna melle, terna lacte ponimus
Spumante plena cymbia,
Et te vocamus voce ſupplici, dea,
Ad ſacra parva, ſed pia,
Ut noſtram Hyellam fiſtula dulci canas;
Qua nulla rure pulchrior
Vixit, nec ulla vivet ullo tempore
Cani puella dignior.
At tu vireta amœna, & undas limpidi
Relinque Benaci libens.
Et hic Favoni lenis aura murmurat:
Et hic avium dulci ſono
Mulcetur aer; prata floribus nitent;
Purique fontes vitreis
Lymphis decentes frigerant nemorũ deas,
Cum feſſa damarum nece,
Et icta luce fervida Solis, redit
Pudica Dianæ cohors.
Quare, o puella candida, huc aditum feras,
Nobiſque verſus dicito,
Per quos Hyella vivat, uſque dum tua
Formoſa vivet Lesbia.

I I.

CAper, Capella cælitum beatior,
Quem tã venuſta, tam puella candida,
Stipante maximo capellarum grege,
Agit per alta montium cacumina,
Cum Sol recludit ſplendido cælum die;
Albentque læta rore cano gramina.
At cum furentis excitatus ictibus
Solis ſiticuloſus igneſcit calor,
Nec aura pulchris arborum inſtrepit comis,
Te ducit illa fontis ad lympham ſacri,
Qui proſilit virente murmurans ſpecu;
Domus choreis Naidum gratiſſima,
Et ſemicapri dulce lenimen Dei,
Cum feſſus a labore montivago redit.
Hinc te reductis vallium cubilibus
Siſtens, tenello laſſulum ſinu fovet,
Cingitque carum floreis ſertis caput,
Suadetque blandos ſenſim inire ſomnulos;

Nunc

Nunc mollicella barbulam mulcens manu,
Nunc dulciora melle fundens carmina,
Canente garrulo ſimul avium choro.
Exin cadente Sole cum Nox extulit
Micantibus ſtellis coronatum caput,
Et prata grillis perſonant argutulis,
Te bella Hyella cum tuis uxoribus
Domum reducit mollia ad præſepia,
Vobiſque falſas frondium dapes parat.
Cui vita capro contigit jucundior?
Quem capripes Pan, aut potens pecorum Pales
Benigniore vidit umquam lumine,
Caper, Capella cælitum beatior?

III.

CAper, capellis ire dux ad paſcua
Suetus, quid ægros ultimus trahis pedes?
Tu primus alta montium cacumina,
Cum Sol quadrigis aureis portat diem,
Primus repoſta vallium cubilia,
Quo fons loquace limpidus lympha vocat,
Primus petebas nocte cum prima domum
Magnis capellas antecedens paſſibus:
Nunc mæſtus, æger, ultimus prodis domo.
Caper miſelle, num requiris candidam
Hyellam? & illa abſente nec thyma dulcia,
Nec umbra dulcis, nec tibi eſt dulcis liquor?
Caper miſelle; Hyella bella eſt mortua:
Luge, miſelle; bella Hyella eſt mortua;
Aliumque valle paſcit Elyſia gregem,
Videtque puro lacte fontes currere,
Auraque longe dulciore veſcitur:
Neque amplius redire, ſi velit, huc queat,
Neque ſi queat, redire jam amplius velit.
At tu morere, dominamque viſe trans Styga:
Aut vive poſthac omnium miſerrimus,
Caper miſelle, omnium miſerrime.

IV.

ADeſte o Satyri, bonique Fauni, &
Quidquid capripedum eſt ubique divum,
Mecum, numina ſancta, lacrimate.
Veſtra mortua bella caprimulga eſt,

Illa candida bella caprimulga,
Quæ vobis bona liba factitabat;
Quæ dulcem mihi caſeum premebat:
Quæ tam carmina bella cantitabat.
Tecum delicias, Hyella, ruris,
Tecum gaudia ruris abſtuliſti.
Te formoſulus hortus ille, quem tu
Lætum virginea manu rigabas;
Te fons proſiliens ſpecu e virenti,
Quem illo floridulo ore baſiabas,
Te lugent nemora, atque vallis, in qua
Paſcebas niveas tuas capellas;
Nunc pictas Dryadis legens corollas,
Nunc dulci reſonans avena in antro.
At tu, ſi ſapis, o puella Ditis,
Huic dato nitidas tuas capellas.
Hac paſcente, domum tuæ capellæ
Ferent ubera tentiora: lacque
Longe dulcius effluet papillis.
Nullam rura tulere doctiorem
Aut miſcere coagula, aut decoras
Molli texere fiſcinas hibiſco:
Aut per florida prata cum puellis
Choros ducere, obſtupente pago.

V.

CUr ſubito, fons turbidule, tuus humor abundat?
Dic age, lucidulam quis tibi turbat aquam?
Ah miſer! exſtinctæ turbat te caſus Hyellæ:
Ipſe tuis creſcis, perdite, de lacrimis.
Infelix! non jam tanges roſea illa labella:
Candida nec liquidis membra lavabis aquis:
Non feſſam, atque tuo crepitanti murmere captam,
Aſpicies ſomnos carpere languidulos;
Dum niveas inter ludit laſciva papillas,
Et ſimul aureolam ventilat aura comam:
Ac leviter motans myrtos ſuper impendentes,
Spargit odoratos flore cadente ſinus.
Ut fulvum nitidumque aurum nitidiſſimus ipſe
Ornat ſidereo lumine chryſolithus:
Ut laurum decorat croceis hedera alba corymbis,
Nectens formoſis brachia brachiolis;
Sic formoſa tuas lymphas decorabat imago,

Se

Se vitreo quoties viderat illa lacu.
Tunc, o frigidule, blando urebaris amore;
Vos liquidæ melius tunc nituiſtis aquæ.
O quoties, dulci cum vos libaverat ore,
Facta eſt Hyblæis dulcior unda favis!
O quoties veſtros requievit carmine curſus,
Cum modulans calamis luderet imparibus?
Nunc te, ſancta Pales; nunc te, Latonia virgo,
Nunc referens laudes, Pan Tegeæ, tuas.
Illa canit: tremula reſpondent voce capellæ,
Saltat & oblitis hædulus uberibus:
At circum volitans pictis avium chorus alis
Diſcit, & arguto gutture cuncta iterat.
Mirantur Satyri, Nymphæ mirantur & ipſæ,
Et Faunus ramis abditus arbuteis.
Ipſe etiam vocemque, & formoſiſſima mirans
Ora, ſuas in ſe vertit Amor faculas.
Ardet Amor, pulchriſque genis, roſeiſque labellis
Incubat, ut myrti floridæ avis foliis,
Quæ Solem dulci naſcentem voce ſalutat,
Et patulo rorem lucidulum ore bibit.
Sic Amor ore haurit dulcē dominæ halitum hiulco,
Carmina ſic avida candidus aure bibit.
Talia populeis Minci cantabat in umbris,
Dum paſcit niveas pulchra Amaryllis oves.
Talia cantabas viridi, Galatea, ſub antro,
Formoſi recubans Acidis in gremio.
Cantabas: puer impatiens ſæpe intermixtis
Mollia rumpebat carmina baſiolis.
Ah miſer! ah male caute puer! tua gaudia Cyclops
In nebulas jam jam diſſipat aerias.
Ille tuæ demens correptus amore puellæ,
Ah miſerum infando perdidit exitio!
Fleverunt nemora, & fontes, & Oreades altis
Montibus, & magni candida turba maris:
Ipſa comas Galatea ſcidit, mæſtoque ululatu
Implevit ſcopulos, cærula Dori, tuos;
Optavitque mori ſubito potuiſſe; ſuiſque
Amiſſis lucem linquere deliciis.
Non illam ſociæ longo poſt tempore Nymphæ
Viderunt lætis ferre pedem choreis;
Non thalamo picta|palla procedere, cinctam
Candida puniceis tempora coraliis.

Illa vel undiſoni pelagi latet abdita fundo,
  Vel repetit furtis littora nota ſuis.
Hic fletum miſera ingeminat, fletu omnia complet,
  Et verti in fluidas tota cupit lacrimas.
Hic miſerum querulis compellat vocibus Acin:
  Antra ſonant Acin, cæruleæ Acin aquæ.
Tu quoque, fons miſerande, tuæ poſt dura puellæ
  Fata, tuis numquam pone modum lacrimis.
Quis tibi nunc texet viridanti umbracula myrto?
  Quis ſepem tremulis texet arundinibus?
Quis ſparget niveis onerata caniſtra hyacinthis,
  Pictaque purpureis ferta papaveribus?
Luge igitur miſer, & confracta turbidus urna
  Semper creſce novis, fons bone, lacrimulis.
Cumque tumens ripa exieris vagus, haud pete florē
  Ridentis calthæ, puniceamve roſam,
Sed nigras violas, & cæruleos hyacinthos:
  Ipſa bibat mæſtam mæſta cupreſſus aquam.
Quod ſi pulchra puella lavatum huc venerit ulla,
  Candida ſeu Nais, candida ſive Dryas,
Dic lacrimans: Ne me, quæſo, pulcherrima, tange,
  Neve meis corpus commacula lacrimis.
Hæ limphæ non ſunt lymphæ, ſed flebilis humor,
  Quem caræ dominæ mittimus inferias.

VI.

Sic tibi perpetuam donet Pomona juventam,
  Hortule; dic, tanti quæ tibi cauſſa mali?
Ille tuus decor in tenues evanuit auras,
  Ut riget informi cum fera bruma gelu.
Non roſa formoſum calathi jam pandit honorem,
  Non violæ ridet purpura lucidulæ.
Aruit ille ſuo viridi cum gramine rivus,
  Dædala nec dulci voce ſuſurrat apis.
Quæque decorat albis canebat floribus, ipſa
  Ponit odoratas citria ſilva comas.
Ah nivei ſubitò cur nigreſcunt hyacinthi?
  Atque notis implent flebilibus folia?
Cur vivax apium moritur, croceumque papaver?
  Et panace fuſis roſcida lacrimulis?
Hortule, num luges fatum infelicis Hyellæ,
  Et piget exſtinctam vivere poſt dominam?
Illa quidem fuerat vivens tibi cauſſa decoris:
  Illa tibi moriens abſtulit omne decus.

VII.

VII.

CUm pater invitum Niſæ ſociaſſet Iolam,
Veniſſetque viri jam nova nupta domum,
Non potuit tantos pulcherrima Hyella dolores
Ferre, nec erepto vivere conjugio.
Sed veluti flos virgineo decerptus ab ungue,
Cum vita dulcis tabuit ille decor.
Tabuit ille decor, quo nil formoſius ulla
Ætas, nil umquam vidit amabilius.
Occidis, infelix, primo ſub flore juventæ:
Occidis, heu nullo tempore digna mori!
Sed tua fama ſuperſtes erit; quotieſque viator
Præteriens tumulum viderit, & titulum,
Ille tuo lecto ſuſpirans nomine dicet:
Pulchrior in terris nulla puella fuit.

VIII.

CUm pulchra infelicem animã exhalaret Hyella,
Talia cum multis dicta dedit lacrimis:
Duritia, formoſe puer, mihi durior ipſa,
Idem luce mihi carior, atque anima:
Tu licet ipſe meam crudeli morte juventam
Crudelis lympham miſeris ad Stygiam,
Non tamen ulla mihi vis carum nomen Iolæ
Obliviſcenti deleat ex animo.
Seu Cytherea meam campis lugentibus umbram
Siſtet, ſeu campis ſiſtet in Elyſiis,
Semper ero memor ipſa tui, quamvis laticem omnẽ
Lethæum aridulis faucibus ebiberem.
At tu, care puer, pro tanto gratus amore,
Tranſibis quoties heu miſeros cineres,
Dic lacrimans, Heu cara puella, malus tibi vitam
Abſtulit, & diro funere merſit amans.
Ah nunc ſaltem in morte quieſcas: hoc tibi Iolæ,
Qui potuit miſeram perdere, mandat amor.

IX.

QUiſquis eſt, upiliove bonus, bona vel caprimulga,
Siſte gregem, & ſacro munera fer cineri:
Da violas tumulo; fundat dulciſſima vina
Cantharus, & tepido lacte madeſcat humus.
Dehinc lacrimans ſic fare: Cinis cariſſime nobis,
Nunc cinis, aſt olim candida Hyella, vale.

X.

SIc Pan bicornis, & Pales vitam tuam,
Tuumque ſoſpitent gregem,
Parum reſiſte, paſtor, & pictis ſacrum
Lapidem corona floribus.
Hic eſt Hyella, qua nec ulla pulchrior
Pavit capellas femina,
Nec paſtor ullus garrulam umquam fiſtulam
Inflavit ore dulcius.
Nondum miſella terna luſtra clauſerat,
Cum vidit ultimum diem.
Ut flos apricus, terra quem mater ſuo
Dulci educabat in ſinu,
Tunc primum hiare cœperat, cum tabuit
Calore tactus fervido;
Sic pulchram Hyellam flore ſub primo impotens
Amoris æſtus perdidit.
At tu, viator, ſic faveat Amor tibi,
Precare terram, ut pulveri
Sacro puellæ ſit levis, dehinc floribus
Hanc ſpargito, & felix abi.

X I.

PAſtores, teneras procul hinc arcete capellas,
Et ſacram nigris ſpargite humum violis.
Neu veteris bacchi, neu dulcis copia lactis,
Neu deſit numeris tibia flebilibus.
Hic bona Hyella jacet, pecoris formoſa magiſtra,
Junctaque cum domina fida capella ſua.
Illam ſævus amor nimium infelicis Iolæ
Perdidit: hanc caræ perdit amor dominæ.
Nam ſimul exhalantem animam conſpexit Hyellā,
Ipſius ante pedes concidit exanima.
Fortunata capella! polo fulgere ſupremo
Dignior, Icariæ quam canis Erigones:
Si tua magna fides dominæ comes ire ſub umbras
Audet, & ante diem reddere dulcem animam,
At florens tua fama viget, ſemperque vigebit
Exemplum ſanctæ maximum amicitiæ,
Dum ſilva gaudebit aper, dum monte capella,
Dum patulis ulmi decidet umbra comis.

XII.

XII.

DElicia ruris cum pulchra periret Hyella,
Cum domina periit fida capella ſua.
Non ipſam violenta lues, non aſpera febris,
Sed dominæ ſubita morte peremit amor.
I nunc, & Pyladas, & amoris nomine Oreſtas,
Et jacta fidos, Græcia, Pirithoos.

XIII.

CUm miſera ante diem fida comitata capella,
Iret ad infernas candida Hyella domos,
Ille malus ſævis redimitus colla colubris
Cerberus, inviſas qui cubat ante fores,
Non pavidam horribili tremefecit voce puellam,
Nec rabidis illam dentibus appetiit:
Sed tremulo blandæ gannitu vocis adulans,
Et lingua lambens crura pedeſque fera,
Ætherias voluiſſet eam remeare ſub auras,
Et tam formoſæ virginis ire comes:
Quique tot heroum magnas latraverat umbras,
Optavit parvi nunc gregis eſſe canis.

XIV.

CUm nemorum decus, & culti ſolatia ruris
Venit ad Elyſias candida Hyella domos,
Obſtupuere omnes, fixoque in virgine vultu,
Spectabat pro ſe quiſque oculis avidis
Ardentes oculos, ſuraſque, humeroſque nitentes,
Brachiaque, & flavas per roſea ora comas.
Atque aliquis juratus ait: Non pulchrior umquam
Venit ad Elyſios ulla puella choros.

XV.

HAnc fiſtulam, hoſpes, quam vides pinu ſacra
Pendere, Pani Hyella poſuit maximo,
Cum jam miſella Solis aureum jubar
Linquens, beatos ferret ad manes ſuum.
Hac illa pulchra fiſtula cum luderet
Nymphas canens, & furta earum dulcia,
Non aura lætis inſonabat frondibus,
Non murmurantes obſtrepebant rivuli,
Non picta garrulo avis canebat gutture.

Quin ipſe dulci carminum captus ſono
Inter greges jacebat innocens lupus.
Himella florida, & Taburne pinifer
Tu teſtis; ipſe es ſæpe miratus tuas
Motare pinus horridas cacumina.
Tunc fiſtula hæc beatior calamis fuit,
Quicumque labra docta paſtorum terunt.
At nunc miſella fiſtula aut ſemper tacet,
Aut ſi loquaci ventus illam ſibilo
Inflavit, uſque flebiles edit ſonos,
Acerba dominæ fata deplorans ſuæ,
Et ore caro baſiari expetens:
Quo nulla pulchrius, neque umquam dulcius
Puella geſſit os, neque ulla umquam geret.

X V I.

QUod nulla nec formoſior, nec fiſtulam
Inflare dulcem doctior, niveos greges
Umquam Taburni pavit inter horrida
Pineta, paſtores tuis hunc manibus
Dicant, Hyella, lucum opacum, & hos duos
Fontes amœnos, qui levi cum murmure
E rupe muſcoſa alter, alter e ſpecu
Pendente decidunt. at in medio jacens
Tua oſſa fictilis urna habet, opulentior
Quam dives Hermus, undaque aurifera Tagi.
Hanc nos quotannis, cum Favoni candida
Fert aura ver inſigne floreis comis,
Dulci lyæo, & lacte, & agni ſanguine
Rigabimus: tum virgines circum integræ
Ducent choreas, & tuas laudes canent.
Hyella mons, Hyella vallis garrula
Sonabit, & cum Sol diem face aurea
Illuſtrat, & cum nox polum umbra condidit.
At magnus Alcon fiſtula, quam capripes
Illi dedit Pan, triſte carmen ordiens
Narrabit, ut te crinibus paſſis deæ
Oreades defleverint, cum pallidum
Videre vultum; ut arborum tonſis comis
Te ſilva mæſta luxerit, te limpidi
Fontes, Hyella, te Taburni horridæ
Flevere cautes: cærula ſe condidit
Sol nube, dira ne videret funera.

Quin

Quin ſævus ille lacrimis mortalium
Gaudens Cupido flexilem arcum, & igneas
Fregit ſagittas. Quantum hiems gelu aſpero
Concreta Veri floreo cedit, rubus
Quantum virenti acantho, agris tantum omnibus
Tibi puellæ ceſſerant. Ut ramulis
In valle myrtus avia nitentibus
Creſcit, quam amico rore fontis educant
Nymphæ decentes; ſic amabilis tua
Juventa ſurgens enitebat: nec roſa
Rubente mane lucidum calathi ſui
Pandens honorem eſt pulchrior, nec pulchrior
Aurora, croceo cum gerit diem ſinu
Coma refulgens aurea. Quis ſimplices
Mores, & artes Cypria dignas dea
Æquare poſſit laudibus? ſeu fiſcinam
Virente hibiſco texeres, formoſius
Jurabat eſſe nil Pales: ſeu duceres
Choros ſub altis arborum comantium
Ramis, Napeæ candidæ, & Phœbi ſoror
Stabant ſtupentes: ſeu levi nemorum Deos
Calamo canebas, ſilva dulci carmine
Gaudebat, ipſe Mænalus quantum ſui
Fauni ſonora fiſtula. Salve o bona
Hyella, ſalve, & montibus noſtris ades.
Tu Pana maximum, & ſorores Naidas
Paſtoribus, beata, concilia tuis:
Morboſque lacrimabiles precibus piis
Averte, lucum & viſe ſæpius tuum.

X V I I.

DUm te flebilibus numeris moriturus ſolas
  Cantat, ades vati, candida Hyella, tuo.
Tale mea carmen moduler tibi arundine, quale
  Deficiens dulci gutture cantat olor;
Ut tua paſtorum volitet vaga fama per ora,
  Dum lætas ſegetes pinguia rura dabunt,
Dum flores apis, & rivos dum gramen amabit,
  Dum metuet celerem tarda capella lupum.
Digna quidem fueras, quam maximus ille Menalcas
  Diceret argutis ſemper arundinibus:
Et quam poſt habita Neptunine Galatea
  Cantaret Siculi clara Thalia ſenis.

Et facerent, ſi te natam felicibus annis
Vidiſſent oculis, candida Nympha, meis.
Te juga Parnaſſi reſonarent, te juga Pindi:
Notior Arcadiæ nulla puella foret.
Per nemora, & ſilvas inciſum cortice lævi
Mille tuum nomen viveret arboribus.
Tu quoque par eſſes Amphionio Aracyntho,
Et par Mænaliis, care Taburne, jugis.
Magne pater, tali fortunatiſſime alumna,
Tu viridi ſervas oſſa beata ſinu:
At miſera ante diem crudeli funere rapta
Ivit ad infernas non reditura domos.
O mihi Threiciam citharam ſi Muſa dediſſet,
Quæ potuit ſilvas ducere montivagas,
Per tenebras Orci, per pallida regna ſilentum
Quæſiſſem manes, cara puella, tuos:
Nec me tergemino terreret Cerberus ore,
Nec torvæ anguineis crinibus Eumenides.
Vel mecum vitæ repetiſſes lumina, vel me
Obrueret Stygio mors violenta lacu.
Sed citharæ ſi nil prodeſſent fila canoræ,
Moviſſem fletu numina dura pio.
Vidiſſent umbræ tenues regemque ſuperbum,
Tiſiphonemque malis illacrimare meis.
Sit licet ille fero crudelior angue Tyrannus,
Non vacuum blandi pectus amoris habet.
Ipſum etiam, qui cuncta domat, Cythereius ales
Vicit, & invito lenia corda dedit,
Tempore quo magnæ Cereris pulcherrima nata
Ad nigras Erebi candida venit aquas.
Illa quidem caris Nymphis comitata legebat
Purpureos flores ſaltibus, Enna, tuis,
Jamque parans in lucidulo ſe fonte lavare,
Traxerat e niveo mollia vincla pede,
Cum pavidam, & matrem queribunda voce vocantē
Abſtulit infernis luridus Orcus equis,
Nec veritus natam Jovis eſt violare ſupremi,
Tantum forma poteſt, & violentus amor.
Cur igitur caram mihi non donaret Hyellam?
Cur lacrimis flecti nollet amantis amans?
O qui pallentes Erebi me ducat ad umbras,
Et genibus ſiſtat me, pater Orce, tuis!
O quales tibi manarent mea lumina fletus!

Fun-

Funderet o quantas lingua diſerta preces!
Me certe facerent pietaſque, dolorque diſertum:
Verba miniſtraret dulcia dulcis Amor.
Quid loquor infelix? nulla eſt rovocabilis arte,
Cum ſemel extincto lumine vita fugit.
Non revocat Syringa ſuam Pan magnus ad auras,
Non Phœbus revocat te, Cypariſſe, tuus.
Ipſe foret quamvis Cybelle gratiſſimus Attis,
Liquerat infernas non tamen Attis aquas.
Ah quoties nato mater Berecynthia dixit,
Per lac, quod dederunt ubera noſtra tibi,
Perque uteri tolerata decem faſtidia menſes,
Redde oro puerum, Dis, mihi, care, meum.
Non ego, felices ſuperum translatus in oras
Tithoni vivat ſæcula longa, peto.
Auroræ liceat carum ſervare maritum,
Æqualemque Deis reddere cælitibus.
At mihi cum paucos Attis ſerviverit annos,
Ad tenebras redeat debilis umbra tuas.
Nunc pia templa colens divis operetur, & omnes
Per populos ritus, & mea ſacra ferat.
Dulcia purpureæ nunc carpat dona juventæ,
Nunc decoret ſilvas candida forma meas.
An magnum eſt, animam ſi de tot millibus unam
Des matri, vitam quæ dedit ipſa tibi?
Sic lacrimans ait: ille ſuis immanior umbris
Maternas dura reſpuit aure preces.
Vix licuit miſeræ manes deſcendere ad imos,
Atque umbræ dulci baſia vana dare.
Crudelis Pluto, nimium crudelia fata,
Quæ vitæ nullas heu poſuere moras!
Cum ſilvam glacialis hiems ſpoliavit honore,
Vere novo ſilvæ læta juventa redit:
Occidit Oceani cum Sol demerſus in undas,
Naſcitur abducto pulchrior ille die:
At nobis nec læta ſuo cum vere juventa,
Nec merſa immiti funere vita redit.
Ultima cum Parcæ legerunt fila ſeveræ,
Urget perpetuus lumina clauſa ſopor.
Quem tamen æterno celebrarint carmine muſæ,
Ille vel invita morte ſuperſtes erit.
Sic vivis, viveſque æternum, pulcher Alexi;
Et tu cum Gallo nota Lycori tuo.

Pan, memorū decus, & Satyri, Nymphæq; decentes,
Quæ blando agreſtes uritis igne Deos,
Si formoſa pie coluit vos ſemper Hyella,
Si mea vos ſemper dulcis avena canit,
Vos facite, ut longum vivant mea carmina in ævum,
Et cum carminibus candida Hyella meis.

X V I I I.

HAs lacrimas, atque hæc imo ſuſpiria corde
Tracta gemens libo, candida Hyella, tibi.
Hæc tibi nunc, mox vitam ipſam libabo, animamq;
Cumque tuis miſcebo oſſibus oſſa mea.
Quoſque maritali non junxit tæda Hymenæus,
Funerea junget Mors violenta face.
Quod ſi nupta meum conſcendit Niſa cubile,
Non tamen umquam animum ceperat illa meum:
Sed mea me pietas patri parere coegit
Impia, me durus perdidit ipſe pater.
Si fallo, haud ambo terra tumulemur in una,
Nec tua ſit felix manibus umbra meis.

X I X.

CUr, ah cur ullo placui tibi tempore? mortis,
Si, mea vita, tibi cauſſa futurus eram.
Cur me tam pulchrum cari genuere parentes?
Cur calamos dono Pan dedit ipſe ſuos?
Queis ego formoſas poſſem mollire puellas
Cantando, & duris lenia corda dare.
Quid formam queror, aut calamos nocuiſſe canoros?
Perfidia periit cara puella mea.
Ah ne meis potui thalamis admittere Niſam?
Vidi ne preces duri tantam habuere patris?
Fugiſſem durumque patrem, patriamque, priuſque
Fudiſſem multo ſanguine dulcem animam.
Sed fundam, pœnaſque dabo tibi, candida Hyella:
O cari manes, o, precor, eſte boni.
Vos puerum veſtra linquentem lumina cauſſa
Optatum læti ſuſcipite in gremium.
Et qui me nimio ſponſum cupiiſtis amore,
Jungite nunc dulcis gaudia conjugii.
Sancta, veni, noſtriſque fave, Proſerpina, tædis;
Fauſtaque purpureus carmina cantet Hymen:
Quique olim valida conjunxit utrumque catena,
Vivat in Elyſia valle perennis amor.

XX.

XX.

PAn pater, & veneranda Pales, Faunique valete,
Tuque mihi quondam care Taburne vale:
Vos mihi vos miſero, ſilvæ, placuiſtis, opacæ,
Dum niveum in vobis pavit Hyella gregem,
Et mecum tenera furtim ludebat in herba
Ludere cum magno digna puella Jove.
Tunc mihi purpureo fulſerunt lumine ſoles,
Tunc fuit heu nimium candida vita mea.
Nunc nemora, & fontes, & cæli lumen, & umbræ,
Nunc ingrata meis omnia ſunt oculis.
Mors mihi ſola placet: mors o dulciſſima rerum,
Huc ades, & vitam, mors bona, redde mihi.
Illa meam vitam rupes habet, illa ſepulcro,
Servat delicias terra beata meas.
Paſtores, illa dominæ me jungite in urna,
Taliaque inſcriptis addite verba notis:
Formoſam tuus ardor, Iola, abſumſit Hyellam:
Te miſerum leto perdidit illa ſuo.

X X I.

INgrate Sol, ortum quid approperas tuum?
Quo lux mihi, ſi luce non datur frui?
Redis-ne, grex ut redeat in ſilvam meus?
At hunc Hyellæ mors acerba perdidit.
Redis, magis, magiſque tabeſcam ut miſer?
Et te fatigem queſtibus ſemper novis,
Dominæ reviſens pulverem ſacrum meæ?
An tu quadrigas aureas tuas refers,
Ut luminibus aliquam afferas lucem meis?
At illa lacrimis, tenebriſque horridis
Aſſueta lucem odere, nec radiis tuis
Imbres ſuos ſiccari amant, quibus genas
Rigant, & ora amoris uſta incendio.
Sed fulgeas licebit, & radiantibus
Terras, maria cælumque luſtres ignibus,
Tamen omnia tenebris inhorreſcunt mihi,
Ex quo meus Sol mihi ſuam lucem abſtulit,
Deiſque manibus occidens eam tulit.

X X I I.

FOrmoſa myrte, roſcido imminens antro;
Antrum loquaci ſuave murmurans fonte;
Fons care, fletu facte amare de noſtro;

O quam beate viximus, quoad vixit
Hyella veſtra! quoad puella formoſa
Mecum jacere iſta ſolebat in ripa!
Hic illa cum meo in ſinu recumbebat,
Mihique in aurem ludibunda cantabat,
Tunc, tunc beatam viximus Deum vitam;
Tunc invidebat ipſe Juppiter nobis.
Nunc quis miſerior Solis aſpicit lucem?
Quem ſæviore Tartarus premit pœna?
Seu veſtit alma luce Sol agros, ſeu nox
Placida rigat gratis ſoporibus terras,
Numquam remittit anxius dolor, numquam
Meos ocellos recreat quies dulcis.
Ut pinguem olivam lentus ignis abſumit,
Sic cor miſellum eſt cura ſæva, mærorque.
Quo dulcis abiit, hei mihi, decor vultus?
Quo nivees ille purpura color pictus;
Hyella quem ſuo anteire jurabat?
Jam lacrimæ exſangues genas peredere,
Modis & ora pallor inficit miris;
Et illa pulchrior hyacinthino flore
Inculta, ſqualens, hiſpidula coma horreſcit.
Miſer, ah miſer Iola, tamen mori ceſſas?
Vitæ, ac dolori pone jam, miſer, finem,
Et illa viſe regna, quæ colunt ſancti
Manes, ubi beata degitur vita
Sub arborum ſemper virentium ramis,
Queis inſuſurrat dulce frigerans aura,
Quam Tethyos circumfluæ parit lympha;
At ipſa paſſim lucidos parit flores,
Quos lacte puro candidi educant rivi.
Illic puellæ dulcibus jocis noctem,
Diemque cum ſuis amantibus ducunt,
Croceis amictæ carbaſis. pedes nudæ,
Omneſque ramis myrteis coronatæ.
Semper choreis, cantibuſque jucundis,
Semper cachinnis tinnulis ſonant ſilvæ.
Has nec protervus Auſter imbribus fœtus,
Nec cana nix, nec æſtus impotens tangit.
Sed Ver beatas ſemper incolit ſedes,
Flavas corollis mollibus comas cinctum,
Lætoſque Flora cum ſua choros ducit,
Ningens roſarum ſuave olentibus nimbis.

Huc

Huc te vocat puella maximis votis,
Tuaſque lentas increpat moras ſæpe.
Valete ſilvæ, tuque fons mihi care
Vale, vale antrum, myrte floridula ſalve.
Moritur Iolas ille notus in ſilvis,
Peritus ore, fiſtulaque cantare;
Moritur, ſuoque vos cruore reſpergit,
Qui lacteo vos ante rore ſpargebat,
Qui vos amœnis floribus coronabat,
Docens Hyellam vos ſonare formoſam.
At tu puella luce carior cara,
Qua mortua miſero mihi mori eſt dulce,
Ades, tuiſque manibus meos manes
Amore junge, Hyella candida, æterno.

X X I I I.

HOs calamos, Pan ſilvipotens, tibi pulcher Iolas,
Sæpe quibus cecinit dulcia furta tua,
Dum Cytherea potens, & cara ſinebat Hyella;
Quæ poſtquam dira tabe pereſa jacet,
Pro dulci Muſa, pro carminibus jucundis,
Flebilibus complet vocibus ille nemus,
Et dominam cupiens imas inviſere ad umbras,
Non ſomnos oculis, non capit ore cibum.
At tu fortunam pueri miſeratus acerbam,
Æternos pietas ſi movet ulla Deos,
Aut miſero tantos aufer, bone dive, dolores,
Aut illum ſilvas transfer in Elyſias.
Sed potius longum vivat formoſus in ævum,
Et cantet laudes ſemper, Hyella, tuas.
Dignior haud ullus talem celebrare puellam,
Ulla nec eſt ta li dignior ore cani.

X X I V.

HAnc laurum, formoſa, tibi formoſus Iolas
Sevit, & hanc madidis irrigat uſque genis.
Seu tenebras Veſper, ſeu lucem portat Eous,
Et laurum lacrimis irrigat, & tumulum.
Hinc tumulus violas, & lauras protulit umbras:
Umbræ iſdem creſcunt, & violæ lacrimis.
Cumque umbris, violiſque amor infelicis Iolæ
Creſcit, cumque ipſo creſcit amore dolor.
Hic dolor heu miſerum leto dabit: hic, bona Hyella,
Mox

Mox pueri apponet oſſibus oſſa tuis.
Et quos felici conjunxit fœdere quondam,
Nunc infelici funere junget amor.

XXV.

HÆc, dulciſſime Turriane, luſi
Molli carmine, nec laborioſo,
Dum ver florida lætum agebat ætas,
Quam jocus decet, ac leves cachinni.
Nunc Muſas vocor ad ſeveriores,
Nunc rerum juvat explicare cauſſas,
Et cælum memorare, cæliteſque,
Et qui cælitibus præeſt beatis.
O molles elegi, lyræque dulces,
O & myrtea ſerta, fiſtulæque,
Faunique, Dryadeſque, jam valete,
Et cum frondiferis, Hyella, ſilvis.
At tu, progenies Jovis ſupremi,
Patris deliciæ, deumque amores,
Per quam magna canunt ſacri poetæ,
Felix Uranie, mihi benigno
Ades numine, ſupplicemque tolle
Me tuo rutilante curru ad aſtra.

M. ANTONII
FLAMINII
CARMINUM
LIBER QUINTUS,
EPISTOLAS CONTINENS
AD ALEXANDRUM FARNESIUM
CARDINALEM.

I.

FARNESI, pater omnium leporum,
Hos tibi lepidiſſimos poetas
Dono, tempora quos tulere noſtra,
Fortunata nimis, nimis beata
Noſtra tempora, quæ ſuos Catullos,
Tibullos, & Horatios, ſuoſque
Marones genuere. Quis putaſſet,
Poſt tot ſæcula tam tenebricoſa,

Et

: tot Auſoniæ graves ruinas,
anta lumina tempore uno in una
am brevi regione Tranſpadana
riri potuiſſe? quæ vel ipſa
ola, barbarie queant fugata
uum reddere litteris Latinis
plendorem, veteremque dignitatem.
ſalvete, o decus, o perennis ævi
Noſtri gloria, candidi poetæ,
Quos novem in tenero ſuo ſorores
Nutrivere ſinu, ſuoque digna
Choro Caſtalio loqui dedere.
Vos, & carmina veſtra ſempiterno
Urbes Italiæ colent honore.
Vos & Gallus, Iberque bellicoſus,
Et Germania docta, Sarmatæque
Mirabuntur, & ultimi Britanni;
Erit dum Latiis honor Camœnis.
Quin ultra Oceanum, alteroque in orbe
Vos diſcent populi, quibus redit lux
Aurora exoriente, cum nigreſcit
Aer jam tenebris ſub axe noſtro;
Nam (mirabile dictu!) in iis quoque oris
Nunc linguæ ſtudium viget Latinæ.
At tu, floſcule Romuli nepotum,
Quem Phœbus pater, & Minerva doctis
Certatim artibus expolire gaudent,
Alexander, habe tibi hunc libellum
Venuſtum, lepidum; tuaſque laudes,
Iſtis quæ celebrantur a poetis,
Æternas fore ſcito; nam manebit
Æterno aureolus libellus ævo.

LI.

AD UBALDINUM BANDINELLUM

De Liberalitate

GUIDI ASCANII SFORTIÆ CARD.

UBALDINE, tuo ſodali amate,
Poteſt quantum ab amico amari amicus,
Munus hoc mihi da, tui ut patroni
Divini juvenis magnum oſculeris
Meo nomine, maximaſque grates

Agas,

Agas, quod decumas mihi quotannis
Pro ſua eximia benignitate
Remitti t, licet ipſe nec ſalutem
Eum more clientium bonorum,
Nec quidquam faciam, queat quod ipſum
Admonere, meam ut velit benigna
Mente pauperiem juvare. nempe hoc
Magnus Sfortiades movetur uno,
Quod me nec putat improbum, nec eſſe
A muſis alienum, amore quarum
Ardet maximo, ut omnium eſt amator
Ardentiſſimus elegantiarum.
Quare cum nequeam invenire verba
Infantiſſimus omnium poeta,
Quæ tantis meritis rependam; amice
Diſertiſſime, quod ſupra rogavi,
Id quæſo facito, tuique vive
Semper Flaminii memor, valeque.

III.

AD LÆLIUM TORELLUM.

QUod me diligis, & ſoles libenter
Adjuvare tuos, Torelle, amicos,
Quid per te cupiam impetrare, dicam.
Eſt conſanguineus mihi, peritus
Legum, nec ſenio gravis, nec idem
Admodum juvenis, diſertus autem,
Et forma egregia: ter ille jura
Galliæ populis dedit Togatæ,
Cum prætor foret, optimamque famam
Collegit ſibi rem optime adminiſtrans.
Quod ſi nunc opera tua licebit
Ipſi dicere jus in urbe veſtra,
Et me perpetuo tibi obligaris,
Et tua pariter benignitate
Rem dignam facies, facillimamque
Illam mehercule; quando conſecutus
Id virtutibus es tuis, ut amplum
Jampridem imperium tibi regendum
Coſmus tradiderit, decus perenne
Coſmus Tuſciæ, & omnium Italorum;
Quo regnante fides, bonique mores,
Et doctæ rediere Muſæ ad Arnum.

IV.

I V.

AD HIERONYMUM TURRIANUM.

De Morte Victoriæ Columnæ.

CUr deſiderio modum, & dolori
Me vis ponere, Turriane? acerbo
Cui Victoria fato ademta, quæ me
Non minus quam oculos ſuos amabat:
Qua nihil veniens ab ultimo Indo
Clarius, meliuſve Sol videbat:
Cui mens candida, candidique mores,
Virtus vivida, comitaſque ſancta,
Cæleſte ingenium, eruditioque
Rara, nectare dulciora verba,
Summa nobilitas, decora vultus
Majeſtas, opulenta, ſed bonorum
Et res, & domus uſque aperta ad uſus.
Illa carminibus ſuis poetas,
Quotquot ſæcula multa protulerunt,
Longe vicerat; illa vincit omnes,
Sive flebilibus modis maritum
Exſtinctum decorans ſepulcro ab imo
Summa ducit in aſtra, ſive regi
Cælitum, Unigenæve Regis hymnos
Filio canit: illa vel canendo
Ventos ſiſtere, fluminum morari
Impetus, poteratque leniores
Tigres reddere mitibus columbis.
At tu, ſurdior Hadriæ procellis,
Immitiſſima Mors, manum rapacem
Illi es injicere auſa: Mors acerba,
Tu Solem Italiæ ſuum abſtuliſti.
Sed nil proficis; en meæ Columnæ
Fama ſidere clarior refulget;
En Victoria, cælitum beata
Vita nunc potitur, vagique Solis
Sub ſe lumina cernit, ipſa Sole
Multo ſplendidiorque, pulchriorque.
Ergo flebilibus modum querelis
Jam jam, candide Turriane, pono;
Ne plorem mihi inique amicus illam,
Quæ læto celebranda verſu, & ipſi
Addenda eſt numero beata divum:

V.

V.

AD GREGORIUM CORTESIUM CARD.

CORTESI Venerande, ſi quid umquam
Incenſæ officio rogationea
Apud te valuere, ne recuſa
Gregi adſcribere candido tuorum
Robertum, unanimem meum ſodalem,
Florentem ingenio, fide, pudore,
Et Græce optime, & optime Latine
Scientem, juvenem pium, elegantem,
Seu juncto pede, ſeu velis ſoluto
Doctum ſcribere, tam tui colentem,
Quam qui maxime, & omnium bonorum
Dignum amicitia. ergo, mi patrone
Magne, quod petimus, ſine impetrare.
Sic tibi Deus optimus ſenectam
Concedat viridem, diuque lætum
Servet; ſic homines tuæ ſupremæ
Virtuti tribuant pares honores,

V I.

AD STEPHANUM SAULIUM.

CAndidiſſime Gratiarum alumne,
Ne carus tibi ſim, nec ulla ſigna
Amoris mihi mutui rependas,
Ni te plus amo, quam ſolet tenella
Unicam genitrix amare natam.
Nec mirum; quid enim poteſt amore
Tuo dulcius eſſe? vel quis ullo
Fuit tempore dignus æque amari?
Honores alius ſequatur, auri
Acervum cumulet nitentis: ipſe
Sim beatior omnibus beatis,
Annuant modo cælites, ut una
Tecum vivere, tecum obire poſſim,
Jucundiſſime Sauli, honore, & auro,
Et cara mihi carior ſalute.

VII.

AD ULYSSEM BASSIANUM.

JLYSSI, mea Muſa, dic ſalutem,
Non illi, dea quem Calypſo amavit,
d quem Pierides amant amore,
uo jam tum lepidum Catullum amabant,
um tenellulus Aonas petivit
lontes, & meditans opaco in antro
lentes virginei chori tenebat.
)ic incredibili ipſius videndi
Ae deſiderio peruri, acerba
Jt non acrius intimas medullas,
Mihi febris adurat. ipſe quando
Viſet languidulum? ſuaque dulci
Me ſolabitur allocutione?
Nec eum lupa nutriit, nec urſa,
Sed comis pater, & puella mitis;
Cur ergo rigida æſculo, Hadriæque
Durior ſcopulis, meique morbi
Tam ſecurus abeſt? an ille nondum
Reſcivit, mea lectulo cubare
Membra torrida? ſic profecto, ſic eſt.
Quare dic juveni, Camœna, caro,
Confeſtim veniat, fideſque ſecum
Afferat. volo leniat furentem
Febrim, ut Orphea belluas, & iram
Cerberi, Eumenidaſque ſævientes
Molliviſſe ferunt lyra canendo.

VIII.

AD GALEATIUM FLORIMONTIUM.

PHILALETHEM.

HUc ades, Galatee; quid moraris?
Eſt brevis via, ſæpiuſque dicis
Cras ad vos veniam, boni ſodales,
Nec venis tamen, an putas licere
Amicis dare verba? nos pudendum,
Et contra officium, tuoque bello
Id cognomine prorſus arbitramur
Indignum: hoc niſi vis inepte abuti;

Huc

Huc ades, Galatee, quid moraris?
Remigies Ithaci vagantis olim
Lotos detinuit Libyſſa in ora,
Ut muſtralibus hæret uſque & uſque
Muſca lactis amores: te, beate
Senex, quæ retinet domi voluptas?
Ecquid delicias tuæ Sueſſæ
Præfers deliciis meæ Caſertæ?
Deliras, Galatee; nam Sueſſa
Longe pulchrior eſt amœniorque
Campanæ regionis hic ocellus;
Quem Jocis comitata, Gratiiſque
Venus poſthabita Gnido, Paphoque,
Semper incolit, & ſuos amores,
Suas delicias fatetur. ergo
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Hic Sol ſplendidius nitet, Favoni
Spirat mollius aura, ſuaviorem
Fert roſam, & violam benigna tellus:
Hic eſt dulcior uva, dulciores
Ficus, & pepones: oliva bacas
Non ſolum patriæ tuæ, ſed ipſum
Venafrum ſuperare gaudet. ergo
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Ecce caſeolos tibi recentes,
Atque hædos geminos Hyella donat
Formoſiſſima caprimulga, Pani
Non impar caprimulga, ſive cantat,
Seu levi calamo terit labellum.
Huc ades, Galatee; quid moraris?
En hoſpes meus, optimus Caſerta,
Quo Campania terra gloriatur,
Jam deſiderium tui morantis
Nequit ferre; puella ſic amantem
Votis, omnibuſque. lacrimiſque
Abſentem vocat, ah tuum Caſertam
Ne, quæſo, cruciare perge. ſed jam
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Is quidem impatiens moræ moleſtæ
Ad te jam properaſſet, ægra membra
Ni vis debilitaret ipſa morbi:
Et tu tam diu abeſſe ſuſtinebis?
Qui ſola potes allocutione

Fe-

ꝛrim pellere candido ſodali,
c ades, Galatee; quid moraris?
n Phœbus, mihi crede, filiuſve
œbi cantibus hunc levarit; herbis
ıt ſalubribus, æque ut ipſe vultu.
:undo, & lepida dicacitate.
go ſi tibi cura cari amici eſt,
uc ades, Galatee; quid moraris?
e vocat domus ipſa, quam ſolebas
cis, & ſalibus, facetiiſque
'uis exhilarare: te loquaces
ymphæ, te vocat hortulus venuſtus,
'uæ tam memor irrigationis,
ꝛuam lactis memor eſt tenellus infans.
ſuc ades, Galatee; quid moraris?
Jon pandunt nitidæ roſæ per agrum
ꝑormoſos calathos, hiare tardant
ꝑlores luteolique, cæruli que, &
ꝛlbi, & purpurei; ſuos honores
Agellus tibi ſcilicet reſervat.
Huc ades, Galatee; quid moraris?
Si venis cito, carminum libellum
Oſtendam tibi, quem legens putabis
Te veſci ambroſia, & tibi repleri
Ora nectare. ſin mea procellæ
Ferunt irrita verba, mox jambos
Exſpecta horribiles, amariores
Felle, abſinthio, & omnibus venenis,
Quotquot Theſſala nutrit ora, quotquot
Ponti terra creat. ſed eja age eja
Huc ades, Galatee; quid moraris?

I X.

AD BERNARDINUM MAPHÆUM, ET ANTONIUM MIRANDULAM DE *ALEXANDRO FARNESIO CARD.*

GAudete, o lepidi mei ſodales,
Omni jam poſito timore; venit
Tandem nuntius optimus, patronum
Salvum, & incolumem redire noſtrum,
Quem rumor malus Italas per urbes
Divulgaverat eſſe jam dolore

Con-

Confectum lateris, malaque febri,
Dum cinctus legionibus Latinis
Petis Vindelicas tremendus oras.
At tibi male ſit, moleſte rumor,
Qui nos ſollicito diu timore
Vexaſti. en cito patri . m reviſet
Alexander, & omnium Quiritum
Plauſus, gaudia, gratulationes
Lætus excipiet; manuſque caras
Nobis jam dabitur deoſculari.
O pulcherrime Sol, tuo nitente
Curru fer cito mœnibus Quirini
Hunc diem niveum, & nimis beatum.

X.

AD HIERONYMUM SERIPANDUM.

COmmendo tibi, Seripande magne,
Guglielmum, hominem pium, eruditum,
Et candore animi parem columbæ,
Doctum præterea utriuſque linguæ;
Quodque exiſtimo pluris æſtimandum,
Pauperem juvenes tamen docentem
Gratis pauperie mala gravatos.
Illum Græcia magna procreavit
Antiqua probitate, moribuſque
Dignis Pythagora virum, tuaque
Dignum amicitia: idque ita eſſe, certo
Sciens, hunc tibi, magne amice, dono,
Virtutique tuæ dico. nec alter
Cliens aptior eſt tibi, nec ipſe
Patronum inveniat ſibi aptiorem.

X I.

AD JOANNEM CASAM.

DIſertiſſime Caſa, quem libellum
Legendum dederas mihi, relegi
Sæpe, ac ſæpius, & tamen legendi
Is deſiderium mihi reliquit.
Nec mirum; ſiquidem tuus libellus
Tam doctus, numeroſus, eleganſque eſt,
Ut ſcriptus videatur aureo illo
Sæculo Ciceronis, atque ab ipſo

Di-

no Cicerone, nec profecto
:t iſte minus diu libellus,
.m libri Ciceronis. ergo, Caſa
:rtiſſime, perge, ſæculumque
ſtrum orna aureolis tuis libellis,

X I I.

AD MATTHÆUM DANDULUM.

) Brumæ mihi Vere amœniores,
) Quibus, Dandule care, te fruebar,
tequam Latium petiſſem, & Urbem:
m ſubit mihi candidarum imago
a noctium, & ille propter ignem
rmo dulcis, & Attico lepore
ɔnditus, lacrimæ effluunt ocellis,
t rivus pluvia frequenti abundans;
ec quidquam mihi ſuave jam videtur,
ut videbitur, uſque dum redire
d carum hoſpitium tuum licebit,
uod Phœbus pater, & novem ſorores,
t virtus celebrant, fideſque, honorque.
t donec procul a tuis ocellis
le tenent ſuperi parum faventes,
Je, quæſo, pigeat meum dolorem
Te jocis relevare litterarum.
Quamquam te patriæ, imperique magni
Cura diſtinet, eſt tamen laborum
Quies, ingenuoque ſunt [opinor]
.ſthæc ſeria temperanda luſu.

X I I I.

AD ALOYSIUM PRIULUM.

DUM Canicula fervidis fatigat
Vos caloribus, ipſe valle opaca
Sedens propter aquam nitentem amœni
Meſuli, placido fruor tepore
Veris: attamen hoc, Priule, dicam,
Et dicam ſine fraude, malim aduri
Ardenti Libyæ, Indiæve ab æſtu,
Quam magni alloquiis carere Poli,
Qui virtute ſua, ſuoque miro
Cepit ſic animum meum lepore,

Ut

Ut illo ſine mella amara, Soles
Obſcuri, nivea atra, ver amœnum
Horridum mihi ſit, dieſque longo
Anno longior. ergo ſic habeto,
Ut primum potero explicare, quæ nunc
Me negotia diſtinent, redibo
Ad vos Pegaſeo ocyor volatu.
Quod negotia ſi mihi faceſſent
Hæc negotium, & expedire nodos
Iſtos non dabitur brevi, relictis
Nodis, atque negotiis revertar;
Nam tanti nihil eſt, velim ut carere,
Frater optime, te, meoque Polo.

X I V,

AD DONATUM RULLUM.

RULLE candide, & omnium virorum
Humaniſſime: quos abhinc trecentos
Annos Appula terra procrearit,
Quod me perpetuis, meoſque amicos
Juvas officiis, tuæque ſemper
Domus hoſpitium mihi eſt apertum,
In hoc eximiæ benignitatis
Clarum das ſpecimen; tibique grates
Ago, maxime, maximas, amice,
Tantis pro meritis, agamque ſemper,
Atque habebo; referre namque, ut opto,
Nec licet modo, nec licebit umquam.
At quod nuper amore noſtri es auſus
Tentare, & facere æque amanter, ac ſi
Tibi filius, aut pater fuiſſem,
Id vero & mihi, & omnibus videtur
Tam magnum, ut tibi debitas referre
Non poſſim, aut agere, aut habere grates;
Non ſi quidquid ubique gratiarum eſt,
Habere, atque agere, & referre poſſim.

X V.

AD JACOBUM PEREGRINUM.

JUcundiſſime amice, cras Tridento
Diſcedam cupidus tui videndi:
Verum ut commodius loquamur, & ne

In-

Interpellet amicus hic, & ille,
In tuo volo te Povilliano
Convenire. videbis ipſe, ne quis,
Linum præter, ibi adſit: hunc adeſſe
Non ſolum, Peregrine, non recuſo,
Sed ſumme cupio; eſt enim modeſtus,
Et doctus juvenis, mihique amicus
Quam qui maxime. item cavebis illud,
Ne convivia ſint Apiciana.
Adſint pullus, & hædus, & recentia
Ova, illique ſales tui, quibus nil
Uſquam ſalſius, elegantiuſve eſt.
Hæc ſi, inquam, affuerint, tuum ſodalem
Jucunde accipies, nimiſque laute:
Nam convivia ſumtuoſa pejus
Morte vito: jocos, facetiaſque
Sector mirifice; tuaſque regum
Verbis præfero collocutiones.
Hæc ex tempore carmina exaravi,
Cum Morilla repente, ſi quid ad te
Vellem, quæreret: at brevi, favente
Deo, plurima ſeria, & jocoſa
Coram. nunc vale, & optimam ſororem
Meo nomine plurimum ſaluta.

X V I.

AD FERANDUM BRANCATIUM.

TU ne Flaminii putas, Ferande,
Effluxiſſe animo tuum leporem,
Carumque hoſpitium? ante vel propinque
Nabit Pauſilypus mari, vel unda
Sebethi refluens ſuos adibit
Fontes, pectore quam meo recedat
Imago tua dulcis. atra ſenſus
Cum mors abſtulerit mihi, manebit
Illa infixa animo; tuamque ſemper
Virtutem meminiſſe me juvabit,
Quod ſi vota mea audiunt benigni
Cælites, adero brevi: nec ulla
Jam res Flaminium hoſpiti benigno
Avellet: domus una, & una menſa
Copulabit utrumque, dum ſuprema

Dies ſeparet. interim valebis,
Nil plane dubitans, Ferande, rebus
Me tuum omnibus anteferre amorem.

X V I I.

AD PETRUM CARNESECUM.

O Dulce hoſpitium, o lares beati,
O mores faciles, o Atticorum
Conditæ ſale collocutiones,
Quam vos ægro animo, & laborioſo,
Quantis cum lacrimis miſer relinquo!
Cur me ſæva neceſſitas abire;
Cur vultum, atque oculos, jocoſque ſuaves
Cogit linquere tam venuſti amici?
Ah reges valeant, opeſque regum,
Et quiſquis potuit domos potentum
Anteponere candidi ſodalis
Blandis aloquiis, facetiiſque.
Sed quamquam procul a tuis ocellis,
Jucundiſſime Carneſece, abibo
Regis imperium mei ſecutus,
Non loci tamen ulla, temporiſve
Intervalla tuos mihi lepores,
Non mors ipſa adimet. manebo tecum,
Tecum ſemper ero, tibique ſemper
Magnam partem animæ meæ relinquam,
Mellite, optime, mi venuſte amice.

X V I I I.

AD UBERTUM FOLIETAM.

IBis ad patriæ lares beatos,
Et deſiderium tui relinques
Maximum unanimi tuo ſodali.
Nam quo tempore noſtra cara cœpta
Eſt amicitia, ex eo medullis
Mihi carior es meis, eriſque,
Senſus dum mihi erit amoris ullus,
Propter ingenium tuum, tuoſque
Mores, & ſtudia artium bonarum,
Et ſtylum Cicerone pæne dignum,
Et plane Cicerone mox futurum,
Vitalis modo ſis, Uberte, dignum.

Ibis

Ibis tu procul, & tamen manebis
Meo in pectore fixus, & juvabit
Idem credere de tuo in me amore.
Quod te per lacrimas, amice, amaras,
Quæ fluunt oculis tuis, meiſque,
Per ſi qua eſt tibi cura noſtri, id oro,
Cito Urbem repete, & tui miſelli
Sodalis miſerere, quem relinquis
In luctu, & tenebris tuo receſſu.

X I X.

AD MARIUM BANDINUM.

QUod ſum pollicitus tibi, futurum
Me tecum cito, id exſequar diebus
Paucis, ſi mihi faverint benigni
Cælites: reliquum eſt, ut ipſe in urbe
Interim maneas, agellulumque
Tuas delicias ſinas valere,
Uſque dum veniam, tuoque dulci
Fruar colloquio, facetiiſque.
Nec Germanicus abſit, ille bellus,
Et doctus puer, optimoque patre
Dignus filius: hic mihi trecentos
Verſus Mæonidæ volo Maronis
Explanet varia locutione.
Tu Germanica bella, Cæſariſque
Narrabis mihi clara facta, quorum
Ipſe non quotacumque pars fuiſti:
A me carmina Davidis, Tridenti
Expreſſa accipietis, & juvabit
Hymnos dicere verſibus Latinis.
Decem continuos dies manere
Tecum cogito; eaque lege tantum
Utar hoſpitio tuo, morari
Ne plus quam volo, ſit mihi neceſſe;
Quod jam præmoneo, ſatis ſuperque
Amoris violentiam, impetumque
Tui cognitum habens. ſed audi, amice,
Quam bonam hoſpitibus bonis Homerus
Legem ſanciat: Hoſpitem caveto,
Hoſpes, neve manere, neve abire
Cogas; in vitio pari eſt uterque,

Urgentem remorans, morantem adurgens.
Hoc viros decet elegantiores
Præceptum memori tenere mente,
Nec umquam violare. tu, venuſte
Mari, dum venio, vale, meoque
Fratrem nomine candidum ſaluta.

X X.

AD LUDOVICUM STROZZAM.

STrozzam Flaminius ſuum ſalutat
Benaci liquidam jacens ad undam
Sub myrto beneolente, dum ſuperba
Terit limina principum miſellus
Strozza. tu ne moleſta in Urbe ſemper
Incluſus, variis agri beati
Numquam deliciis fruere? numquam
Ruris gaudia noveris? miſelle,
Rumpe obſtantia clauſtra, rumpe lentas
Moras, ſi ſapis, optimumque amicum
Viſe. hic Virgilium tuum, meumque
Catullum vacui legemus. hic tu
Cultis verſiculis canes amœnos
Hortos, & vitrei lacus decentes
Nymphas: me cithara bonum Gibertum
Juvat dicere, cujus hic agellus
Mihi munere partus. hunc agellum
Ille donat habere, quo nec alter
Baccho, & Palladi gratior, nec alter
Muſis otia, & abditos receſſus
Prebet commodius. modo hæc benigni
Faxint propria dona di, talenta
Crœſi deſpicio, Midæque acervos.

X X I.

AD PETRUM VICTORIUM.

VIctori, tibi plurimum fatemur
Nos debere, quibus tuo labore
Hic Ariſtotelis libellus artem,
Et myſteria rhetorem recludens
Explanatur ita apte, & eleganter,
Ut quem ægre unus, & alter eruditus
Intellexerat ante, ineruditi

Te

Te docente queant labore nullo
Nunc intelligere. ergo jure cuncti
Indocti ſimul, atque docti amamus
Te de hoc munere, maximaſque ſemper
Labori tuo, & eruditioni,
Rhetor maxime, gratias agemus.

X X I I.

AD ANTONIUM MASSAM.

ETſi Sulpiciis, Catonibuſque
Non cedis gravitate, nec patroni
Ullius celebrat domum, perinde
Ac tuam populus, tamen caveto,
Ne ſupercilio nimis ſevero
Luſus molliculos meæ Camœnæ
Spernas, optime Maſſa; nam Platonis,
Quo nemo gravior fuiſſe fertur,
Exſtant carmina melle dulciora,
Quæ ſumma faciebat is ſenecta,
Non ſemper ſtudiis vacans ſeveris.
Et noſter quoque Tullius ſolebat
E foro rediens laborioſo
Verſus ſcribere delicatiores,
Ut curis animum gravem levaret.
His auctoribus, ut reor, licebit
Nugas Flaminii legas ad ignem,
Cum te garrula turba liberorum
Dicendi nimio labore feſſum
Ad jocos vocat, & leves cachinnos.

X X I I I.

AD CAROLUM GUALTERUTIUM.

QUas agam tibi gratias, quibuſque
Verbis, Carole? qui mei negoti,
Duri Juppiter! & laborioſi,
Procurator, ad exitus ſecundos
Rem tam commode, & apte, & expedite
Duxiſti, ut videare par agendis
Rebus Mercurio Jovis miniſtro,
Quem Deum ingenio, eloquentiaque
Omnes vincere, prædicant poetæ.
Ergo, candide amice, dum laboras

Pro me quotidie, otio ipſe dulci,
Cupitoque fruor Caſertæ in agro,
Qui pulcherrimus omnium locorum
Jure dicitur. hic bonas precabor
Muſas, ut faciant tibi poema,
In quo nomen, honos, tuæque laudes
Vivant innumerabiles per annos.

X X I V.

AD BASILIUM ZANCHUM.

JUdex candide carminum meorum,
Quamquam gratulor, & tibi, & faceto
Arcellæ, quod amore juncti, & una
Domo, vivitis optime, ac beate;
Tamen, ſi licet intimo ſodali
Verum dicere, nec tacere quidquam:
Quod abſis, doleo, tuique ferre
Vix deſiderium queo; nec illo
Torquetur minus optimus Priulus:
Nam dulcis tua Muſa, comitaſque,
Et rara probitas, fideſque utrumque
Sic incendit amore, vita acerba
Te ſine ut videatur, olim utrique
Jucundiſſima quæ ſolebat eſſe
Te præſente. quid ergo, care Zanche,
Agendum? an tibi ſuadeam, relicto
Arcella ut redeas? meum ne tanti
Commodum faciam, & Priulum, ut illi
Cui plus debeo pæne quam Priulo,
Sic incommodem iniquus? immo, amice,
Arcellam cole, ama, nec unguem ab ipſo
Latum, quæſo, recede; quippe inani
Nos deſiderio, tui atque amore
Vel tabeſcere malo, quam carere
Suis deliciis venuſtum amicum.

X X V.

AD FRANCISCUM TURRIANUM.

PER tui Ciceronis, & Terenti
Scripta te rogo, Turriane docte,
Ut poſtridie adhuc rubente mane,
Cum fœcundat humum decorus almo

Rore

Rore Lucifer, exiens Giberti
Domo ad me venias equo citato,
Ne tibi igneus antevertat æſtus.
Hic fontem prope vitreum ſub umbra
Formoſi nemoris tibi parabo
Prandium Jove dignum. habebis & lac
Dulce, & caſeolum recentem, & ova,
Et ſuaves pepones, novaque cera
Magis lutea pruna. delicatos
Addam piſciculos, nitens ſalubri
Quos alit mihi rivulus ſub unda.
Ad menſam vetulus canet colonus
Jocoſiſſima carmina, & coloni
Quinque filiolæ ſimul choreas
Plaudent virgineo pede. inde ocellos
Ut primum ſopor incubans gravabit,
Jucundiſſime amice, te ſub antrum
Ducam, quod croceis tecum corymbis
Serpentes hederæ, imminenſque laurus
Suaviter foliis ſuſurrat. at tu
Ne febrim metuas, gravedinemve;
Eſt enim locus innocens. ubi ergo
Hic ſatis requieveris, legentur
Luſus Vergilii, & Syracuſani
Vatis, quo nihil eſt magis venuſtum,
Nihil dulcius, ut mihi videtur.
Cum ſe fregerit æſtus, in virenti
Donvalle ſpatiabimur; ſequetur
Brevis cœna; redibis inde ad urbem.

XXVI.

AD ROMULUM AMASÆUM.

SIc te, Romule, copia beata
Fandi, & omnigena eruditione
Vincat Pompilius tuus; benignus
Sic te ſoſpitet inter arma, divum
Rex, oro, mihi mitte crebriores
Poſthac litterulas; nec ullus umquam
Tabellarius huc equis citatis
Currat Vindelica profectus ora,
Quin epiſtolium tuo ſodali
Afferat. neque tu, quid ipſe Cæſar,
Quid Germania Cæſari reſiſtens

Caſtris oppoſitis gerat, labora
Mihi ſcribere. nec quid ipſe Cæſar,
Nec Germania quid gerat, labora
Scire: unum hoc mihi noſſe, amice, cordi eſt,
Ut Farneſius inclytus laborem
Duræ militiæ ferat. valere
Ipſum dic; nihil amplius requiro.

XXVII.

AD ADAMUM FUMANUM.

CUm, Fumane, tuus, meuſque nuper
Scripſiſſet mihi Turrianus, omnes
De tua medicos ſalute patvam
Jam ſpem habere, dolor meam occupavit
Sic mentem, ut fugeret quies ocellis,
Nec flendi modus ullus eſſet. ergo
Tam bonum mihi mors acerba amicum,
Prima ſurripiet juventa? amicum,
Quo nec candidior fuit, nec alter
Erit; cui dederat loqui rotundo
Ore pulcher Apollo, ſive Græcos
Verſus conderet ille, ſeu Latinos.
Hæc, & quæ dolor improbus querenti
Suggerebat, amice, ſum locutus,
Vix parcens ſuperis. ſed ecce læta
Venit littera nunc, tuæ ſalutis
Felix nuntia, qua meum revixit
Cor, at floſculus igne ſemiuſtus
Solis, quem reficit benigna Luna
Rore frigidulo. nec ulla mater
Natum depoſitum videns deorum
Dono reſtitui, magis triumphat
Gaudio. Bone Juppiter, benigno
Quem tu numine janua rapacis
Nunc Orci eripuiſti, eumdem eodem
Serva numine plurimos in annos.

XXVIII.

AD BONIFACIUM BIVILAQUAM.

DE me ne male ſentias, amice,
Quod te viſere proximis diebus
Cum proclive foret facillimumque,

Id tamen minime egerim. per agros
Tuos, & medios quidem ambulavi
Ad Camillum adiens meum; ſed, oro,
Qua poſſem ratione ſuſpicari,
Agros eſſe tuos, tuamque villam,
Quam vidi procul eminentem? amice
Candidiſſime, tale ſi quid umquam
In mentem mihi venit, aut venire
Quivit, mente tua effluam, meique
Fias nominis immemor, nec umquam
Jucunda amplius allocutione
Digneris tenerum tuum ſodalem;
Quod foret mihi acerbius vel ipſa
Morte, ſive quid eſſe morte acerba
Poteſt ſævius. eſt enim leporis
Tanta vis tui, & intimas medullas
Ita incendit amore, ut ardeam æque
Totus, ac juvenis decore capta
Virgo candida ſuſcitantis imo
Flammam in pectore, quam nec imber alto
Cælo præcipitans, nec ulla jam quit
Unda exſtinguere; non ſi amara Tethys
Ardentem Oceani obruat procellis.

XXIX.

AD CHRISTOPHORUM LONGOLIUM.

Dum tu Naugerio, optimoque Bembo,
Longoli, frueris, tuique Tulli
Laudes æquiparare tendis, ipſe,
Ubi molibus arduis ad aſtra
Se tollit Genua, hortulis amœnis
Abditus Stephani mei tuique,
Nunc Ariſtotelis lego libellos,
Cæleſtem ſapientiam, virique
Mirans ingenium: modo ad Catulli
Dulces verſiculos relapſus, inter
Argutas volucres cano ſub umbra
Silvæ lauricomæ jacens; modo ipſe
Ludo carmina, qualia in Lycei
Nigris ſaltibus Arcades canebant,
Antequam fera gens profecta ab oris
Incultæ Scythiæ procul Menalcas,

Tityroſque fugaret. ipſe vero
Saulius, tua dum laborat ire
Per veſtigia, Tullium urget, uno
In illo ſtupet, & nimis beatum,
Longoli, putat eſſe te, benignus
Cui dat Juppiter eſſe tam propinquum
Scriptori egregio. Aſt ubi remiſit
Æſtus, nec querulis ſonant cicadis
Arbuſta amplius, igneuſque jam Sol
Abit, nos pelagi propinqui ad undam
Imus. hic ſcopulo ſedens uterque
Piſces captat arundine, & videre
Cymbas purpureo mari volantes
Juvat. Flaminii tui, tuique
Sauli, candide amice, vita qualis
Sit, vides: ea ſi placet, venito,
Et vitæ cumulum addito beatæ
Tui Flaminii, tuique Sauli.

X X X.

AD DOMINICUM SAULIUM.

QUod virtus tua maxima invidorum
Telis objicitur, dolere, Sauli,
Numquam deſino pro meo vetuſto
In te amore, tuaque perpolita
Doctrina, & bonitate ſingulari:
Idem gratulor intuens tumultu
In tanto placidam tuam quietem,
Dum mente intrepida impetum furentis
Fortunæ toleras. ſed ipſa tandem
Innocentia vincet; & repulſis
Cernes criminibus tuam micare
Famam, ut nubibus hinc & hinc fugatis
Sol ardet radians nitente luce.

X X X I.

AD PETRUM CARNESECUM
DE EMANUELE CHIO MEDICO,

DI boni tua vota, Carneſece,
Audivere, fugit ſiticuloſa
Febris, & redit ad meos ocellos

Quies,

Quies, & cibus incipit juvare,
Et Bacchi minus eſt latex amarus;
Et, quod lætitias meas adauget;
Me Chius medicus fricatione,
Et victu tenui levat, remotis
Omnium medicaminum venenis,
Queis languentia membra deteruntur.
Ipſe utrum melior, peritiorve,
Sit plane dubites: benigniorem
Non certe invenias, pecuniamve
Curantem minus. & ſuis medetur
Ægrotis ita amanter, ut parentes
Aut nati, aut videantur eſſe fratres.
O Chium medicum bonum, atque ſuavem,
Et tibi, inclyte Coe, comparandum!

XXXII.

AD PHILIPPUM GERIUM.

QUid rerum geris, o venuſte Geri?
Num ceſſas? tibi nil minus profecto.
Convenit, bona quem Talia parvum
In ſinu erudiit ſuo, deditque
Vatum florea prata pervagantem
Verſus fingere melle dulciores.
Quod ſi ſcribis, ut arbitror, tuumque
Maronum celebras, ad aſtra juſtis
Ferens laudibus, aureoſque mores,
Virtuteſque viri paras in ævum
Æternare, facis quidem, quod eſt te,
Et tua pietate dignum: at illud
Indignum nimis, & nimis moleſtum,
Quod celas, neque me, ut ſoles, amice,
Oblectas lepida tua Camœna.
Quare per tuum Apollinem, tuamque
Muſam, & Mœonidem ſacrum, & Maronē
Oro, ſi quid habes, bono ſodali
Mitte. nil mihi gratius, magiſve
Noſtro feceris hercle amore dignum.

XXXIII.

AD OCTAVIUM COGNOMENTO PATREM.

OCtavi Pater, ad Viterbienſem
Seceſſum venias, rogamus omnes;
Polus, Parpalias, Priulus, ipſe
Tuus Flaminius. nec eſſe Romæ
Tutum eſt, cum rapidus caniculari
Æſtu Sol furit, & Viterbi in urbe
Jucundo fruimur tepore veris
Æſtate in media nec ulla certe
Eſt ſalubrior ora, nec ſodales
Tui habes, mihi crede, amantiores
Uſquam; te licet elegantiorum
Nemo non amet unice, colatque.
Cur ergo, Pater, huc venire ceſſas?
Num te illa innumerabilis librorum
Tenet copia curioſum? habebis
Et hic Græca volumina, & Latina,
Quæ laſſare valent decem otioſos
Plinios. licet uſque, & uſque, & uſque
Noctes, atque dies legas, ut hercle
Facis, (ne dubita) tamen novorum
Haud te deficiet librorum acervus.
Ergo rumpe moras, Pater venuſte,
Mellite, optime, nec tuos ſodales
Contemtos habe. amore vinci ab ullo
In primis tibi turpe, quem fatentur
Exemplum memorandum amoris omnes.

XXXIV.

AD LUDOVICUM BECCATELLUM.

SI recte tibi, Ludovice care, eſt,
Gratias ago dis. at eſſe recte
Qui poteſt? brevis hora ſi quieti
Vix umquam datur, & bonis libellis,
Quibus nil tibi carius, ſalutem
Multam dicere cogeris, nec agri
Licet delicias tui videre.
Sed dic, optime amice, quis laborum

Tan-

Tandem finis erit? vides capillum
Jam caneſcere, jam ſenecta frontem
Rugis incipit exarare, nec tu
Vivere incipis? an manum rapacem
Dum Mors injiciat tibi repente
Exſpectas? miſer, ah miſer, fugaci
Vitæ conſule, & Urbe derelicta,
In tuo requieſce tandem agello.

X X X V.

AD NICOLAUM ORMANETUM.

QUid, o candide amice, ſemper iſta
Juvat vivere in Urbe, curſitando
Nunc per limina principum ſuperba,
Nunc ſubſellia judicum terendo?
Ormanete, fugit levis juventa
Ventis ocyor, & ſubrt ſenectus
Curva, quam ſequitur ferox tenebris
Mors operta; nec illius furorem
Arcet nobilium favor: clientem, &
Patronum rapit illa. amice, quæſo,
Vive, dum licet, otioque dulci
Ruris elue amara civitatis.
Si guſtare mei ſemel quietem
Agelli potes, & periclitari.
Quam ſit ſuave, tumultuoſa ab Urbe
Semotum ſibi vivere, otioſa
Numquam ſit mihi vita, ni potentum
Fortunaſque, domoſque, gratiamque
Arbitrabere vix pili æſtimandas.
Tunc dices, Nihil eſt profecto mirum,
Meus Flaminius quod eſſe lætus
Fortuna exigua, brevique cenſu
Audet, nil populi leves honores
Curans, nil rutilos Midarum acervos.

X X X V I.

AD RAYMUNDUM TURRIANUM.

De Franciſco fratris ejus Filio.

VEnimus, bone Turriane, ad Urbem
Salvi, & incolumes, nec ulla paſſi

Viæ incommoda; verum in Urbe poſt hac
Salvi, & incolumes utrum futuri
Simus, neſcio; nam tremit tumultu
Tellus Romula maximo: propinquat
Miles barbarus, & ferox minatur
Cædem, incendia, nec ſatis videmus.
Tantorum effugium periculorum.
Sed cum multa animo meo recurſent
Moleſtiſſima, nil ita ad dolorem
Accidit grave, ut hic videre fratris
Tui filium. acerba ſic ne fata
Tuliſſe, ut puer hic ad Urbem adiret
Iſto tempore tam perículoſo?
Me ne, quod nimis ingravat dolorem,
Exſtitiſſe profectionis hujus
Auctorem? bone Juppiter, malorum,
Quidquid huic puero imminet, redundet
In meum caput, obſecro. quid iſte
Puer commeruit? puer bonarum
Cura Pieridum; puer Catullo
Suo municipi futurus olim
Par, aut major. & hunc, Apollo ſancte,
Sines ludibrium eſſe barbarorum?
Huc ades, bone dive, ſeu fluenta
Xanthi, ſeu retinent amœna Cinthi
Te juga; huc ades, o pharetra & arcu
Inſignis. fera fata ſi Quirini
Urbem evertere deſtinant, miſellum
Ah ſaltem puerum tuum, tuumque,
Oro, Flaminium tuere. uterque
Eſt tuus famulus; uterque ſe ſe
A primis tibi dedicavit annis.

X X X V I I.

AD HONORATUM FASCITELLUM.

FAſcitelle, quid otio in beato
Dictavit tibi roſcidis ſub antris
Muſa candida? nil ſoles profecto
Umquam ſcribere laurea corona
Non dignum. Ipſe miſer tumultuoſa
Urbe detineor: tibi benignus
Dedit Juppiter in remoto agello

La-

Latentem placida frui quiete,
Inter Socraticos libros, & inter
Nymphas, & Satyros, nihil profani
Curantem populi leves honores.
Verum, ſive aliquid Marone dignum
Pangis, ſive modis Horatianis
Juvat ludere, quidquid eſt, ſodali
Tuo mitte, alii ſibi, atque Muſis
Scribant: tu cave, carmina occulas, quæ
Digna ſunt medio legi theatro.

XXXVIII.

AD BLOSIUM PALLADIUM.

PLurimam Bloſio ſuo ſalutem
Dicit Flaminius malus poeta
Omnium lepidiſſimo poetæ.
Quæ tu carmina per jocum, atque luſum
Scripſiſti ad Jovium bonum ſodalem
Jucunde, lepide, facete, amanter,
Non ſunt Flaminio malo poeta
Digna carmina, ſed tuo Catullo,
Quo nil ſalſius, elegantiuſve.
Nam nec tam ſimilem ſuo gemello
Gamellum peperit venuſta Leda,
Es tu quam ſimilis tuo Catullo.

XXXIX.

AD JOANNEM FRANCISCUM BINUM.

QUid Horto, bone Bine, qui ſolebat
Plura carmina quam roſas, & herbas
Olim fundere, contigiſſe dicam?
Cur ex garrulo, & eloquente factus
Jam ſit Harpocrates. tamen nec illi
Deſunt lilia, nec roſæ: ille grandes
Lactucas habet, ocymumque: tortus
Abundat cucumis, rubent ubique
Fraga: quin & apis levi ſuſurro
Illum provocat ad canendum. at ipſe,
Quaſi grandine verberatus eſſet,
Aut fur omnia ſuſtuliſſet, odit
Jocum, & carmina; ſcilicet ſequuntur
Mores & domini inſtituta ſervi.

Dum

Dum tu carmina, Bine, amaſti, & Hortus
Ipſe carmina amavit: at ſimul tu
Lucrum verſibus eſſe præferendum
Putaſti, Hortus item ſtudet lucello,
Et ſe divitibus locat, meraſque
Nugas carmina, ineptiaſque ducit.
At tibi male ſit, malum lucellum,
Muſæ pernicies, malum lucellum;
Tua certe opera boniſq; facetiſque
Horti carminibus diu caremus.

X L.

AD BERNARDINUM MAPHÆUM.

MAphæe unanimis mihi ſodalis,
Si quid de domini tui, meique
Salute eſt tibi nuntiatum, amabo
Fac me participem; malamque curam,
Quæ affixa interioribus medullis
Noctes, atque dies edit miſellum,
Aufer. Vindelicis enim feruntur
Nuntii lacrimabiles ab oris
De febri aſſidua, & periculoſa
Farneſi. o nimium mihi moleſti
Nuntii, mala tanta qui minantur!
Quod ſi quid melius tuæ cupitæ
Ferent litterulæ, metumque triſti
Abſterges animo, tibi rependent
Centum verſiculos meæ Camœnæ,
Qui teſtentur ubique, dum licebit
Ipſis vivere, nil fuiſſe magni
Farneſi mihi carius ſalute.

X L I.

AD PETRUM VIPERAM.

FOrtunate ſenex, ſenex beate,
Quo te carmine prædicare poſſim?
Eſt domus tibi parva, ſed ſupellex
Munda, lectulus elegans, tabellæ
Quæ ſuis oculos vel eruditos
Figuris teneant, cubiculumque
Ornatum ſatis, & ſatis librorum
Magna copia, qui bene, ac beate

De-

Docent vivere, menſa pura, victus
Simpliciſſimus. eſt tibi fidelis
Miniſter, vetulus ſodalis idem,
Qui cum fallere tempus, & jocari
Soles ſuaviter; eſt enim facetus
Senex, blandus, amabilis, diſertus,
Hæc ad commoda tam beata magnum
Adjungit cumulum hortulus venuſtus,
Quem ver Corycius ſenex agello
Suo præferat, omniumque dicat
Pater Nauſicaæ hortulorum excelſum:
Adde, quod viridis tibi ſenectus,
Quod mens candida, candidiq; mores:
Quod ſeſtertia quinque ab Urbe miſſa
Sunt ſatis tibi ſingulos per annos.
Abeſt ambitio, timorque leti,
Et quidquid miſeram facit ſenectam;
Nam Deo pietas amica, vitæ,
Et morti bona cuncta pollicetur.
Fortunate ſenex, ſenex beate,
Quo te carmine prædicare poſſim?

X L I I.

AD HIERONYMUM BAGIUM.

CUm tot ſuſtineas, Bagi, labores,
Tot negotia noſtri amore, quidnam
Pro tantis meritis tibi rependam?
Unum hoc ſcilicet, elegantiarum
Ut patrem omnium, & omnium leporum
Domi convenias, eique dicas
Meo nomine plurimam ſalutem.
Quis iſte, unde, ubi ſit, requiris? hic eſt
Optimus Galeatius, Sueſſa
Quem ferax genuit, tenent Penates
Nunc tuæ patriæ, & domum frequentat
Moroni egregii. ille te benigne
Amplexabitur ut meum ſodalem.
Id primo; aſt ubi vir bonus venuſtos
Et mores faciles tuos parumper
Guſtarit, geret in ſuis ocellis
Tuo nomine te, nec alter illi
Erit carior; hinc ſenex habebit

Maxi-

Maximam mihi gratiam, ipſe, quidquid
Tibi debeo, perſolutum abunde
Arbitraberis, & ſimul putabis
Me tuum inſuper eſſe creditorem.

XLIII.

AD MARIUM GALEOTAM.

TU ne, docte Mari, tuo ſodali
Potes conſulere, ut ſuas ineptas
Nugas edat, & ora per virorum
Vagari ſinat? Actio ne veſtro
Me contendere vis? ego, inquam, amice,
Poſtquam is carmina tam venuſta, tamque
Polita edidit, audeam libellos
Meos edere? nonne, quæſo, id eſſet,
Olori obſtrepere anſerem? ſit ergo
Satis, ſi tibi, candidiſque amicis
Luſus putidulæ meæ Camœnæ
Oſtendo. nihil eſt mihi timendum,
Dum ſeſe meaſ continet Camœna
Iſtis finibus: at venire in ora
Si vulgi audeat, ah nimis miſellum
Tuum Flaminium! boni poetæ
Quem Aquinum, Bavium, & ſui venenum
Sæcli, atque opprobrium eſſe prædicabunt.

XLIV.

AD BLOSIUM PALLADIUM.

LEporum pater & facetiarum,
Bloſi candide, cernis, ut profundum
Tuis hendecaſyllabis jocoſis
Veternum excutias meæ Camœnæ?
Quæ jam dedidicit loqui Latine;
Et pedes reperire, queis venuſti
Currunt verſiculi, ſonoſque dulces
Portant auribus eruditiorum.
At tu quidquid id eſt ineptiarum,
Quod mitto tibi, per tuam Turundam,
Per ſales, joca, tinnulos cachinnos
Feſtivæ comites dicacitatis,
Per tuos, precor, Atticos lepores,
Ne prodire ſinas in ora vulgi,
Jucunde, unanimis, venuſte amice

XLV.

X L V.

AD LUDOVICUM CANOSSAM.

ROgas ut veniam, Canoſſa, ad agri
Tui delicias, & eleganter
Deſcribis mihi prata, villam, & hortos,
Et fontem, & fluvium, nemuſque opacum.
Hæc ſunt maxima, maximeque poſſint
Quemvis allicere: at nihil profecto
Me tuo magis allicit lepore,
Et tua bonitate ſingulari;
Queis ita afficior, patrone magne,
Ut tunc denique vita cara, dulcis,
Vitalis mihi ſit, tuis adeſſe,
Cum poſſum alloquiis, daturque tecum
Cœnare, & legere, & deambulare.
Ergo, ſi mihi di favent, omiſſis
Curis omnibus ad tuum volabo
Garzianum, ubi primum amabilis lux
Rebus reddere cœperit colorem
Die poſtero. interim valebis.

X L V I.

AD FABRITIUM BRANCUTIUM.

FAbriti optime, qui manu eleganti
Scribis carmina, quæ Camœna dictat
Singulis mihi noctibus, quietem
Dum terris ſopor irrigat, quid ipſe
Quid pro te faciam? Deos rogabo,
Ut qui carior eſt tuis ocellis
Tibi Tullius, is ſuum in loquendo
Leporem, ingeniumque, copiamque
Inſpiret tibi, nobilemque, & illam
Scribendi variam optimamque formam
Det effingere ſic, ut eſſe cunctis
Tullius videare, Tullianus
Qui jure omnibus eſſe nunc videris.

XLVII.

XLVII.

AD HIERONYMUM PONTANUM.

QUod, Hieronyme, patriis ab oris,
Cornelique Foro procul remotus,
Nunc urbem maris incolo Hadriani
Reginam, modo Romuli ſuperbas
Arces præfero, vel venuſta rura
Caſertæ, nihil eſt profecto, cur me
Amantem patriæ parum arbitrere.
Ante urbes alias, & ante me ipſum
Illam ſemper amavi, & uſque amabo,
Dum ſenſum mihi cælites amandi
Concedent. itaque ipſa magnitudo
Amoris facit, ut carere malim
Optata genitrice, quam videre
Illam armis, odiiſque ſævientum
Natorum laniatam. Acerba fata
Cives præcipites agunt, nec ulla
Tangit cura parentis efferatas
Mentes. cur igitur colam paternos
Lares? num ut videam meis ocellis
Vias ſanguine civium meorum
Manantes, & ubique tecta ſævo
Igne ardentia? quin meas ad aures
Nefanda hæc ſcelera impiæque cædes
Quando perveniunt, abire ad Indos,
Et ultra Oceanum opto, quo nec ipſum
Nomen dulce mihi, ſimulque amarum
Corneli penetret Fori, nec ulla
Ruentis patriæ venire poſſit
Fama, quæ mihi ſic acerba, ſic eſt
Tætra, atque horribilis, Deos ut hercle
Noctes, atque dies rogare pergam,
Vel ſervent patriam meam, vel ipſi
Dent mihi ſubita perire morte.

XLVIII.

AD VINCENTIUM GERIUM.

ERgo, candide Geri, abire certum eſt?
Tu ne, quem mihi luce cariorem
Fecerunt lepidi, bonique mores,

Abi-

Abibis procul, & procul manebis
Semper? o mihi rem gravem, atque acerbam!
Cur, ah cur, ſuperi, meos amicos
Aut exſtinguitis, aut meis ocellis
Vivos ſurripitis? perire malim
Profectò, mala quam videre tanta.
I felix tamen, i, venuſte Geri,
Et ſolare tuam bonam parentem,
Quæ deſiderio tui miſella
Tabeſcit; nimium diu miſella
Caret deliciis ſuis, facitque
Vota vix numeranda pro cupito
Filii reditu. Sed, o tenella
Mater, flebilibus modum querelis
Pone; jam venit, en venit venuſtus
Ad te filius, atque eum venuſtæ
Virgini ſociabis, & venuſtam
Videbis ſobolem brevi, & juvabit
Sæpe dicere balba verba parvis
Anum cum pueris, puellulisque;
Et cum venerit hora jam ſuprema,
In nati gremio beata vitam
Finies, ſatis & ſuper nepotum
In turba numeroſa adhuc ſuperſtes.

XLIX.

AD M. ANTONIUM FAITAM,

De Morte Victoriæ Columnæ.

MARCE, cui citharam dedit canorus
Apollo, citharam cape, aureumque
Plectrum, & Flaminii tui dolorem
Leva, quem capit ex ſuæ Columnæ
Acerbo interitu. Hei mihi, Columna,
Omnes lætitias meas ad unam
Exſtincti moriens! Columna, morte
Tua, reddita vita leto amaro
Mihi triſtior eſt; nec ulla cordi
Jam quies datur, ex quo acerba fata
Te mihi eripuere, o mearum
Curarum requies, tuo licebat
Dum ſermone frui, tuiſque ſanctis
Ægram colloquiis levare mentem!

At

At tu, candide Marce, ſi qua noſtri
Tangit cura animum tuum, experire,
Num cantu citharæ tuæ ſonoræ
Infandos animi mei dolores
Temperare queas. amice dulcis,
Paulliſper recrea miſellum amicum;
Sic Phœbus pater, & novem ſorores
Ament te mage quam ſuos ocellos:
Sic cedat tibi magnus ille Arion,
Omni Nereidum choro ſtupente,
Quem piſces placido tulere ponto
Curva ad littora Tænari canentem
Lyra carmina eburnea, furentes
Quæ maris requieſcere procellas,
Et duros ſcopulos movere poſſent.

L.

AD TRIPHONEM BENTIUM.

O Dentatior & lupis, & apris,
Et ſetoſior hirco olente, & idem
Tamen deliciæ novem dearum,
Quæ ſilvam Aoniam colunt, & idem
Amores boni Apollinis, quot, oro,
Epigrammata poſt meum receſſum
Dictarunt, bone Benti, & iſte, & illæ
Suis deliciis, amoribuſque?
Nam quidam meus, & tuus ſodalis
Tridento veniens, ait trecenta
Te vel plura Epigrammata incitatum
Pluſquam Pierio furore nuper
Effudiſſe, quibus vel ipſe cedat
Meus Naugerius, meuſque Bembus.
Quæ ſi ſunt mihi nuntiata vere,
Plurimum tibi gratulor: ſed idem
Iraſcor tibi non minus, quod iſthæc
Celas Flaminium. ſed heus amice
Num reddit furor iſte te ſuperbum? &
Nos vates minimi videmur eſſe
Indigni, quibus hæc legenda mittas?
Sed contra, furioſe, ſic habeto:
Muſarum furor haud facit ſuperbum,
Sed comem, & facilem. vide ergo, Benti,

Ne tuus furor iſte ſit cerebri,
Qui feros facit & malos poetas.

L I.

AD HIERONYMUM FRACASTORIUM.

FRaſtori venerande, cui medendi
Uſum pulcher Apollo, carminiſque
Artem donat habere, nonne cernis,
Tuum Flaminium perire dira
Tabe? non recreat cibus miſellum;
Non grata vigiles quiete ocelli
Teguntur: macie vides ſuprema
Corpus confici, ut umbra inanis eſſe
Jam plane videar; modiſque miris
Pallor occupat ora; languidoſque
Artus vix traho; nec juvare poſſunt
Dulci carmine candidæ Camœnæ,
Nec blando alloquio boni ſodales:
Ipſa ſed mihi lux amara, & atræ
Noctis tempora ſunt amariora
Felle, & Theſſaliæ malis venenis.
At tu, candide amice, vel ſodali
Fer tuo auxilium, vel ipſa morbi
Si vis tabifici recepta venis,
Humanis opibus, magiſtræ & arti
Neſcit cedere, carminum tuorum
Lepore advoca Apollinem, rogaque,
Ne prima miſerum ſinat juventa
Tam crudeliter interire. cur ah
Cultorem patitur ſuum ſub ipſo
Flore ætatis abire mœſtum ad umbras
Pallentes Erebi? quid ergo prodeſt
Ipſi, & Aoniis ſuis puellis
Cuncta poſt habuiſſe? quidve prodeſt
Vita puriter acta? nunc miſello
Nunc o ſubvenias, Apollo ſancte,
Et preces teneri tui poetæ
Audi dexter. opaca ſive Cynthi
Umbra, ſive Heliconii receſſus
Te teneat nemora aureo ſonantem
Plectro carmina, quæ beata lauri
Diſcit ſilva, ades o Deum voluptas,

Ades numine dextro, & imminentem
Orcum jam capiti meo repelle;
Ut Fraſtorius ob ſuum ſodalem
Salvum, & incolumen tibi rependat
Mille carmina, te canens, tuamque
Matrem, & virgineos tuæ ſororis
Mores, & ſtudia, & pharetram, & arcum, &
Currum noctivagum aurea inter aſtra,
Quo ſe candida diva fert Olympi
Per campos, lavis ipſe cum rubente
Feſſas Oceano tuas quadrigas.

L I I.

AD HIPPOLYTUM ATESTINUM
CARDINALEM.

CLara ſemideum propago avorum,
Romani decus inclytum Senatus
O ſi præteritam mihi juventam
Di magni referant, oloris inſtar
Cum vox dulce ſonans fluebat ore
Gaudens Æolio ſacrare verſu
Heroum benefacta, non mehercle
Indictas finerem tuas canendo
Laudes: te mea Muſa dulcis omnes
Ferret per populos, tuumque nomen
Aſtris inſereret. ſed alba utriſque
Serpens temporibus ſenecta cantum
Abſtulit mihi, ſpiritumque, Phœbi
Munus, in vacuas fugavit auras.
Quare ne tenuem tuos honores
Jam factus nimium malus poeta,
Illos ſuſpiciam, pater, ſilendo.

L I I I.

AD LÆLIUM, ET HIPPOLYTUM
Fratres Capilupos.

FRatres optimi, & optimi poetæ,
Nec minus boni amici, & iidem amati
Oh mores lepidos, & elegantes
Amicis mage, quam ſuas puellas
Laſcivi juvenes amant, quid, oro,

Quid

Quidnam conſilii datis? ſolemus,
Ut ſit, ludere verſibus, remiſſo
Nonnumquam ſtudio ſeveriore.
Hos verſus alii probant, eoſdem
Improbant alii: ipſe, utris habenda
Fides, neſcio; ſed fidele veſtrum
Sequar conſilium, boni ſodales,
Quos docti merito hujus eruditi
Ævi Quintilios ſolent vocare.
Ergo mitto mearum ineptiarum
Partem: vos legite, atque utrum relinquam
Hoc ludi genus, an ſequar, monete.

M. ANTONII
FLAMINII
CARMINUM
LIBER SEXTUS
AD ALEXANDRUM FARNESIUM
CARDINALEM.

I.

FArneſi inclite, forſitan videbor
Jure ſtultus, ineptus, impudenſque,
Auſim qui tibi ſemper occupato
Meis verſiculis moleſtus eſſe.
Verum ad jugera multa, quæ dediſti
Agri fertilis, id mihi, patrone
Magne, addas, rogo, munus, ut puſillum
Hoc meæ pietatis, atque amoris
Pignus accipias. neque eſſe poſſum
Ingratus, neque di boni dederunt,
Ut poſſem meliuſve, apertiuſve
Id oſtendere, quam tibi libellum
Hunc ſi mitterem. id ipſe ne recuſa
Boni conſulere, & tuum clientem
Perge, ut hactenus, obſecro, tueri.

I I.

AD MUSAS.

UNde hic tam novus advenit
Ardor? quove mihi mens trepidans abit?
Jam jam mœnia Romuli,
Et cœtus hominum linquere geſtio.
En dulcis Polyhymnia
Pheboeos iterum me rapit ad ſpecus,
Et pulſare jubet diu
Deſuetam Æolio pectine barbiton.
Ut fontes mihi Theſpios,
Et Cirrhea libet antra reviſere,
Silvamque Aoniam, pater
Quam Phœbus tenet,ac virgineus chorus
Nympharum, citharæ quibus,
Et permixta placent carmina tibiis!
O dextro mihi numine
Adſitis, ſuperum deliciæ! haud ego
Iram fortis Achillei,
Vel Grajis jaculantem Hectora puppibus
Ignem, aut terrigenum impia
Titanum cupio dicere prœlia:
Farneſi decus inclyti
Alis Pindarici tollere carminis
Ad cæli vaga ſidera
Fas ſit, Pierides: tunc licet ultima
Parcæ fila legant mihi,
Vivet nemo mea ſorte beatior.

I I I.

AD STEPHANUM SAULIUM, *ET ULISSEM BASSIANUM.*

SAULI candide, tuque Baſſiane
Mi dulciſſime, numquid, oro, ſcitis
Veſtrum Flaminium repente factum
Ditem jugera magna poſſidere
Agri fertilis, & domum venuſtam
Divini juvenis benignitate?
Me Farneſius inclytus beavit,
Et muſas colere otiumque dulce

Juſ.

Juſſit. quas igitur referre grates
Dignas, quas agere, aut habere poſſim?
Nullas ſcilicet. at licebit hercle
Virtuteſque tuas, tuaſque laudes,
Farneſi venerande, prædicare.
Quod ſi det mihi ſpiritum benignus
Pater Caſtalii chori, & canenti
Vires ſufficiat, profecto vives
Semper in lepidis meis libellis,
Dum vivent monumenta litterarum.

I V.

DE SAXIS ROMÆ NUPER REPERTIS.

HÆc ſaxa publicis notata litteris,
Quibus triumphi conſuleſque origine
Ab ultima indicantur ad noviſſimam
Octaviani Cæſaris diem, tibi
Farneſius Alexander e Fori eruta
Altis ruinis, magna Roma, dedicat,
Ut ſint decuſque, civiumque acerrima
Ad æmulandam gloriam incitatio.

V.

DE LIBERALITATE ALEXANDRI FARNESII CARD.

DIlectus Phœbo, & Muſis, ſed pauper ſolas,
Et ſemper domini paſcere ſuetus oves,
Nunc dives pecoris Farneſi munere factus,
Factus & illius munere dives agri,
Divino juveni meritis pro talibus ipſam
Et vocem, & calamos, ingeniumque dicat.

V I.

AD AGELLUM SUUM.

UMbriferæ platani, & formoſæ cypariſſi,
Antraque muſcoſis roſcida pumicibus,
Non mea vos Nymphas reſonare docebit avena
Amplius: ad cantum me vocat alter amor.
Farneſi virtus mihi dulcem in pectore flammam
Suſcitat: hunc ignem dulcis avena canet.

Vos nomen juvenis divini diſcite: laudes
Semper & illius, pulcher agelle, ſona.

V I I.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM.

FArneſi, nomenque tuum, laudeſque ſonabit
Hoc nemus, & culti vallis amœna ſoli,
Dum potero meminiſſe, tuo quod munere dives
Muſas, & Muſis otia grata colo.

V I I I.

AD EUMDEM.

HAs tibi odoratas, Farneſi magne, corollas
Mittit ab Aonio candida Muſa jugo,
Quod carum Nymphis tua virtus ditat Iolam
Reſtituens patrii dulcia rura ſoli.
Hæc cape nunc, majora dehinc habiturus: Iolæ
Tu modo præſenti numine ſemper ades.

I X.

AD EUMDEM.

PAuperies, hominum fera peſtis, & ira deorum,
Excruciare malos nata, bonoſque ſimul,
Quære alias ſedes; nam te Farneſius heros
Amplius in noſtra non ſinit eſſe domo.
Ecce venit properans pleno lætiſſima cornu
Copia, quam ſequitur dulcis & alma Quies.
Illa timere famem diram vetat: altera mandat,
Ut Phœbo, & Muſis otia digna colam.
Magnus Alexander, magna hæc qui donat habere,
Jure mihi magni numinis inſtar erit.

X.

AD EUMDEM.

NE mea, Farneſi, properent ad carmina Nymphæ,
Neve meas curet Pan Tegeæus oves,
Si mea te præter cantabit fiſtula quemquam,
Si mihi non magni numinis inſtar eris.
Et merito; mihi ſolus enim facis otia, ſolus
Triſtitiam longe, pauperiemque fugas.

XI.

X I.

AD BERNARDINUM MAPHÆUM.

POne modum, Maphæ, tuis hortatibus, & me
Scribendi finem jam ſinito facere.
Non ego ſum Muſis inimicus: ſemper amavi
Hæc ſtudia, & magno ſemper amore colam;
Sed veluti ſolitus curſu prævertere ventos,
Atque referre domum præmia fortis equus
Deficit, infirmæ cum ſenſit damna ſenectæ,
Et genua amiſſis viribus ægra trahit:
Sic ego, qui doctis ſolitus certare poetis
Dulcia Muſarum præmia ſæpe tuli,
Nunc feſſus jaceo morbo gravis, & gravis annis;
Ad bona nec vires carmina ſufficiunt.
Hæc eſt ingrati juſtiſſima cauſſa ſilenti,
Hoc, Maphæ, mihi nomine danda quies.

X I I.

AD HIERONYMUM SAULIUM

Pontificem Bari.

SI quid de Stephano tuo, patrone
Dulcis, eſt tibi nuntiatum, id oro
Ne celaveris. an febri laborat
Ille, ut rumor ait, procul paterna
Domo, affinibus, & bonis amicis?
O Deus mihi ſi quis addat alas,
Ut volem citus ultimas ad oras
Galliæ, quibus is jacere fertur,
Ipſi ego omnia fratris, & parentis
Præſtarem officia; & juvaret una
Mori & vivere. nam quid eſſe gratum
Queat te ſine, amice amate nobis,
Quantum vix Pylades Oreſtem amavit?
Sed quidquid metuo, ferant procellæ
Ad Parthos, Arabaſque; tuque Sauli
Alterum Genuæ decus, clientem
Bonum ſi quid amas, tuis jubeto,
Quidquid de patruele nuntiatur,
Id dicant mihi. ſic ſuperba Roma
Jam ſolvat tibi debitos honores.

XIII.

AD MATTHÆUM DANDULUM.

CAre Dandule, quid moraris? æſtas
Maturare jubet propinqua: verum
Ni fallor, tibi Paulla dulcis uxor
Has moras facit. heu miſella! ſolam
Domi te ne manere? te videbit
Numquam Sol oriens cadenſve lætam,
Dum conjux aberit cupitus; & cum
Laſſulam excipiet torus, doloris
Non lenimen erit, ſed uſque amaris
Ille lacrimulis tuis madeſcet.
Sic flet turtur, acuta cui tenellum
Comparem abſtulit aucupis ſagitta.
Sed tu deſine flere; non maritus
Trans alpes graditur feras, ut olim,
Sed Tuſcum Tiberim, & beata Romæ
Viſet mœnia miſſus a potente
Orator patria. hic ſalubre cælum,
Hic eſt maxima civium ſuorum
Semper copia, & hinc tribus diebus
Ad te, ſi velit, is redire poſſit.
Quare ſis animo bono, atque euntem
Fauſto proſequere omine, & rogato
Votis aſſiduis Deum, benignus
Ut ſalvum tibi conjugem reducat.

XIV.

AD DONATUM RULLUM.

QUid, o Rulle, ſodalium tuorum
Spem ludis toties? ego, Priulus,
Stella, Parpaliaſque, Madiuſque,
Omnes denique te putaveramus
Danduli comitem eſſe, ut ambo eratis
Nuper polliciti: ſed ille cum te
Non adduxerit, haud profecto ſcimus,
Plus ne lætitiæ, an doloris ejus
Adventus ferat. illum adeſſe multum
Lætamur; ſed abeſſe te dolemus
Tantum, ut gaudia diluantur ipſa
Valde triſtitia. veni ergo tandem,

Rul-

Rulle care, cupite, noſque amicos
Mærentes hilara tuo lepore;
Quodque ab officio lucratus es jam
Cognomen tibi pluris æſtimandum
Theſauris Arabum, Indiæque gemmis,
Id tu ſi retinere vis, amice,
Cave, durus, & aſper eſſe pergas.

X V.

AD ULYSSEM BASSIANUM.

Ergo, candide Baſſiane, vivis?
O cara mihi carior ſalute,
Jucundiſſime Baſſiane, vivis?
Dulcis littera, litteris notanda
Aureis, mihi nuntias ne vere
Meum vivere Baſſianum? at illum
Rumor dixerat eſſe jam ſepultum.
Rumor peſſime, pæne me ſepulcro
Dediſti mala tanta nuntiando.
O factum bene! Baſſianus ille
Phœbi deliciæ, perire numquam
Dignus, en ſuperum benignitate
Vivit. Flaminio tuo ſuperſtes
Vivas o utinam, venuſte amice;
Nec de te mihi fama tale quidquam
Poſthac nuntiet. ipſe vitam in iſtam
Veni te prius, hinc prius recedam.
Te ſpectem moriens: meos tu ocellos
Cara claude manu; piis ſepulcrum
Humecta lacrimis; diuque vive
Te ſuperſtite, Baſſiane care,
Non omnis moriar, meique magna
Pars vivet, mihi crede, adhuc ſuperſtes.

X V I.

AD JOANNEM BAPTISTAM PHILIARCUM.

Dic oro, Philiarche mi, virorum,
Quotquot Tuſcia vel tulit, feretve
Candidiſſime, num domus paterna,

Et domeſtica gaudia, & tuorum
Aſpectus tibi profuere tantum,
Ut illa aſſidua, & perieuloſa
Deſtillatio ceſſerit? fuerunt
Sæpe lætitiæ fugare morbos
Longe fortius arte, quam ſaluber
Phœbus inſtituiſſe, filiuſque
Phœbi dicitur. hoc tibi ſecundus
Si Deus dedit, o nimis beatum
Sodalem tuum, & o nimis benignum
Tuo Flaminio Deum! profecto
Nil mihi poterat mage expetitum
Votis omnibus evenire; non ſi
Frater deliciæ meæ relicto
Sepulcro ad ſuperas rediſſet auras.

XVII.

AD LUDOVICUM BECCATELLUM.

NE vivam, bone Ludovice, ni me
Et mei miſerer tuique; nam quis
Deus, vel mala ſors utrumque ſemper
Captivum tenet Urbis in tumultu?
Si nos ambitio, pecuniæve
Augendæ premeret ſitis, tacerem:
Sed cum divitiis honoribuſque
Magnis otia præferamus, ah cur
Romam præferimus meo Lavino,
Albinoque tuo? O venuſti agelli
Muſarum domus, & quies laborum,
Tam longe mihi vita num manebit,
Ut meos ſatiare poſſim ocellos
Veſtro dulci, & amabili decore?
O tandem placida, & beata rura,
Nos carum accipite in ſinum; nec ulla
Vis avellere poſſit. hic & hædo,
Et pomis, oleaque, penſilique
Uva nos alite, & ſimul ſupremum
Tempus venerit, oſſa ſub virenti
Lauru condite, qua fugit per herbas
Suavem rivulus excitans ſuſurrum.

XVIII.

XVIII.

AD HERCULEM SEVEROLUM.

HErculi, mea muſa, fer ſodali
Hæc bono bona dicta, quod Favoni
Jam tepor rediit, tulitque ſecum
Dulcis tempora veris. urbe Roma
Tuus Flaminius relicta agellos
Suos viſere cogitat, paterna
Quos domus tua cernit: ipſe vero
Quid tandem facies? tumultu in iſto
Nimirum remanebis, & clientum
Magnis agminibus premere ſemper.
O tandem ſapias tibi, tuæque
Vitæ conſule. non vides, ut ætas
Labitur fluvii rapacis inſtar,
Quem nives aluere? quid laboras
Ergo divitias parare inanes?
Cum tantum patrimonii relictum
A tuo tibi ſit parente, quantum
Eſt ſatis; ſine vulgus imperitum
Falſa imagine ludi: at ipſe, mentem
Cui Deus dedit expolire pulchris
Artibus, patriam reviſe caram,
Fratremque unanimem, bonoſque amicos;
Et dulci fruere otio, libellis
Patvis Virgiliique, Tulliique
Mutans magna volumina illa legum,
Quæ laſſare valent feros gigantes,
Et vires adamante firmiores.

XIX.

AD FABRITIUM BRANCUTIUM.

O Diem niveum, & nimis beatum,
Quo tam ſuaviter, atque delicate
Simul viximus, o venuſte amice,
Dum curis procul omnibus fugatis
Dulci colloquio, facetiiſque
Horas fallimus! hoc modo poetæ
Ferunt Elyſiis pios viretis
Ævum degere, Di boni, ac benigni,
Vos opes aliis date atque honores:

Nobis aſſidue videre lucem
Heſternæ ſimilem, eſt ſatis, ſuperque.

X X.

AD JO: FRANCISCUM CASERTAM

De Urbis Caſertæ agro.

QUid tantis precibus, Caſerta, carum
Vocas Flaminium Caſertæ ad agros?
Te deſiderium quidem fruendi
Mei ſollicitat; ſed ipſe tanto
Magis te cupio videre, quanto
Es me amabilior. quid? iſta veſtra
Tam felicia, tam venuſta rura
Quem non alliciant ſuo lepore?
Adde quod mihi reddidere vitam,
Cum vis tabifica intimis medullis
Serpens, lurida membra devoraret.
Iſtic & mihi Muſa tam benigno
Semper numine favit, ut canentem
Stuperent Dryades, meumque pictis
Ornarent Satyri caput corollis.
Quæ tellus igitur tuo ſodali
Queat gratior eſſe? nulla certe.
Nec tamen venio, negotiorum
Dura compede vinctus: at venire
Cum primum dabitur, volabo, teque
Reviſam & tua rura, amice dulcis,
Non minus cupide, ſuam puellam
Quam viſit juvenis, locum in remotum
Quem coegerat ire vis paterna,
Si qua forte revinctam amore mentem
Poſſet ſolvere filii furentis.

X X I.

AD SEBASTIANUM CORADUM.

JAmpridem Stephanus Columna, princeps
Clarus militiæ, domique, doctum
Quærit filiolis ſuis magiſtrum,
Nec doctum modo, ſed pium, & venuſtis
Cultum moribus. hic labore parvo
Non parvum faciet lucrum; quotannis
Nam ſeſtertia quina conſequetur,
Patronumque ſibi parabit auri
Magno pondere pluris æſtimandum. Hunc

Hunc tu ſi potes invenire, ad Urbem
Statim mitte. peritus, eleganſque,
Et vir non malus ille ſit, neceſſe eſt,
Quem tu judicio tuo polito,
Vir doctiſſime & optime, approbaris.

X X I I.

AD LAURENTIUM GAMMARUM.

QUod numen male amicum, amice care,
Hanc mentem tibi miſit, ut relicta
Roma, frigore ſæviente adires
Ad gentem horribilem, trucemque? tu ne
Vates candide, cui Marone digna
Phœbus ſcribere donat, efferata
Iſta in Barbaria morare? quis jam
Neget ſidera celſa poſſe Olympo
Labi Tartara in ima? at inſcientem
Ne malus male perdat error; audi
Quid Phœbus pater, & novem Camœnæ
Prædicant tibi: Si manere pergis
Iſtic, ex lepido, & bono poeta
Fies Mævius; & tuos libellos
Vitabit lue pejus & veneno
Quidquid eſt hominum elegantiorum.

X X I I I.

AD BARTHOLOMÆUM RICCIUM.

AH jam rumpe ſilentium, jocoſe
Olim, nunc nimium ſevere Ricci.
Num tu ſic veterum flagras amore,
Ut Tulli puta Cæſariſque, vivos
Ut jam pro nihilo putes amicos?
At hoc Tullius improbat, jubetque
Te ſui cupidos habere caros,
Nec ſolum cupidos ſui, ſed omnes
Quos virtus aliqua, probique mores
Adjunxere tibi. Sed heus, amice,
Quid rerum geritur? notare pergin
Quidquid ad proprie, eleganter, apte
Loquendum valet? id beare lingua
Nos prædivite, id eſt Latinitati
Suos reddere priſtinos honores.

Quare per Ciceronis, & Terenti
Manes te rogo, perge, finibuſque
Pelle barbariem Italis, Latinæ
Linguæ te veneremur ut patronum.

X X I V.
AD PETRUM MYRTEUM.

TE conſanguineum meum eſſe jactas,
Et hoc nomine gratiam aucuparis
Per urbes Italas; meique amici
Dant tibi hoſpitium, pecuniamque,
Quam ſtatim male diſſipas. ſed audi,
Mendax Myrtee, cujus & parentes
Ignoro, & patriam, genuſque; ſi tu
Vir frugi incipis eſſe temperanſque,
Quin fias mihi filius, nepoſve
Non recuſo equidem: ſed eſſe pergis
Si nequam, & balatro impudens, caveto,
Auſis dicere te meum propinquum,
Næ læſa patientia furentem
Camœnam experiare. num ferendum eſt,
Falſo nomine te propinquitatis
Meæ ad flagitia, & dolos abuti?

X X V.
AD ALEXANDRUM PICCOLOMINEUM.

O Si dent mihi cælites, ut, ante
Hora quam veniat ſuprema, vere
Fiam talis, amice, qualis a te
Pulchro carmina pingor! eſſe talis
Et certe cupio, & laboro: verum
Ad hanc uſque diem meo labore
Nihil proficio. timor, cupido,
Cordis gaudia vana, itemque vani
Dolores magis in dies, & horas
Mentem ſollicitant miſellam. in alto
Sic Notus, Boreaſque ſæva quondam
Miſcent prœlia. At ipſe fluctuantem
Tranquilla, ſapientiæ ſerenans
Cor meum monitis, quibus Lycei
Magiſter nitidi tuum replevit
Ob id pectus, ut ipſe mente ſana
Ægrotis animis queas mederi.

X X V I.

AD AUGUSTUM COCCEJANUM.

SIc te, candide amice, nullus umquam
Cæleſti Sophiæ, patrique Phœbo
Poſſit carior eſſe, dic amabo
Num vere mihi dixit Hadrianus,
Te deſcribere, quidquid ipſe ludo
Molli carmine per jocum, atque riſum?
Hoc tu ſi facis, o nimis beatam
Muſam Flaminii? graves, potervi,
Mordaces critici, venena dentis
Veſtri nil metuo; quod approbarit
Auguſtus meus, id probent, neceſſe eſt,
Et Phœbus pater, & novem Camœnæ.

X X V I I.

AD FERNANDUM TORREM.

FErnande optime, noſter hic libellus
Jamdudum cupit ad tuos penates
Ire, quod ſoleat favere nemo,
Ut tu, verſiculis meis, eoſque
Tantis tollere laudibus: ſed hercle
Si rem judicio tuo eleganti
Aptam vis gerere, arrogantis hujus
Spem falles, calami notans littura
Severe omnia, quæ minus Latine,
Aut garrire putabis infacete
Muſam putidulam tui ſodalis,
Qui te non minus ac ſuas medullas
Propter eximium tuum leporem
Amat; ſed tamen addet huic amori
Ingentem cumulum, ſuum libellum
Si tractaveris ut ſupra rogavit.

X X V I I I.

AD CAMILLUM RASTELLUM.

QUis hæc carmina tam venuſta donat
Tibi ſcribere? non magiſtra certe
Ars tantum valet; & juventa molli
Vix lanugine veſtit ora. Phœbus

Ergo

Ergo Phœbus, amabili lepore
Tuo captus, habere dat poetæ
Nomen, numine te, Camille, dulci
Afflans. ſic Maro, ſic tuus Tibullus
Ludebant pueri ſuis Camœnis
Olim carmina digna: ſic & Orpheus
Vix primam attigerat tener juventam,
Cum docta fide rivulos morantem
Viderunt Dryades, ſimulque myrtos
Formoſi pueri lyram ſequentes;
Qua poſt & rigidas agebat ornos,
Et fugam volucris tenebat Hebri.
Ergo tu quoque perge; creſcet ætas,
Phœbi creſcet amor, bonique vires
Creſcent ingenii, tuumque fama
Nomen inſeret optimis poetis.

XXIX.

AD FRANCISCUM ROBERTELLUM.

GRatulor, tua vota liberales
Audiviſſe Deos: in urbe vives,
Qua nullam neque terra pulchriorem
Nec latum mare fert. docebis illic
Prolem nobilium, vetuſta quidquid
Servant Græca volumina, & Latina
Scriptum puriter, eleganter, apte.
At Canicula cum furit, relicta
Urbe quam mare cingit, ad liquentem
Meſulum properabis, ut tepore
Veris perpetuo fruare. Sicus,
Elegans juvenis, domo venuſta
Te lætum excipiet libens. ſed ædes
Tui Flaminii ſimul videbis,
Flens dices, Mihi carior medullis
Meis candide Marce, quid morari
Gaudes tam procul a domo paterna?
Non te nutriit hic tenella mater?
Non hanc ludere per viam ſolebas
Puer cum pueris? quid ergo dura
Caute durior hinc abes tot annos?
Si quis te Deus huc repente ſiſtat,

O quæ gaudia, qui forent utrimque
Sermones! age mitte jam querelas,
Robertelli; aderit volens, nec a te
Latum Flaminius recedet unguem,
Dum frui poterit tuo lepore.

X X X.

AD ADAMUM FUMANUM.

De obitu Violantillæ uxoris Romuli Amaſæi.

INvitus tibi dico, Adame; noſtri
Romuli periit pudica conjux,
Tam pudica, domuſque tam regendæ
Sciens, tam ſobolis ferax venuſtæ,
Quam facundus, & artium eſt bonarum
Doctus, qui fuit illius maritus.
Hoc docente bonus poeta factus,
Oratorque bonus, bonum magiſtrum
Conſoleris oportet & ſoluto,
Et juncto pede. ſic levabis ægram
Mentem illius, & eloquentis ipſe
Et pii ſimul aſſequere nomen.

X X X I.

AD MARIUM SAVORNIANUM.

MArtis deliciæ, Minervæ amores,
Mari candide, peſſimus poeta,
Sed vir ſat bonus, ut reor, tuoque
Non indignus amore, amoris ardens
Flamma ob mirificum tuum leporem,
Cui cedunt reliqui omnium lepores,
A tua petit hoc benignitate,
Non parem ut tribuas amorem amanti,
Sed ut te patiare amari ab ipſo,
Quanto maximo amore ab ullo amari
Poteſt, qui ſit amore ſummo amandus.

X X X I I.

AD FRANCISCUM TORELLUM.

O Flos candide Galliæ Togatæ,
Ante annos animum gerens virilem,
Quid, ah quid juvat Urbe abeſſe? qua Sol

Nihil

Nihil nobilius videbat olim,
Ned idem videt, aut videbit umquam,
Toto quod queat orbe comparari.
Hæc te nutriit, hæc domo paterna
Tibi carior eſſe debet; ipſa
Nam te ſola capit, tuæque geſtit
Virtuti dare debitos honores.
Quare, ſi ſapis, advola, & cupito
Nos omnes hilara, Torelle, vultu.

XXXIII.

AD MARCELLUM CERVINUM, ET FRANCISCUM SFONDRATUM *CARDINALES.*

Quod Faernum, hominem bonum, atque doctum
Amo non ſecus atque memetipſum,
Ejus gaudeo commodis perinde
Ac meis propriis: quod ergo per vos
Summo a principe conſecutus ille eſt
Quidquid ad bene, commodeque agendam
Vitam optabat, id hercule obligavit
Me vobis ita, candidi patroni,
Ut devinctior eſſe nemo poſſit.
At vos qua pietate jam tueri
Cœpiſtis lepidum meum ſodalem,
Eadem pietate, firma ut hæc ſint
Et perennia dona, providete.

XXXIV.

AD BERNARDINUM MAPHÆUM. *CARDINALEM.*

Quantum gaudet amans, ſuæ puellæ
Caſto conjugio potitus; æger
Quantum geſtit ab imminente fato
Ereptus ſubita medentis arte;
Tantum Flaminius cliens galero
Gaudet purpureo, Maphæe, ſumma
Quem virtus tibi tradidit; Deumque
Votis omnibus orat, ampliorem
Ut tibi ferat hic honos honorem.

XXXV.

X X X V.

AD PETRUM CARNESECUM DE MARGARITA HENRICI Gallorum Regis Sorore.

O Felix mea ter, quaterque Muſa,
Cujus verſiculos puella Regis
Maximi ſoror, utriuſque linguæ
Peritiſſima, cantat! hoc beato
Nuntio ſuper alta ſuſtuliſti
Cæli ſidera, Carneſece, carum,
Vetuſtum, unanimem tuum ſodalem.
I nunc, peſſime livor, i, libellos
Meos carpere perge; Margarita
Dum me judicio ſuo tuetur,
Vos tantum & maledicta veſtra curo,
Mordaces critici, Libyſſa quantum
Latrantis catuli leæna vocem.

X X X V I.

AD ALBERTUM LINUM.

QUod petis, Line mi venuſte, carmen,
Id feci lateris dolore preſſus;
Non captans hominum eruditiorum
Plauſus, ſed venerans Deum, eleganter
Qui dictum putat eſſe, quidquid ore
Pio dicitur. hoc tibi ſequendum
Prudens judicium: at ſequi ſuperbos
Si mavis criticos, inelegantes
Verſus, quos tibi mitto, non legendi.

X X X V I I.

AD ALOYSIUM PRIULUM.

AH cur me lacrimis tuis, Priule
Care, conficis? hoc tuo dolore
Mors mihi fit amara, quam benigno
Deus numine donat eſſe dulcem.
Una viximus arcto amore juncti,
Qualem Sol radians ab ultimo Indo
Vix cernebat ad ultimum Britannum.

Nos

Nos unum ſtudium, una nos voluntas
Fecit unanimes. nihil placebat
Uni, quin idem amaret alter. una
Nos domus tenuit, alebat una
Menſa. lætitiæ, dolor, ſecunda,
Adverſa unius alterum movebant;
Ut numquam minus hic doleret illo,
Gauderetve. ſed hæc prius fuere:
Nunc cæli vocor ad domos beatas,
Ubi me vario labore functum
Manent gaudia ſempiterna. quare,
Si cordi tuus eſt tibi ſodalis,
Pone flebilibus modum querelis,
Et plauſu æthereas euntem ad arces
Læto proſequere, & piam labora
Vitam vivere, mox ſimul futurus.

XXXVIII.

AD RANUTIUM FARNESIUM CARD.

TU ne, Romula quem colit juventus,
Paulli maxima Tertii voluptas,
Et Grajis ſimul, & ſimul Latinis
Muſis care, meam ſalutem amore
Tanto amplecteris, ut periculoſa
Febris, & lateris mei dolores
Te ſemper crucient? miſella nato
Sic parens timet unico, fatigans
Fletu numina cuncta pro ſalute
Dulcis filioli periclitante.
Hoc pium officium, tuaſque laudes,
Si mors abſtineat manum rapacem,
Et Phœbus faveat, tegent tenebris
Nulla ſæcla. micabit omne in ævum
Farneſi decus inclytum Ranuti,
Ut pulchro radians Eous igni.

XXXIX.

AD PHILIPPUM BONUM

Pontificem Famaguſtæ.

O Qui nomine, mente, moribuſque
Es bonus, mihi quam venis cupitus!

Ut te conſpicio libenter! ut me
Morbo letifero diu gravatum
Aſpectu recreas tuo, tuiſque
Gratis alloquiis! tenella virgo
Sic florem aridulum imminente morte
Liberat, gelidum irrigans liquorem:
Sic gaudet patula viator umbra
Aquoſi nemoris, ſiticuloſa
Terra iter faciens Canis ſub ortum.
O quid carius eſt beatiuſve
Dulci amicitia? mihi periclo
Tanto evadere ſi dabunt benigni
Cælites, erit ipſa vita cara,
Ut frui liceat bonis amicis.

X L.

AD HIERONYMUM TURRIANUM
De Jo: Petro Carapha Card.

QUid piæ valeant preces, benignas
Ut Dei penetrent ſuprem i ad aures,
Diſce, candide Turriane. febris,
Et ſævus lateris dolor miſellum
Tuum Flaminium furore tanto
Invaſere, magiſtra ut ars medendi,
Et quiſquis levat ægra membra ſuccus
Cederent. capiti meo imminebat
Mors nigris tenebris operta: honorem
Supremum mihi funeris parabant;
Infandum veteris ſui clientis
Cum caſum miſeratus ille magnus
Carapha, Italiæ decus Carapha,
Ad cælum geminas manus tetendit
Multis cum lacrimis Deum ſalute
Orans de mea; & ecce acerba fugit
Febris, & lateris dolor; refectæ
Vires; & teneri mei ſodales
Cantu, & lætitia graves querelas
Mutarunt lacrimaſque. Amice dulcis,
Dic laudes ſuperum benignitati
Pro vita mihi reſtituta; & aura
Quod veſcor placita, quod alma pulchri
Solis lumina cerno, id omne magni
Acceptum precibus refer Caraphæ.

X L I.

AD SODALES SUOS.

GAudetis, teneri mei ſodales,
Me febri, & lateris dolore ſummo
Emerſiſſe; Dei ſed ipſe lætor
In primis bonitate ſingulari,
Qui mentem dederit mihi paratam
Corpus linquere, ne ſuo rebellis
Pugnarem imperio. Pater ſupreme,
Tua incepta ſecunda, & uſque eamdem
Da mentem mihi, nil velim, quod ipſe
Nolis; nil renuam, quod ipſe mandes.
Hoc unum, unanimes mei ſodales,
Hoc unum ex miſero facit beatum.

X L I I.

AD RODULPHUM PIUM CARDINALEM.

HOc eſt, magne Rodulphe, liberalem
Eſſe; dum prope januam rapacis
Orci demoror, & ſalus miſelli
Deſperata jacet, benignitate
Summa das mihi fertiles agellos,
Ut lætus moriar, meis relinquens
Tanta munera dulcibus propinquis.
Non non temporis hujus iſta virtus;
Virtus Mæonio canenda verſu,
Non meis ita deterenda nugis.

X L I I I.

AD MICHAELEM SILVIUM CARDINALEM.

O Quantum tibi debeo, benigne,
Dulcis, candide Silvi, amabiliſque
Quantum quis pote amari! acerba cum me
Febris ureret, & dolor ſiniſtri
Vexaret lateris, meo dolore
Dolebas: meus ignis in medullis
Ingentem tibi ſuſcitabat ignem.
Nec cordi data pax miſello, amara
Peſtis dum requiem mihi negavit.
O amor, pietaſque digna dici

Tuis

Tuis carminibus, poeta ſumme!
Nam mihi tenuem nimis dederunt
Muſæ ſpiritum: at eſſe mente grata
Et poſſum, & volo; quare in omne tempus
Me totum tibi dedo, magne Silvi.

XLIV.

AD FRANCISCUM SFONDRATUM CARD.

CUm noſter mihi Carolus referret,
Te dolor lateris meus dolore
Quanto affecerit; & ſalus deorum
Mihi munere reſtituta quantum
Rurſus lætitiæ ferat; profecto
Hæc tui manifeſta ſigna amoris
Tam meo cecidere grata cordi,
Ut jam letifero fuiſſe morbo
Vexatum, juvet, & recepta vita
Sit mi carior, eſſe quam ſolebat;
Nam virtus tua rara, comitaſque
Et Muſis animus dicatus almis,
Nec rebus minus acer in gerendis
Sic mentem afficiunt meoſque ſenſus,
Ut plane videar beatus eſſe,
Si tuo videor favore dignus.

XLV.

AD NICOLAUM RODULPHUM CARD.

ROdulphi, decus omnium bonarum
Artium, tibi gratias habere
Dignas Flaminius nequiret umquam;
Qui cum depoſitus jaceret, & jam
Mortis cuncta nigreſcerent tenebris,
Agri jugera magna cum venuſta
Domo ab eximia benignitate
Tua tam facile impetravit. ergo,
Quod poteſt, tibi ſe, ſuamque Muſam
Servitute pater, dicat perenni.

XLVI.

AD ANDREAM CORNELIUM CARD.

ECce Flaminium, tuum clientem,
Salvum, & incolumem, perire quem tu

Do-

Dolebas nimis intimo dolore,
Ut jam nec lacrimas tenere poſſes,
Nec dulcis tegeret quies ocellos;
Quæ tanti facio, graves labores
Ut non pœniteat ſubiſſe morbi.
Nimirum tibi ſic placere, laus eſt
Longe maxima, quem genus ſuperbum
Ornat Scipiadum, probique mores,
Et fervens amor artium bonarum, &
Sacri purpura nobilis galeri.

X L V I I.

AD NINUM AMERINUM.

QUod *Muſis*, & Apollini venuſto
Agis carmine gratias, amice,
Pro vita mihi reddita, nec alter
Eſt te lætior, haud mihi videtur
Mirum; nam pereunte me neceſſe eſt
Bonam partem animæ tuæ perire.

X L V I I I.

AD BARTHOLOMÆUM CAVALCANTEM.

MAgna pars animæ meæ, benignus
Tibi vivere ad ultimam ſenectam
Sic donet Deus, ut perire dulci
Tuo Flaminio magis moleſtum
Erat ob nimium tuum dolorem,
Quam dulcedine vitæ: & eſſe mortis
Cæco a limine reſtitutum ad alma
Solis lumina, id eſt mihi ſuave
In primis tui amore, luce cara
Cui ſum carior. Hæc, amice rerum
Jucundiſſime, veri amoris expers
Verba dixerit eſſe blandientis:
At tu nil magis credis eſſe verum,
Omnes qui ſuperas amore amantes.

X L I X.

AD LUDOVICUM BECCATELLUM.

JAm jam deſine mollibus querelis
Fatigare Deos, amice dulcis;

Nam

Nam victi citharæ tuæ canoræ
Modis flebilibus mihi negatam
Vitam reſtituere, quæ ſub imas
Jam terras fugiebat. ergo vincis
Docta Calliope fatum, miſellam
Qui fruſtra Euridicen profundo ab Orco
Ad cæli placidas vocavit oras;
Quamvis & volucres teneret Euros
Canendo, Eumenidaſque mitiores
Poſſet reddere bimulis puellis.

L.

AD DAMIANUM DAMIANIUM.

O Lux Trinacriæ feracis, ægros
Qui jam depoſitos rapacis Orci
Eripis manibus, diuque ſanos
Jubes vivere, ſi mihi dediſſet
Muſa, pro meritis tuas canendo
Laudes dicere, me beatiorem
Nullum Roma videret; & recepta
Tuo munere vita cara, longe
Mihi carior eſſet: at merenti
Cum dignas nequeam referre grates,
Quod unum ſupereſt, Deum rogabo,
Ut ſicut tibi prorogare vitam
Humano generi, unica eſt voluptas,
Sic te conjuge cum bona valentem
Sinat vivere plurimos in annos.

L I.

AD EMANUELEM CHIUM.

NEc te, candide Chie, præteribo,
Qui rurſum mihi das habere vitam
Arte Pæonia, ſalubribuſque
Succis, officioque ſingulari.
Ut Paſtor rabidi lupi cruento
Agnum deripit ore, ſic voracis
Orci faucibus extrahis miſellum
Tuum Flaminium Deo juvante.
Quare dum mihi vita, quam dediſti,
Suppetet, nihilo minori amore
Te colam, optimus optimum parentem

Quam

Quam natus colit; & ſuprema quando
Rurſus venerit hora, quamquam amara
Potem oblivia, non tamen licebit
Tuæ non memorem eſſe comitatis.

L I I.

AD FEDERICUM DONATUM.

QUod ſpiro, Fèderice, quod tueri
Datur lumina cara cæli, id omne
Haud parte ex minima tibi libenter
Acceptum refero. febris furebat;
Necabat lateris dolor; ſupremam
Horam jam mihi cuncta nuntiabant,
Cum tu, quam dedit ipſe Phœbus, arte
Morbum letiferum fugas, ut acer
Spiritus Boreæ tenebricoſa
Cælo nubila pellit. ergo vitam,
Quam mihi ſupremum benignitate
Donaſti, tibi dono, meque totum
Grata mente dico, meoſque ad unum
Omnes, qui pereunte me periſſent.

L I I I.

AD HIERONYMUM PONTANUM.

QUod te nomine dicam, amice care?
An ſenex juvenem vocem parentem?
Qui febri, & lateris dolore preſſum
Numquam deſeris, aſſidens jacenti,
Ut pullis avis. an vocem ſalubris
Phœbi ſanguinem? ab imminente fato
Qui me ſurripis, & valere donas.
Sis quocumque tibi placet, virorum
Humaniſſime, nomine; eſſe nullum
In terris modo judices parentem,
Qui plus filiolum ſibi ſuprema
Natum diligat unicum ſenecta,
Quam te Flaminius ſuæ ſalutis
Patrem diligit. hoc, amice dulcis,
Non verum minus eſt, nitere Solis
Quam lucem, aut tenebris diem fugari,
Cum Nox cæruleo revecta curru
Ocellis hominum irrigat ſoporem.

LIV.

L I V.

AD JULIUM SAULIUM.

O Quantum gemui, venuſte Juli,
Cum febris tua membra paſceretur,
Nec finem faceret, diem ſupremum
Intentans media tibi juventa!
Me tui miſerebat & parentis
Caræ, qua mulier nec ulla vivit,
Nec vivit melior: Miſella quantos
Angores tulit audiens jacere
Natum depoſitum! Sed ecce veſtram
Dum vicem doleo, dolor ſiniſtrum
Invaſit latus, & ſiticuloſa
Febris incubuit mihi per artus
Furens, ut fera flamma cum vetuſtam
Silvam corripuit ſemel, vagatur
Vorans omnia. nec tamen periclum
Sic me perculerat meum, pericli
Quin tui meminiſſem. acerbus ergo
Me dolor geminatus enecaſſet,
Ni Deus miſerans utrumque leto
Præſenti eripuiſſet. ille nobis
Donat vivere: nos patri benigno
Vitam, & omnia noſtra conſecremus.

L V.

AD FEDERICUM ELEPHANTUTIUM.

QUod ſolet, Federice docte, fama
Mali nuntia latius vagari,
Illam ſuſpicor ad tuas tuliſſe
Aures Flaminium jacere febri
Confectum; & lateris dolore, nec jam
Ullam ſpem reliquam ſalutis eſſe;
Quo tuo mage nil acerbum amori
Poſſet accidere. ergo, mens miſella
Ut omnem abjiciat metum, ſodali
De tuo accipe nuntium, quod optas:
Et vivo, & valeo bene, profundo
Leti a limine reſtitutus, & jam
Meas delicias Bononienſes
Raro viſere, ſcilicet Lavinum,

Amœnum, nitidum, ſalubrem agellum;
Ubi te fruar, & diu cupito
Tuo dulci, & amabili lepore,
Quo ſic afficior, beatus eſſe
Ut plane videar; videre caros
Cum vultus datur, & tua morantes
Soles condere collocutione.
Quare mi hoſpitium para diebus
Paucis, & ſimul oſculationes
Centum, quæ mihi erunt ſuaviores,
Quam matri teneræ puella pulchra
Quæ dat ſuavia, cum remota ab urbe,
In qua nupta fuit, ſuos reviſit.

L V I.

AD FRANCISCUM BOLOGNETUM.

I, Quæſo, mea Muſa dulcis, agrum
Citis curſibus ad Bononienſem,
Nuntiumque feras bonum, ac beatum
Uni ex unanimis meis amicis
Franciſco lepidiſſimo poetæ,
Quem dolor lateris meus dolore
Tanto conficit, ut cibum miſellus
Non poſſit capere, aut ſoporem ocellis:
Sed ſemper jaciat graves querelas
In Deos, medicoſque. Dic, dolore
Pulſo letifero, ſuum valere
Carum Flaminium, ergo & ipſe luctum
Tradat Æolis Notis ferendum
Trans alpes, Hadriamve: tum benignis,
Qui vitam mihi reddidere, divis,
Dic, laudes cithara canat Etruſca;
Laudes, quas ſtupeat gens amica
Illi Tuſcia plurimos in annos.

L V I I.

AD JACOBUM PACTUM.

PActe, candidus ille Baſſianus,
Qui te diligit ut bonum parentem,
Retulit mihi, te dolore tanto
Affectum ob lateris meum dolorem,
Ut, ſi vel tibi filius, paterve

Fo-

orem, non gravius dolere poſſes,
æc dulciſſimus ille Baſſianus
um narraret, amoris excitavit
antum ignem mihi in intimis medullis,
t qui te prius unice colebam
opter ingenium bonum, bonoſque
ores, addiderim meo huic amori
gentem cumulum, velut puſillus
nis cum excidit alto in eſculeto
ſtori, frutices, ruboſque primum
ſcitur, fera deinde flamma creſcit
agans arboribus, pereſa donec
lva magna reſedit in favillas.
rgo tum probitate me licebit
incas, tum varia eruditione:
t vero ſuperare amando, amice,
ofecto tibi non licebit umquam.

L V I I I.

AD MARIANUM VICTORIUM.

I qua te, Mariane, cura tangit
Tui dulcis amiculi, fidele
a mi conſilium; cavebis autem,
e te fallat amor mei videndi.
cquid tu veniendum ab Urbe cenſes
luc Flaminio? hic habemus hædos,
allos, optima vina, habemus umbras
ortorum, & medicos bonos, meique
mantes: domus hic ſalubris, ampla
t eſt hic hominum elegantiorum
alde copia magna, qui libenter
e viſant male firmum, adhuc atrocis
orbi reliquiis gravatum. amice,
æc tu commoda compares, neceſſe eſt,
um veſtris: mihi deinde, quid gerendum,
æſcribes, maneam ne in Urbe, ubi ægre,
ec ſatis bene convaleſco, præſtet
n veſtras latebras adire, qua vix
umano pede ſemitam eſſe tritam
firmant aliqui. tamen quod ipſe
l me ſcripſeris, id putabo vatis
e veridici fuiſſe dictum.

L I X.

AD VINCENTIUM PARPALIAM.

CRas, o Parpalia, ut ſoles, parabis
Elegans mihi prandium, tuiſque
Conditum ſalibus, facetiiſque;
Nam quo tempore me febris, maluſque
Tentavit lateris dolor, miſello
Nil primoribus ex eo labellis
Fas fuit tetigiſſe, quod palato
Gratumve accideret, foretve alendis
Aptum viribus: hinc eas, & ipſum
Corpus perdidi, & umbra inanis eſſe
Jam mei videor. tuo lepore
Si tamen dabitur frui, tuiſque
Intereſſe epulis frequenter, æſtas
Antequam veniat propinqua, fiam
Ex macro, invalidoque fortis, atque
Turdo obeſior, uva quem voracem
Diu nutriit, aut oliva pinguis.

L X.

AD DAMIANUM DAMIANIUM.

O Vinum tenue, aureum, ſuave
Inſtar nectaris! o merum deorum,
Vitæ præſidium meæ fugacis!
Cenant Pœonii tibi liquores,
Et quidquid remedi ſalubrioris
Oſtendit medicæ repertor artis.
Jacebant lateris dolore membra
Semimortua; febris æſtuabat,
Ut fornacibus ignis; ipſe plantas
Leti limina dura transferebam;
Cum tu languidulos fluens in artus,
Cæleſtis liquor, & levas dolorem,
Et vitam mihi reddis. ergo, docte
Damiane, tuum merum, tuamque
Vineam aureoli mei parentem
Dulci carmine concinam, recepta
Vita dum ſuperat mihi; & rogabo
Votis áſſiduis Deum quotannis,
Ne venti, pluviæve, ſiccitaſve,

Aut

Aut vis grandinis, improbive fures
Lædant aureoli mei parentem.

L X I.

AD SUAVISSIMUM SODALEM SUUM.

TU ne verſiculos tuos ſepulcro
Meo ſcalpere, amice, cogitabas?
Me vivum potius vorent rapaces
Lupi, quam mea mortui graventur
Tuis verſibus oſſa. non Typhœum
Sic vaſtum Inarime premit, nec Ætna
Furentem Enceladum, mei miſelli
Manes ut premerentur a tuarum
Pondere intolerando ineptiarum.
Quare dis age gratias, dederunt
Qui, vita mihi reddita, periclo
Tanto evadere; teque per vetuſtum
Noſtri fœdus amoris oro, amice,
Si quid acciderit mihi, prinſquam
Ipſe mortem obeas, tuis moleſtis
Nugis, peſtiferiſque, putidiſque
Ne vexes miſerum meum ſepulcrum

L X I I.

AD BASILIUM ZANCHUM.

Udex candide carminum meorum,
Alterum tibi mitto nunc libellum,
ectum nemini adhuc: ſed ipſe amorem
er noſtrum veterem rogatus illum
t leges, relegeſque diligenter,
otans quidquid ineſſe judicabis
ut dictum illepide, aut parum Latine.
uin igni dabis omnia, igne digna
Iuſiſſe putabimur. nec illa
el aſſis facio, tibi videntur
i delenda; nec ulla criticorum
ormido maledicta, ſi probantur
uo judicio. vides, ſodalis
onus quam tibi fidat: ipſe contra
erba ſingula ponderabis; idque
on ſolum mei amore, ſed quod error
uiſquis commacularit hunc libellum,

Famam æque violabit utriuſque,
Judex candide carminum meorum.

L X I I I.

AD SOMNUM.

HUc ades, o bone Somne; veni, dulciſſime Somne,
Et mea furtiva lumina claude manu.
Somne, veni; en volucres tibi dulcia carmina dicunt;
Invitat placido te vaga lympha ſono:
Te violæ, & lilia pulchra, tuumque papaver,
Teque vocant plenis Creſſia vina cadis.
Nec tamen ipſe venis. quidnam, mitiſſime rerum,
Jam ſurdum precibus te facit eſſe meis?
Non ego vel fœdo maculavi crimine vitam,
Vel populi mores, & malefacta ſequor.
Si neſcis, ego ſum Muſarum, ſomne, ſacerdos:
Nutriit in tenero me pia Muſa ſinu,
Et citharam dedit. hos dulces tibi condere verſus
Jam meditor; propere tu modo, Somne, veni.
Ni properas, leti ſopor ingruit, & mea ſævus
Lumina perpetua fundere nocte parat.
Ergo age, Somne, gradum celera, ne fama vagetur,
Immeritum culpa me periiſſe tua.
Nam ſi nulla meæ tangit te cura ſalutis,
At parcas famæ, ſi ſapis, ipſe tuæ.

L X I V.

AD MARCUM QUEMDAM.

JAm lucolenta, Marce, pecunia
Tumultuoſum per mare curſitans
Quam comparaſti, diſce tandem
Diſce, precor, ſapienter uti.
Nam congruendis divitiis modus
Hic eſſe debet, pauperiem ut tibi
Tuiſque liberis repellens,
Lætus agas ſupereſt quod ævi.
Ergo relictis navibus & mari
Ad tuta ruris te refer otia:
Inſanientis & procellæ
Dirum alii paveant furorem.
Quis non benignæ culta nitentia
Terræ minaci præferat Hadriæ?

Quis

Quis candido gregi catervas
Comparet horribiles natantum?
Quod ſi lucellum te capit; & ſua
Sunt lucra gnavis agricolis: pecus,
Saltuſque, & arva diligenti
Sunt domino bene fructuoſa.
Nam terra mater reddere diligit
Magno colenti ſemina fœnore,
Ni tu recuſas illam aratro
Aſſiduiſque juvare raſtris.
Eſt hic agellus, villaque collibus
Fundata amœnis, quam liquidi ambiunt
Fontes, & arcens umbra opaca
Silva Canis orientis æſtum.
His tu coemtis incipe tempora
Poſt onga tandem vivere, conjugis
In dulcis amplexu daturus
Lætam animam veniente leto.

L X V.

AD STEPHANUM SAULIUM.

Ne tu beatum dixeris, optime
Sauli, ſuperbo limine civium
Qui prodit hinc, & hinc caterva
Nobilium comitante cinctus;
Non ſi feracis occupet Africæ
Quidquid præaltis conditur horreis,
Gemmaſque lucentes, & auri
Poſſideat rutilos acervos.
Nec ille felix, qui valet omnium
Cauſſas latentes cernere, ſidera
Notare doctus, & profundas
Ingenio penetrare terras.
Sed tu beatum jure vocaveris,
Qui mente pura rite Deum colit,
Ejuſque juſſa ducit amplis
Divitiis pretioſiora.
Non ille vulgi gaudet honoribus,
Sed carus ipſi Numinis eſt honos;
Pro quo tuendo non recuſat
Dedecorum genus omne ferre.
Quin & relictis cœtibus urbium

Mens ejus altum tranſvolat æthera,
Deique ſummi, cælitumque
Colloquio fruitur beato.
Cæleſtis ergo jam ſapientiæ
Plenus, periclis altior omnibus
Quieſcit in Deo, furentum
Deſpiciens hominum tumultus.
Sic prœliantes æquore turgido
Ventos reducto montis in angulo
Miratur, & gaudet procella
Terribili procul eſſe paſtor.

L X V I.

AD DONATUM RULLUM.

QUis cuncta poſſit, Rulle, pericula
Motuſque mentis dicere turbidos,
Qui ſævientis inſtar undæ
Nos variis agitant procellis?
Hinc prœliatur ſollicitus timor,
Hinc ſpes bonorum credula: gaudium
Nunc tollit alte, nunc doloris
Dejicimur furibundo ab æſtu.
Non ſic benignus cælicolum pater
Humana finxit corda; ſed inſolens
Nos faſtus ad tumultuoſa
Hæc freta præcipites adegit.
Cum vita nullis ante laboribus
Turbata cunctis afflueret bonis,
Nec mortis occurrens imago
Cor trepido quateret tumultu.
Quod ergo tantis auxilium eſt malis?
Ecquid Platonis docta volumina,
Cultique præceptor Lycei
Sollicitam recreare mentem,
Modumque curis figere triſtibus
Poſſunt? vel auri perpetuo fluens
Rivus? vel in ſublime tollens
Per titulos popularis aura?
Fomenta ſunt hæc prorſus inania,
Luduntque falſa vulgus imagine,
Vulgique primores, acuti
Viribus ingenii tumentes.

At

At tu, beatam ducere ſi cupis
  Vitam periclis liber ab omnibus,
  Adhæreas Deo, piaque
  Mente ſacrum venerare Numen.
Hinc hauries veram, & ſapientiam,
  Verumque honorem, & divitias, ferus
  Quas nec tyrannus, nec tremendi
  Vis rapiat truculenta belli.
Quidquid bonorum cernitur uſpiam
  Hoc fonte manat; quo ſine, quis, licet
  Terraſque, cælitumque regna
  Poſſideat, miſer uſque vivet.

DE DAVIDE JUDÆORUM REGE.

ERam paterna abjectus in domo puer,
  Cunctiſque fratribus meis
Minor puſillum in monte paſcebam gregẽ.
  Hic ego ſub umbris arborum,
Dum læta tondet gramina pecus, maximi
  Laudes canebam Numinis,
Sonora tangens fila citharæ, quam meæ
  Parvæ laborarant manus.
At ille ſanctus cælitum rex, & pater,
  Qui ſumma tangit fulmine
Coruſco, humoque gaudet ima tollere,
  Suum repente nuntium
Ad parva miſit tecta, qui meum ſacro
  Liniret unguento caput.
Abjecit ille viribus præſtantia
  Fratrum meorum corpora:
Nec forma quidquam profuit, nec aſperis
  Spectata virtus prœliis.
At ego puſilli parvulus cuſtos gregis
  Ad regium decus efferor.

M. ANTONII
FLAMINII
CARMINUM
LIBER SEPTIMUS
CONTINENS PARAPHRASIM
IM TRIGINTA PSALMOS.

In quibus Hebræorum numerationem ſequitur.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM CARDINALEM.

DUm nigra jucũdos per languida membra ſopores
  Nox irrigat mortalium,
Tu mecum tacitis Hymnos meditare ſub umbris
  Cantu Latino, barbite
Jeſſeo quondam Heroi modulate; tyranno
  Qui ſive pulſus a fero
Montibus in ſolis erraret, ſive reverſus
  In patriam ditiſſimas
Urbes, & latos populos ditione teneret,
  Noctes, dieſque maximo
Cælicolum regi laudes cantare ſolebat.
  At vos, beati cælites,
Eſt tutela quibus vatum commiſſa piorum,
  Adeſte, quæſo, dexteri;
Et quæcumq; Syros docuit rex optimus olim,
  Per Italas urbes lyra
Dum memorare juvat, facilem concedite cantum,
  Rebuſque dignum maximis.

AR.

ARGUMENTUM PSALMI PRIMI.

Docet, pios, ac legum divinarum ſtudioſos & amantes beatos exſiſtere, contraque omnes improbos, & Dei contemtores miſeros eſſe.

PSALMUS I.

BEatus ille, qui nec audit impios,
 Nec perſeverat improbus
Peccare, nec lætatur irriſoribus
 Se peſſimis adjungere;
Sed mente pura diligit leges Dei,
 Illaſque ſemper cogitat,
Seu nox ſopore amabili, ſeu lumine
 Sol candido terram irrigat.
Qualis perennes orta propter rivulos
 Arbor feraces ramulos
Ornat quotannis fructuum lætiſſima
 Pulcherrimorum copia,
Suumque honorem ſervat omni tempore
 Denſis amicta frondibus;
Talis piorum eſt vitæ, talis omnium
 Colentium leges Dei.
Hi quidquid umquam molientur, exitus
 Illo favente proſperos
Habebit. haud ſic improbi, ſed pulverem
 Ut turbo late disjicit,
Sic jactat illos impetus libidinum,
 Nulloque conſiſtunt loco.
Ergo ſupremi judicis cum venerint
 Tribunal ad juſtiſſimum,
Cauſſa cadentes, a bonorum candida
 Turba procul, miſerrimi
Trudentur ima in Tartara; quoniam Deus
 Mores piorum diligit:
At turpiter qui vitam agit, cruciatibus
 Hunc ſempiternis afficit.

ARGUM. PSALMI III.

Queritur de rebellione populi, & ſpe divini auxilii animum ſuum confirmat.

PAter beate, quid eſſe cauſſæ exiſtimem,
 Cur impio bello furens

Me perſequatur immerentem civitas?
Meam ſalutem perditam,
Et derelictam populus a tua, pater,
Benignitate prædicat.
Sed quiſque quod lubet loquatur, tu decus,
Certumque præſidium meum es.
Numquam fidem tuam pia invoco prece,
Quin vocibus dexter meis
Aures benignas præbeas, & ſupplici
Optata dones omnia.
Ergo quieta mente utramvis dormiam
In aurem, & hoſtium minas
Ridebo vanas: nullus ullo tempore
Belli tumultus, aut ferox
Me prœliorum territabit impetus;
Non ſi trecentis militum
Me vallet hoſtis millibus, & undique
Mortem minentur omnia.
Exſurge, vindex ſcelerum, & hoſtium feram
Compeſce vim crudelium,
Qui ſæpe ſæpiuſque me graviſſimis
Jam liberaſti caſibus.
Tu perdidiſti Saulem, & omnes impios,
Qui belluarum immanium
Inſtar, ſalutem, & ſanguinem meum hiantibus
Sævi appetebant faucibus.
Solus ſalutem, ſolus, o dulciſſime
Pater, bona omnia ſufficis:
Solus colentibus pie numen tuum
Æterna donas gaudia.

ARGUM. PSALMI VI.

Exiſtimant, Davidem feciſſe hos verſus, cum in morbum, & graviſſimas calamitates incidiſſet ob ſtuprum Berſabeæ illatum, & maritum ejus crudeliter interemtum.

NE, quæſo, Domine, me tuus furor opprimat,
Neve ira ſeviat tua:
Sed qui pater mihi es, paterna filium
Severitate punias.
Miſerere, Domine, jam mei, jam triſtibus
Aurem querelis admove;

Nam

Nam dira morbi vis miſellum conficit:
Me vita deſtituit mea.
Et tu quouſque differes opem tuam
Meæ ſalutis negligens?
Quouſque vultum iratus avertes tuum?
Tuo benigno lumine
Meos dolores intuere jam, pater,
Maliſque tantis eripe.
Quid me, oro, morte rapere tam cita juvat?
Ecquid ſepulcro conditus
Tui memor ero? ecquid tuas amabili
Cantabo laudes carmine?
Si cæde me, & lectum meum libidine
Contaminavi ſordida,
At lacrimarum me, meumque lectulum
Lavabo largo flumine:
Me nulla nox, me nulla lux in poſterum
Non lacrimantem viderit.
Quamquam ſatis, ſuperque ſupplicii datum eſt:
Mœrore jam contabui,
Fletuque feſſa perdidi jam lumina,
Peccata perditus mea,
Injuriaſque meorum acerbas hoſtium
Dum flere numquam deſino.
Recedite procul, impii, recedite
Malas in oras; nam Deus
Suſpiriis, lacrimiſque motus eſt meis,
Dominus pias preces meas
Benignus audivit, ſalutem ſupplici
Donavit optimus pater.
Ergo erubeſcant, & dolore peſſimi
Rumpantur hoſtes, & meæ
Felicitati quiſquis invidet, procul
Fugiat metu perterritus.

ARGUM. PSALMI XI.

Colloquitur cum amicis, qui fugam ipſi ſuadebant, ne per inſidias a Saule circumveniretur: quibus ille reſpondet, rerum omnium moderatorem, & dominum eſſe Deum, neque ſine ejus providentia quidquam geri ab hominibus; quare innocentes bono animo eſſe debere, improbis autem certam perniciem exſpectandam eſſe.

DEo mea ſpes nititur; quid dicitis, David
Veſtris ut avolem procul
A montibus? miſella ſicut avicula,
Quam ſævus accipiter feris
Adurget unguibus, fame rabida furens.
Quia hoſtis ecce barbarus, Amici
Arcum tetendit jam, ſuas ut imbuat
Tuo ſagittas ſanguine;
Et diſſipatis legibus, miſeris nihil
Ad ſpem ſalutis linquitur.
At ego quid egi, cur meam vitam mihi David
Auferre tendat impius?
Sed præſidet templo Deus ſancto, Deus
Cælum beatus incolit:
Hinc perſpicaci cuncta luſtrat lumine
Rerum omnium arbiter parens,
Sua ut potente dextera bonos juvet,
Maloſque juſtus puniat.
Explorat ille ſæpe rebus aſperis
Pios, ut aurum fervidus
Explorat ignis, opprimi tamen vetat:
Contraque tempus ad breve
Florere permittit malos, cruciatibus
Quos deinde longis afficit,
Quapropter hoſtis impius niſi jam ſuo
Ponit furori terminum,
Prædico, funditus peribit obrutus
Igne, procellis, ſulphure;
Namque æquus æquitatem amat Deus, & pios
Placido intuetur lumine.

ARGUM. PSALMI XII.

Queritur de moribus ſæculi ſui depravatis; Deo ſupplicat pro ſalute piorum, qui ab improbis vexantur; ipſum Deum inducit loquentem, & opem ſuam pollicentem.

BEnigne cælitum pater, ſerva, obſecro,
 Opemque fer; pauciſſimi
Nam ſunt, quibus confidere, ac poſſim meam
 Tuto ſalutem credere.
Mendacio jam pulſa turpi veritas
 Receſſit alma ab urbibus,
Fideſque, ſanctuſque pudor, & ſoror illius
 Sinceritas amabilis.
Quod ſi quis umquam blandiatur, & omnia
 Loquatur ore dulcia,
Tu vero ab illo tibi potiſſimum cave.
 Te, lingua blanda, ab improbo
Avellat ore præpotens rerum Deus:
 Tu, magna qui ſemper loqui
Gaudes, eum iratum, tuæque vindicem
 Linguæ protervæ ſentias;
Tu qui furore percitus, Lingua mea
 Opes mihi, & potentiam,
Dicis, parabo; liberum os gero, & geram
 Semper; quis imperat mihi?
At hæc nefandus dum nefaria evomit,
 Cæleſtium rex maximus
Orationis impiæ ſuperbia
 Commotus, Exſurgo jam, ait,
Exſurgo, jamque opem ſalutarem affero
 Benignus afflictis: mihi,
Qui vexat illos, impius pœnas dabit.
 Sincera verba Numinis,
Auroque puriora ſunt puriſſimo,
 Quod igne ſæpe ac ſæpius
Purgavit artifex, monile regio
 Sponſo laborans nobile.
Tu gente nos ab impia, rex optime,
 Servabis, & clementiæ
Scuto tuæ firmiſſimo tela hoſtium
 Longe repelles omnia.

Tu-

Tuti vagantur improbi, & bonis malam
Peſtem, doloſque comparant,
Contaminata mente cum vir urbibus,
Servire dignus, imperat.

ARGUM. PSALMI XIII.

Vir ſanctus magnis ac diuturnis calamitatibus vexatus vicem ſuam miſeratur, & auxilium Dei queribundus implorat.

Quouſque, Domine, linquor in tantis malis?
O columen, & ſalus mea,
Quouſque pergis eſſe non memor mei?
Dic, oro, quamdiu dies,
Noctesque lacrimis madebo, & anxius
Deliberando diſtrahar?
Quouſque ſupplicem tuæ clementiæ
Crudelis hoſtis opprimet?
Aures tuæ ſatis diu, pater, à meis
Abhorruere queſtibus:
Satis ſuperque vultus averſus tuus
Omnem mihi lucem abſtulit.
Jam, quæſo, jam candore luminis ſacri
Meas tenebras diſſipa,
Ne forte durus mortis obrepat ſopor,
Dum nulla donatur quies.
Ne, quæſo, ne amplius in mala inſultans mea
Triumphet hoſtis gaudio.
Sed quamquam ab omnibus miſera ſalus mea
Projecta ſit mortalibus,
Bonam tamen ſpem non ego abjiciam, tuæ
Nitens opis fiducia.
Pater beate, maximas tibi gratias
Ago, tuum qui ſupplicem
Tam dexter audis, & malorum fluctibus
Tantis benignus eripis.
Jam jam querelas flebiles, ſuſpiria
Jam pono lætus triſtia,
Et fonte quidquid carminis fluet meo,
Pater, tibi omne conſecro.

ARGUM. PSALMI XV.

Præcipit genti ſuæ, quam vivendi rationem ſequi debeant, ut Deo cari ſint, & ſublato omni exterorum metu in finibus patriæ ſecuri conquieſcant.

David

Deus

PAter ſupreme, quis tuũ templũ incolet?
Dic, oro, monte quis acquieſcet in tuo?
Qui purus omni a labe juſtitiam colit,
Qui diligenter curat, ut mentem mala
A cogitatione ſervet integram,
Nec immerentes ore vexat improbo,
Nec alteri nocere ſolummodo cavet;
Sed ſi quis ullum lædat, auxilio venit,
Injuriamque prohibet. hic malum, licet
Ditiſſimum, licet potentem, negligit;
At quos amantes viderit Deum, colit,
Veretur, obſervat, loco quamquam infimo
Jacere cernat rerum egentes omnium.
Nec, ſi quid umquam juret, umquã pejerat.
Non ille fœnori pecuniam daret,
Illamve reciperet, licet pauperrimus,
Ut innocentes opprimat, vel maximam.
Qui ſervat hæc, immobilis ſemper manet,
Deoque carus vivit, & mortalibus.

ARGUM. PSALMI XXIII.

Gloriatur, ſe, ac ſua omnia Deo curæ eſſe: & demonſtrat, quam beati ſint ii, qui juſte cum fide, ac pietate vitam degunt, & ſeſe in ſervitutem Deo dicant.

REx cælitum eſt paſtor meus;
Nihil boni deerit mihi.
Uberrimus in paſcuis,
Amœna propter flumina
Me ſpiritus ſanctiſſimi
Aura beata recreat,
Dulcique mentem pabulo
Nutrit ſuæ ſcientiæ.
Miſerrimus animus meus
Dum longius abit a Deo,
Erraverat procul a via,
Quæ ducit ad cæleſtium
Oras beatas. at Deus

Meæ

Meæ miſertus miſeriæ,
Benignitate maxima
Quæſivit illum ultro, & ſui
Reduxit ad caulas gregis.
Si ſola ſolus per loca
Inermis eam, ubi plurima
Imago mortis territat,
Interritus perrexero,
Cuſtode ſecurus Deo.
Me virga, paſtor optime,
Coercet errantem tua:
Ne gravius offendar cadens,
Tuo bacillo fulcior.
Me menſa roborat tua,
Me dulcis exhilarat calix
Tuus: oleo foveor tuo.
Nec me, pater dulciſſime,
Per has inexplicabiles
Vias euntem deſeres
Umquam, ſed ad tuam domum
Duces, ubi vita fruar
Et ſempiterno gaudio.

ARGUM. PSALMI XXX.

Gratias agit Deo, graviſſimo morbo liberatus.

TE ſemper efferam, pater ſanctiſſime,
Cantu meorum carminum,
Qui me tenebris inferorum, & horrida
Leti extuliſti janua.
Tua benignitate perfectum eſt, meis
Ne riſus hoſtibus forem.
Domine, pia prece invocatus tabido
Morbum expuliſti corpore.
Jam jam ſub imas ire terras cœperat
Mærens anima, jam nexibus
Soluta cari corporis dulciſſimas
Linquebat oras ætheris;
Cum reſtituta vivere, & juſſa eſt frui
Lucis cupito munere.
Adeſte, caſtæ virgines, homines pii,
Adeſte, mecum laudibus
Deum benignum tollite, agite gratias,

Quan-

Quantas poteſtis maximas,
Incomparabili illius clementiæ.
Ut vere nimbus uvido
Vix ortus evaneſcit, Aquilonis feri
Si ſpiritus ſupervenit;
Sic ira ſancti Numinis breviſſima eſt:
At illius benignitas
Semper ſalutem, ſemper hominibus piis
Sincera præbet gaudia.
Quod ſi quid umquam incommodi intervenerit,
Deo favente celeriter
Multiplicatis commodis rependitur.
Verum ipſe victis hoſtibus,
Et conſtituta pace, cum mihi omnia
Feliciter ſuccederent,
Demens ad hunc modũ loquebar: Nulla via
Me, nulla jam potentia
Dejicere poterit hoc ſtatu rerum optimo.
Tu ſcilicet regnum meum,
Meaſque fortunas ita ſtabiliveras,
Ut montis inſtar omnibus
Habere viſa ſint. at hoc nulla mihi
Virtute contigerat mea,
Sed liberalitate maxima tua:
Quod ne mihi ignotum foret,
Illamque ſtultam opinionem ut ponerem,
Paulliſper averſus mihi
Memet reliquiſti, Domine; ſuntque illico
Mutata, verſaque omnia.
Tum lacrimans, voceſque lamentabiles
Fundens, Quid, inquam, maxime
Rex cælitum, quid vita proficiet mea
Reſtincta morte tam cita?
Ecquid ſepulcro lingua condita peterit
Cantare nominis tui
Laudes? tibive docta dextra pſallere?
Ne, quæſo, ſupplicis tui
Noviſſimo in caſu precem contemtam habe,
Sed peſtilentem corpore
Depelle morbum de meo. Sic lacrimans
Orabam: at ipſe triſtibus
Aurem querelis admovens, pro lugubri
Mærore læta gaudia,

Pro fœditate veſtium ſqualentium
Veſtem dediſti candidam.
Itaque tibi ingenium meum, & ſtudia mea,
Meamque vocem conſecro:
Semper tibi laudes cithara dicet mea,
Semper tuam clementiam
Cantabo, ſemper gratias tibi maximas
Agam, pater ſanctiſſime.

ARGUM. PSALMI XLII.

Exponit, in quanta ſollicitudine, ac dolore eſſet, cum Hieroſolymis ejectus a Saule, neque templum auguſtiſſimum cum reliquis civibus celebrare, neque ſacriſiciis ſollemnibus intereſſe poſſet.

UT cerva fontem anhela quærit anxie,
Quam vis canum ſagacium
Vexavit, urit arva dum Sol igneus;
Sic te, pater dulciſſime,
Deſiderat anima mea, cor meum tuam
Sic expetit præſentiam.
O ſi nivea lux illa fulgeat mihi,
Cum liceat ad templum Dei
Adire, & hymnos Numini auguſtiſſimo
Cum gente ſanctà dicere!
Noctes, dieſque lacrimæ triſtiſſimæ
Fuere pro cibo mihi,
Dum continenter ſciſcitantur impiæ
Gentes, Deus meus ubi ſit.
Cur ille, dicunt, exſulem ſervum ſuum
Tantis relinquit in malis?
Jam fracta virtus ponderi ſuccumberet
Rerum aſperarum, niſi bona
Fulciret illam ſpes, & animum reficeret
Jucunda cogitatio,
Nimirum adhuc tempus fore, cum ad amabilem
Redibo lætus patriam.
Tunc me meorum multitudo civium
Immenſa gratulantium
Templum Dei deducet ad ſanctiſſimum;
Tunc civitas clamoribus
Fauſtiſſimis ſonabit, omnia tinnulis
Late ſonabunt plauſibus.

Ergo bona tibi tanta, o anima mea, a tuo
Promiſſa cum ſcias Deo,
Cur non dolori jam modum figis? mihi
Cur omne tollis gaudium?
Committe jam, committe præſentiſſimo
Tuam ſalutem Numini;
Nam liberari ab omnibus malis adhuc
Agemus illi gratias.
Hæc ſæpe mecum colloquor: ſed intimis
Reſurgit in præcordiis
Quandoque tanta vis doloris anxii,
Vix ut queam reſiſtere.
Quapropter ad tui memoriam nominis
Amabilem ſæpiſſime
Recurram, o unica ſpes mea, o lux, & ſalus,
Carumque ſolamen meum;
Dulceſcet illa amaror omnis; & animo
Illa eluet curas meo.
Quamquam paterna ſum fugatus a domo,
Vaſtaſque ſolitudines
Jordanis, avioſque ſaltus Hermoni,
Inhoſpitalem & Mizarum
Exſul peragro, rerum egenus omnium,
Numquam tamen tui, pater,
Non meminero, numquã effluet animo meo
Dulciſſimum nomen tuum.
Eheu dolorem urget dolor, neque ulla ſit
Laboris intermiſſio.
Ut denſus imber, viſque ſæva grandinis
Ingente glomerati agmine
Cum turbulento decidunt ex æthere,
Magnis & omne motibus
Cælum quatit tonitruum horriſonus fragor,
Sternuntur agri, ſternitur
Seges vireſcens, rura plenis omnia
Natare foſſis ruſticus
Miratur; heu tali, pater, miſerum agmine
Gravium malorum uſque obruis.
Sed tu ſerena placidus intueberis
Me fronte tandem, & candida
Lux pellet horridas tenebras: interim
Manente nocte deſinam
Laudes tibi numquam canere, numen tuum

Num-

Numquam precari deſinam.
Dicam tibi flens, O ſalus, o lux mea,
Cur tamdiu immemores mei?
Cur lacrimis, dolore, luctu maceror,
Dum vexat hoſtis barbarus?
In fruſta corpus omne concidunt meum,
Et me miſerrime enecant,
Dum continenter ſciſcitantur impiæ
Gentes, Deus meus ubi ſit.
Cur triſtis es, anima mea? cur numquã mihi
Per te licet quieſcere?
Committe jam, committe præſentiſſimo
Tuam ſalutem Numini;
Nam liberati ab omnibus malis adhuc
Agemus illi gratias.

ARGUM. PSALMI C.

Hortatur omnes mortales, & præcipue Judæos, ut memores ſint beneficiorum Dei, qui nos creavit, regit, ac tuetur, ut numquam intermittendæ ſint gratiarum actiones.

URbes, & agri, cantibus
Sonate, læta maximo
Servite mente Numini:
Lætis adite plauſibus
Ad atria ejus aurea.
Ipſe, ipſe verus eſt Deus,
Terræ, polique conditor;
Ad ceterarum gentium
Non dii, ſed aurum, & marmora.
Tu nos, pater ſanctiſſime,
Tua benignus dextera
Finxiſti: oviculæ nos tuæ
Sumus tuæ ſcientiæ
Dulciſſimo nos pabulo,
O paſtor optime, nutriens
Æterna donas ſæcula
Vitam beatam ducere.
Ergo Deum canamus, o
Viri, & pudicæ feminæ:
Viri, & pudicæ feminæ,
Adite ſancti januas
Templi ſonantes dulcia

Car-

Carmina. ſonent late omnia
Nomen Dei ſanctiſſimum;
Nam dulcis, & rerum omnium
Amabiliſſimus eſt Deus.
Abſumet ignis ſidera,
Tellus peribit; at Dei
Mirabilis clementia,
Et veritas ſemper manent.

ARGUM. PSALMI CXIII.

Hortatur ad hymnos canendos Deo, prædicans ejus potentiam, & providentiam miſericordiæ plenam.

ADeſte, caſtæ virgines, pueri integri,
  Adeſte, mecum laudibus
Efferte nomen Numinis ſanctiſſimi.
  Dum Sol per oras ætheris
Curſu volubili rotabitur, diem
  Ægris ferens mortalibus;
Minora dum micabit inter ſidera
  Luna occidente jam die,
Ab Indo ad ultima Britanni littora
  Illuſtre ſit nomen Dei.
Non univerſis ille tantum gentibus
  Sua imperat potentia,
Sed cælites, cælique ſupra maximum
  Se tollit altus verticem.
Hinc pater acuto cuncta luſtrat lumine:
  Non ſtellifer quidquam polus,
Non alma quidquam terra continet, neque
  Pontus eam circumvagus,
Nil pandit aer liquidus, occultat nihil
  Craſſa inferorum obſcuritas,
Mortalis ullus denique nihil pectore
  Servat profundo conditum,
Quod ille rector maximus cæleſtium
  Non cernat omni tempore.
Ipſe & potentes, mente inani lucida
  Perambulantes ſidera,
Vindex ad imos uſque trudit inferos;
  Et pauperes in infimo
Gradu jacentes principum in ſolio locat
  Sua benignus dextera:

Ipſe

Ipſe & pudicam liberorum garrulo
Hilarat puellam exanime,
Quæ prole ſine dulci diu in triſtiſſimo
Mærore vitam traxerat.

ARGUM. PSALMI CXIV.

Hymnus eſt elegantiſſimus, in quo celebrat prodigia, quæ Deus edidit, cum Hebræos ab Ægypto traduceret in regna Cananæorum.

CUm liberata ſervitute barbara
Judæa gens Ægyptiorum finibus
Exiret, illamque Deus ipſe duceret,
Fugere fluctus æquoris perterriti,
Jordanis unda retro fugit, & ſtupens
Gens illa vidit exſilire maximos
Montes ut agni prata per virentia
Saliunt novelli, lacte dulci ebrii.
Quid accidit, mare, tibi, cur perterritum
Fugeres? ocelle fluminum, quid accidit,
Cur pavidus ad fontem recurreres tuum?
Vos, quæſo, montes maximi, quid impulit
Inuſitatis exſilire motibus?
Senſere magni Numinis præſentiam
Montes, & unda fluminis, & altum mare;
Senſere dura ſaxa ſolitudinum,
Cum bis ea fontes verteret in uberes.

DE INSCRIPTIONE
QUINDECIM HYMNORUM,
Qui ſequuntur.

TEr quinque, qui ſequuntur, Hymni, Cantica
Graduum vocantur; iſtiuſque nominis
Quæ vis in iſto ſit loco, jam plurimi
Interpretantes protulere plurima;
Sed illa ſic incerta, fabuloſaque,
Ut ipſe malim confiteri libere,
Neſcire me, quod neſcio. tu, candide
Lector, quod iſtis continetur Canticis,
Dum diligenter explicamus, obſecro,
Attentum animum adhibe, tametſi inſcriptio
Quid ipſa ſibi velit, explicare non datur.

Nam

Nam totque tantaque poteris coguoſcere
In his poetæ verſibus ſanctiſſimi,
Vitam beatam maxime attingentia,
Ut curioſus ſis licet, animo tamen
Æquo ferendum ſit, quod unum hoc neſcias.

ARGUM. PSALMI CXX.

Queritur vir ſanctus, ſe patria pulſum inter homines improbos, & fraudolentos vitam agere.

OPpugnat hoſtis impius caput meum,
Meaſque fortunas: ego
Contra piarum me tegam ſcuto precum;
Nam vocibus dexter meis
Aures amicas admovet ſemper Deus,
Ut filio dulcis pater.
A viperino dente, acerbo a vulnere
Oris doloſi, Domine, me
Defende, ſæva lingua ne vitam mihi
Suis venenis auferat.
Doloſa lingua quem tibi fructum feret?
Quid turpibus mendaciis
Lucrabere præter odium Dei, miſer,
Et omnium mortalium.
Qualis ſagitta milite a fortiſſimo
Contorta, qualis ignea
Nutrita vis juniperi olentis caudice,
Talis venenata impii
Lingua eſt. Miſer, miſer ego jam nimiū diu
Cum gente vivo barbara.
Me pax juvat, & mutui concordia
Amoris ardens ignibus:
At iſta gens, de pace cum loquor, nihil
Crepat niſi necem, & ſanguinem.

ARGUM. PSALMI CXXI.

Docet, in periculis ad miſericordiam Dei confugiendum eſſe, qui ſolus & poſſit, & velit nos incolumes conſervare, & omnibus bonis augere, & cumulare.

DUm me cruentus urget hoſtis, lumina
Montes ad altos ſuſtuli,
Unde ille rerum præpotens pater omnium,
Terræ, poliq̀ue conditor,

...s hoſtem barbarum, mittet mihi
Fruſtrat... ...igno numine.
Opem be... ... ſævis impiorum incurſibus
Numquam ill... ...ſtantiam
Tuam ſinet co... ...iet numquam tuæ
Labare victam, dor...:
Salutis ille negligens ...mæ,
Qui civitati præſidet ſanct...
Numquam profecto dormie...:
Hærebit ille ſemper ad dextrum latus
Fidiſſimus comes tuum,
Umbraculique tecum amabilis vice
Fungetur optimus pater,
Ne fervidus te tangat aut Sol, aut gravi
Luna inſalubris lumine.
Quodcumque ages, ubicumque eris, domi, foris,
In urbe, in agro, tecum erit
Semper beatus cælitum rex, & pater,
Fortunet ut tibi omnia:
Suaſque tandem ducet ad domos, ubi
Æterna vives ſæcula.

ARGUM. PSALMI CXXII.

Solebant omnes tribus Hieroſolyma convenire ter in ſingulis annis ad agendos dies feſtos, & ſollemnes: inducit igitur homines pios gratulantes, veniſſe tempus ejuſmodi conventus, & urbem ſanctam laudibus celebrantes, illique omnia bona precantes.

O Quale cepi gaudium,
Cum dicerent, Adibimus
Templum Dei ſanctiſſimum!
Te, magna, viſam, civitas,
Tectis, viis, & mœnibus,
Et civium concordia
Florentem, & almi Numinis
Tutela. agris ex omnibus,
Et oppidis gens plurima
In te piorum ſingulis
Annis ter ad feſtos dies,
Et ſacra ſancta convenit;
Ut legibus mandat ſuis
Rector ſupremus cælitum.
Tu jura claris urbibus

Le-

Legeſque das; tu maximos
Reges alis; te Davidis
Proles frequentat inclyta,
Stipata ſemper nobili
Turba ducum. precamini,
Cives boni, bona omnia
Huic civitati, ſit bene,
Feliciterque amantibus
Te, mater alma; nec tuis
Umquam recedat finibus
Pax, & beata Fauſtitas.
Salus meorum civium
Tua ſalute nititur:
Templum Dei ſanctiſſimum
Te reddit omnibus piis
Amabilem. igitur uſque dum
Ego vixero, ſemper tibi
Bona precabor omnia.

ARGUM. PSALMI CXXIII.

Homines pii ab impiis oppreſſi miſericordiam Domini implorant.

AD te, beatas qui beatus incolis
  Oras nitentis ætheris,
Attollo lumina lacrimis manantia,
  Vitæ meæ ſpes unica.
Injurioſa verberatus ut manu
  Manus heriles aſpicit
Flens ſervus, implorans opem domini ſui;
  Ut ſerva ſervi dextera
Pulſata, domine dexteram aſpicit ſuæ,
  Sic te, pater ſanctiſſime,
Nos intuemur maxima fiducia,
  Donec querelis triſtibus
Aures benignas applicans adſis tuo
  Nobis ſecundo numine.
Jam, quæſo, jam tuere ſupplices tuos
  Vultu ſereno; iſta quoniam
Abominanda gens ſua ſuperbia
  Nos enecat miſerrime;
Miſerrime nos enecat gens impia
  Irriſione, & jurgiis.

ARGUM. PSALMI CXXIV.

Gens ſancta præſenti periculo liberata gratias agit Deo

NIſi nos benigni Numinis
Tutela ſervaſſet, piæ
Nunc dicat urbis incola,
Niſi nos benigni Numinis
Tutela ſervaſſet, feri
Invaderent cum barbari,
Inſtar leonum, hiantibus
Nos devoraſſent faucibus.
Cum gens veniret impia
Furens, minaſque, & ſanguinem
Spirans, malorum altiſſimo
Nos obruiſſet gurgite.
Torrens malorum maximus
Agros, & urbem, & omnia
Jam perdidiſſet funditus.
Supreme cælitum pater,
Te ſempiternis laudibus
Servata tollet civitas,
Quam noluiſti immanibus
Patere prædam belluis.
Ut implicata vinculo
Pudica turtur, aucupis
Crudelis effugit manum,
Si forte laqueus frangitur;
Sic impiorum e dextera
Spem præter ipſi evaſimus.
In poſterum anxius timor
Noſtris faceſſat finibus,
Quando omnium rerum potens,
Terræ, polique conditor
Suo benigno numine
Noſtræ saluti conſulit.

ARGUM. PSALMI CXXV.

Deſcribit ſecuritatem eorum qui om... ſuas ſpes collocant in Deo.

QUicumque vere ſpes ſuas locat in Deo,
Immobilis ſemper manet,
Signis inſtar, nulla quem ſuo poteſt

Mu-

Mutare vis umquam loco.
Ut ſancta vallo montium circumdata
Eſt undecumque civitas,
Sic ipſe rector cælitum dextro pios
Vallabit uſque numine,
Illoſque nullis improborum viribus
Premi diutius ſinet;
Ne forte virtus fracta rebus aſperis
Deo recedat a ſuo.
Fac affluenter manet ad bonos tua,
Quæſo, benignitas, pater:
At qui, ſecutus impiorum peſſima
Conſilia, deſerit viam
Legum tuarum perditus, illum, precor,
Ultrice puni dextera.
Utinam Quies, & alma Pax noſtros agros
Noſtras & urbes incolat.

ARGUM. PSALMI CXXVI.

Deſcribis lætitiam gentis Hebrææ e Babylone domum redeuntis.

CUm liberati barbaræ gentis jugo
Dulcem rediremus domum,
Se ſomniare quiſque, non vero frui
Exiſtimabat gaudio.
O quæ voluptas, quanta nobis commoda
Tuo favente numine
Tum contigere, cælitum rex maxime!
Tum barbarus mirans ait,
En quanta pro ſalute gentis iſtius
Pater deorum conficit!
Et magna certa fecit; haud injuria
Tanto exſilimus gaudio.
Ut Auſter udus imbrium vim maximam
Fundens, jugiſque collium
Nivem albicantium liquans, ſuas ſuper
Ripas alit torrentia
Flumina; vagantur illa, lateque omnia
Tenent; ita, pater optime,
Fac, ut tuorum multitudo civium
Plenis viis ad Patriæ
Dulces fluat agros, omniaq; paſſim occupet,

Lætoque plauſu repleat.
Ut glareoſo triſtis arvo ſemina
Mandans colonus, uberem
Si forte meſſem percipit, gaudet magis,
Quam cultor agri fertilis;
Sic nos per annos ſepties denos gravem
Et ſervitutem, & cetera.
Paſſi mala omnia, cum lares amabilis
Reviſeremus patriæ,
Cunctis viciſſim gaudiis inceſſimus;
Tuæque, rex ſanctiſſime,
Benignitati gratias ſemper agimus,
Semperque habemus maximas.

ARGUM. PSALMI CXXVII.

Docet, & domus, & familiæ, & ipſius civitatis ſalutem, & cuſtodiam in unius Dei providentia conſtitutam eſſe, & ab eodem victum, & cultum omnibus ſuppeditari.

Niſi conjugem Deus bonam, & agrum fertilem,
Dulceſque donet liberos,
Fruſtra laborat, ſi quis hæc ſtudio ſuo
Seſe paratutum putat.
Niſi civitatem & civium concordiam
Defendat optimus pater,
Et civitatem, & civium concordiam
Fruſtra tuentur principes.
Fruſtra ad labores ante lucem ſurgitis;
Fruſtra laboratis diem
Totum, labores niſi Deus veſtros ſuo
Fortunet ipſe numine.
Ipſe & parabilem facit victum, & piis
Præbet quietem civibus:
Ipſe & frequentat liberis domum, & ipſius
Uxor pudica munere
Contingit, ac decora, & optimis ſimul
Ornata proles moribus,
Taliſque robore, qualis a fortiſſimo
Sagitta torta milite.
Beatus ille, qui pharetram talibus
Implet ſagittis! non ei
Erit timendum, ſi quod umquam evenerit

Certamen: illum judices,
Et cuncta civitas, ſuis cum filiis
Bonum, & beatum prædicant.

ARGUM. PSALMI CXXVIII.

Prædicat, in ſumma rerum proſperitate vitam acturum quicumque Deum pie, ſancteque coluerit.

BEatus ille, qui piam ſeſe Deo
In ſervitutem dedicat,
Semper paratus exſequi, ſanctiſſimis
Quod ille verbis imperat.
Non is paterna rura inaniter colit;
Sed quæ feraci ſemina
Sinu recepit fundus, illa maximo
Reddit colenti fœnore.
Uxor pudica bene regit domum, & optimis
Exornat ipſam liberis,
Fœcunda vitis inſtar, apta diligens
Quam curat arte vinitor.
Proles novella creſcit, ut virentibus
Oliva pulchra ramulis;
Et menſa turba garrula circumdata
Cumulat parentes gaudio.
Hæc eſt piorum vita; eoſque talibus
Remuneratur præmiis
Summi benignitas patris; quem ſi coles
Urbis ſacratæ commodis
Lætus frueris; uſquedum vivas, tuæ
Prolis beatæ liberos
Florere cernes; patriis felicitas
Regnabit alma finibus.

ARGUM. PSALMI CXXIX.

Gratias agit Deo, quod populum ſuum ab impiis ſemper oppugnatum, ſalvum, incolumemq; ſemper conſervaverit.

ME barbarorum ſæpe vexavit furor,
Nunc ſancta dicat civitas;
Me barbarorum ſæpe vexavit furor
Ab ultima uſque origine;
Sed nulla vis, nec ullus hoſtium dolus
Me quivit umquam exſtinguere.

Aravit heu mea terga longis verberum
Sulcis nefandus barbarus;
Laboribus me, vinculiſque aſperrimis,
Duraque vexavit fame:
Sed vincla rupit ferrea, & tandem mihi
Dulcem quietem præbuit,
Uberrimeque me locavit in ſolo
Cæleſtium ſummus pater.
Qui civitatem Numinis ſanctiſſimi
Vult perditam, pereat male.
Ut herba tectis orta ſummis ædium
Humore vitali caret,
Nec quit profundiore radices humo
Agere; itaque ante exaruit
Percuſſa ſole fervido, quam dextera
Vellatur alicujus; neque
Manum replevit ea metens, ſuum neque
Sinum, manipulos colligens;
Nec qui viator præterit, verbis ei
Bene precatur optimis;
Talis ſit impius hoſtis, & quiſquis pios
Odit, Deus quos diligit.

ARGUM. PSALMI CXXX.

Precatio eſt hominis conſcientia peccatorum graviſſime cruciati, ſeq; miſericordiæ divinæ fiducia conſolantis.

Malis profundis obrutus
Tuam, pater, fidem invoco.
Ne, quæſo, ſupplicis tui
Audire vocem reſpue.
Si vindicaris omnia
Peccata, cunctaque exigas,
Quæ jure debentur tibi,
Quis ſuſtinebit, o pater?
Quis tam pie, tam puriter
Vitam colit, quin ſit tibi
Pœnas daturus maximas?
Incomparabilis tua
Certe benignitas facit,
Ut numen a mortalibus
Tuum colatur. hac ego
Confiſus, auxilium tuum
Exſpecto certum: animus meus

Et

Et lenitate tua, & tua
Promiſſione nititur.
Non ſic morantem languidus
Exſpectat Auroram vigil,
Qui nocte tota ſedulus
Ambivit urbis mœnia,
Votis ut omnibus expeto
Ego te morantem, o refugium
Meæ ſalutis unicum.
Judæa gens, Deo tuo
Confide; nam Deus tuus
Benignus & placabilis
Et promtus eſt ignoſcere,
Tua ipſe peccata omnia
Delebit, & maculas ſua
Abſterget omnes dextera.

ARGUM. PSALMI CXXXI.

Monet nos exemplo ſuo, fugiendam eſſe ſuperbiam & importunitatem, atque in ſola miſericordia ſpem ponendam eſſe.

SUpreme rector cælitum,
Non ipſe regium ob decus
Inflatus efferor, neque
Perambulans ſublimia
Mentis ſuperbæ ſomniis,
Majora viribus meis
Tribuo, tribuere quam decet
Hominem caducum, inanis &
Imaginis ſimillimum.
Si non modeſtiam colo,
Si ſumo magnos ſpiritus,
Turpiſſimæ arrogantiæ
Pœnas graviſſimas luam.
Qualis puſillus eſt puer,
Quem lacte dulci blandula
Vix alere deſiit parens,
Talis animus, & mens mea eſt.
Ut ille totus optima
Matre acquieſcit in ſua,
Sic ipſe toto pectore
Ex caritate pendeo

Cæleſtis optimi patris.
O te beatum, quiſquis es,
Qui ſpem tuam in Deo locas!

ARGUM. PSALMI CXXXII.

Deſcribit ſtudium Davidis in parando loco, ubi templum ædificaret. Inducitur etiam Deus loquens, ac promittens, familiam Davidis ſempiterno regna potituram; quod quidem perfectum eſt CHRISTO *rege cælitum, atque hominum conſtituto.*

SIs memor uſque pii, Rex maxime, Davidis, & quã
Cives in omnes mitis extiterit ſuos.
Ille tui ſancto incenſus juravit amore,
Votumque lingua nuncupavit hoc modo:
Ne tibi ſim carus, vita mihi carior ipſa,
Neu verba poſt hac ſupplicantis audias,
Ante meæ ſi cara domus ad limina adibo,
Oculoſve ſomnus ante clauſerit meos,
Quam præclara tuo fuerit, pater optime, templo,
Tuiſque dedicata ſacris area.
Sic ait, & parvo poſt tempore dedicat illam,
Qua ſe beatis ſilva campis porrigit,
Cum tu clara prius Bethleemi ſigna dediſſes.
Tuam introibimus, pater, domum, tua
Perpetuo caſtis venerantes numina ſacris.
Tu manſionem dexter ad certam veni,
Myſticaque arca vagans ſtabili jam ſede quieſcat:
Fac, ut ſacerdos mente pura te colat,
Et ſua cuique pio da gaudia, neve tueri
Omitte prolem Davidis tui inclytam,
Quam patris aurato in ſolio tu, ſancte, locaſti.
Juravit ille, pejerare qui nequit.
Omnipotens dulci affatus ſic Davidem amore:
Tua ſedebunt ſede liberi tui;
Qui ſi conſtantes in relligione manebunt,
Quam Moſis ore ſanximus, neque inclyta
Fœderis antiqui violarint jura, nepotum
Serie propago nobilis longiſſima
Dulci pace fruens ſolio regnabit avito.
Sionis arcem præfero cunctis locis.
Hic ego longa libenti animo per ſæcula degam:
Hic ſupplicantium preces ego civium

Au-

Audiam, & optanti mea ſancta oracula pandam.
  Florebit agris fructuum lætiſſima
Omnigenum ubertas, atq;hic procul omne fugata
  Per ævum egeſtas exſulabit horrida.
Caſta ſacerdotes ornabit vita, colentque
  Domos piorum pura ſemper gaudia.
Ac veluti lauro pulchræ denſiſſima ſilva
  Radice ab ima pullulat, ſic Davidi
Candida ſuccreſcet proles, quæ ſplendida facta
  Parentis augeat optimi: neque hoſtium
Ulla domum poterit vis hanc evertere; non ſi
  Conjuret omnis impiarum gentium
Barbaries latas per terras dídita. cunctis
  Optatus ille piis fluet ab origine
Iſta, qui populos omnes, & maxima ponti
  Æquora, globoſque ſiderum micantium,
Et divos ſupra cæli convexa morantes
  Mecum gubernet ſempiterna ad ſæcula.

ARGUM. PSALMI CXXXIII.

Commendat concordiam, & ſanctam animorum inter ſe conjunctionem.

O Quam beatum eſt pacis inſolubili
  Fratres ligari vinculo!
O qualia bona, & quanta ſecum gaudia
  Apportat alma Caritas!
Quales odores ſpirat unguenti liquor
  Stillans Aaronis ſacro
E vertice aureas ad oras veſtium,
  Tales odores candida
Pax, atque amoris mutui concordia
  Afflant piorum mentibus,
Ut ros Sionis decidens jugum, & avia
  Hermonis alti paſcua
Fœcundat, ita quas incolit domos pia
  Pax, ditat omnibus bonis.
Nam degit ubi Pax, & beata Caritas,
  Ibi cælitum degit pater.

ARGUM. PSALMI CXXXIV.

Hortatur Levitas, & alios viros religioſos, qui noctu vigilias agebant in templo, ut precibus, atque hymnis Deum venerentur.

DUm nox favet, ſuoque nos ſilentio
Invitat, agite laudibus
Deum efferamus, ædis o ſanctiſſimæ
Caſti, beatique incolæ.
Tollamus agite ſupplices ſimul manus,
Adytiſque in intimis Deum
Aures amicas applicantem plurima
Prece invocemus, ut ſua
Ope ſoſpitet cives, bonaque det omnia
Larga benignus dextera.

ARGUM. PSALMI CXXXVII.

Gens Hebræa in Babyloniam abducta commemorat hoc dulciſſimo carmine luctum, & mærorem ſuum, & prædicit exciſionem imperii Chaldæorum.

DUm nos ferarum gentium crudelitas
Deſideratæ patriæ dulci ſolo
Exterminatos detinet, juvat procul
A civitatis barbara frequentia
Sedere ſolos ſola propter littora
Euphratis. hic comantium noſtras lyras
Suſpendimus ramo ſalicum, & uberrimam
Vim lacrimarum fundimus, tui, Sion
Dulcis, recordantes, tuamque, maxime
Rex cælitum, orantes opem ore ſupplici.
At interim adiens paſtor errantis gregis
Cantate nobis, ait, aliqua de canticis
Veſtris: quid iſtæ pendulæ tacent lyræ?
Qui nos queamus, obſecro, animum inducere,
Ut canticum ſanctiſſimum noſtri Dei
Cantemus iſtis exſulantes in locis?
Si oblitus umquam fuero, ſancta civitas,
Tui, mea quoque oblita dextra pſallere
Amabiles numquam lyra eliciat ſonos.
Adhæreat lingua mea faucibus meis,
Ne canere poſſim, niſi ego meminero tui,

Niſi cuncta acerba erunt mihi, & amariſſimo
Amariora felle, donec mœnia,
Tuumque templum reſtituta videro.
At tu, nefanda facta qui mortalium
Ultrice punis dextera, teterrimi
Idumæorum ſceleris uſque ſis memor;
Qui, dum periret civitas tua, impios
Hoſtes furentes vocibus nefariis
Sic incitabant: Pergite agedum, & omnia
Vaſtate; ferro, & igne cuncta evertite.
Babylon ſuperba, & omnium miſerrima,
Beatus is, qui talibus pro injuriis
Te digna ſolvet præmia, atque idem tibi
Large reponet, parvulos a pectore
Natos revelliens matrum, & illos aſpera
Ad ſaxa frangens, teque funditus eruens.

ARGUM. PSALMI CXLIV.

Gratias agit Deo, cujus benignitate hoſtes bello ſuperare ſoleat, & ipſius auxilium implorat adverſus impias nationes.

Æterne mundi Domine, quas grates tuæ
Clementiæ poſſim agere? vel tuum quibus
Efferre nomen laudibus ſanctiſſimum?
Tu prœliari dexteram meam doces,
Et omnium diſcriminum fidiſſimus
Comes per hoſtes obvios, & horrida
Per arma tutum ruere, & incolumem facis.
Tu civitates ſubjicis meas mihi,
Latiſque donas imperare gentibus.
Domine, quid eſt homo, quod honore maximo
Dignaris illum, & tam benigne amplecteris?
Homo eſt imago vana, & umbræ ſomnium
Inanis, ipſa inanitate inanior.
Deſcende cælo, & irruentes hoſtium
Acies coerce fulminante dextera:
Illos procellis, igne, grandine diſſipa,
Illos ſagittis perime; noſque jam obrutos
His nationum barbararum fluctibus
Tuere. ſumme Rex, tuas laudes ego
Cantabo ſemper; tibi cithara ſemper mea
Hymnos ſonabit. tu ſalutem regibus

Dona-

Donare gaudes: Davidem tu maximis
Periculorum liberaſti caſibus.
Tu nunc furores impiarum gentium
Compeſce, quas nefanda ſemper dicere
Juvat, nefanda ſemper agere. fac, pius
Miles triumphum nobilem referat domum;
Fac, alma pax, quieſque noſtris finibus
Regnent tumultu barbarorum liberæ.
Proles novella creſcat agris omnibus,
Ut valle myrtus avia nitentibus
Se ramulis ſubjicit, amica limpidi
Rigata fontis lymphula. ſint virgines
Noſtræ decoro corpore ſpectabiles:
Sint plena ſemper horrea bonis frugibus:
Plenis redundet cella ſemper doliis,
Redundet oleo, melle, pomis dulcibus:
Sint prata gregibus tecta fœcundiſſimis,
Fortes juvenci plauſtra onuſta ducere,
Fortes feracem glæbam aratro findere:
Neu ſævus hoſtis noſtra rumpat mœnia,
Neu patriæ jucundæ amabiles agros
Abducta gens relinquat, aut civilibus
Sonent plateæ jurgiis. Ter & amplius
Beata gens, quæ talibus fruitur bonis!
Beata gens, quam maximus cæleſtium
Pater ſuo præſens tuetur numine!

PARAPHRASIS IN CARMEN DAVIDIS

De Morte Saulis Judæorum Regis, & Jonathæ ejus Filii

URbes, & agri, fundite
Lamenta, triſtes ſidera.
Ad alta voces tollite:
Noſtrum decus gens impia
Exſtinxit; altis montibus
Gens clara bello, procidit.
Ne, quæſo, fama, compitis
Hæc Aſcalonis, aut Gethi
Perfer; puellas hoſtium
Ne tanta clades ad choros,
Cantuſque lætos excitet.
Abominata Gelboe,
Nec ros, nec imber educet
Herbam tuam, neque in tuis.

Jucun-

Jucunda vitis, aut ſeges
Pubeſcat umquam montibus.
Hic heu relictis parmulis
Phalanx piorum militum
Fugata turpiter cadit:
Hic dux cruento in pulvere
Procumbit, ac ſi non foret
Gentis piæ rex inclytus.
Sagitta numquam Jonathæ,
Cum ſæva obiret prœlia,
Ictus ferebat irritos,
Sagitta velox, fortium
Potare docta ſanguinem;
Nec hoſtis umquam vel pede,
Vel equo tulit ſeſe obvius
Impune, cum Saules manu
Enſem rotaret impigra.
Saules parens, & Jonatha
Parentis inclyti decus;
Jucundi, atque amabiles,
Vos non diremit impiæ
Vis dura mortis, copula
Quos vita dulci junxerat.
Non fortior vobis leo
Errat Libyſſis vallibus,
Regina non avium ocyor
Vobis, fugacem præpete
Penna columbam perſequens.
Vos, o decoræ virgines,
Quas induebat coccina
Rex veſte, quas monilibus
Ornabat aureis, date
Veſtro miſellæ lacrimas
Regi; miſellæ, triſtibus
Sonent querelis omnia.
Ut militum ferocium
Infracta virtus concidit!
Ut Jonatha fortiſſime,
In montibus tuis jaces
Confoſſus alto vulnere!
Has fundo lacrimas tibi,
Et hæc ab imo pectore
Suſpiria, frater mihi

O lu-

O luce cara dulcior,
Amate Jonatha mihi,
Quantum nec ardens candidam
Amans puellam deperit,
Quantum nec unicam parens
Tenella natam diligit.
Ut militum ferocium
Infracta virtus concidit!
Ut Jonathas acerrimus
Parente cum fortiſſimo
In montibus cæſus jacet!

AD LECTOREM.

HÆc noſtra, lector Chriſtiane, carmina
Sic temperavimus favente numine
Divino, ut ipſa cum legas, ſit idem fere,
Ac ſi poetæ Davidis ſanctiſſimi
Hymnos legas; tametſi enim neque reddita
Fuere verbis verba, neque nobis fuit
Religio, multa addere, bonam, & certam tamen
Spem habemus, additum nihil, quod ab ipſius
Abhorreat ſententia vatis, nihil,
Obſcura quod non monſtret inſtar luminis,
Aut pulchritudini poematis aliquid
Decoris addat, virgini pulcherrimæ
Quale decus addunt arte purpureæ roſæ,
Violæque flavis crinibus circumdatæ.
Quod ſi labores hos meos perſpexero
Fuiſſe gratos, & legentium favor
Scribentis adjuverit, ut æquum, induſtriam,
Ultro recipio, & tibi meam adſtringo fidem,
Curam mihi hanc unam fore antiquiſſimam,
Ut quæ reliqua ſunt Davidis poemata,
Oratione pura, & arte muſica
Ornata poſſint mox Latinis auribus
Intelligi. hoc ego ut queam cito exſequi,
Utinam optimi faveat benignitas Dei;
Quod oro, votiſque omnibus equidem expeto,
Non in meæ, ſed in ipſius ſpem gloriæ.

AD ALEXANDRUM FARNESIUM
Cardinalem Ampliſſimum.

DUm ſe alii mediæ per amica ſilentia noctis
  Dulci ſopore recreant,
Hæc ego Jeſſiadæ cithara mage dulcia ſomno
  Meditans canebam, dum dies
Clara ſuperveniens taciturnas pelleret umbras,
  Cariſſimas umbras mihi;
Quæ me ſenſerunt noctes vigilare beatas,
  Dum primus ipſe myſtica
Davidis ad Latias deduco carmina Muſas,
  Piiſque grata concino;
Non Jovis inſani referens male ſanus amores,
  Non ebrioſæ Liberi
Orgia, non ludos Phœbi, exſecrandave ſacra,
  Sed maximi laudes Dei,
Tergeminum quem cælicolæ venerantur & Unum;
  Qui ſiderum vagantium
Multiplices curſus, qui magnum temperat æquor,
  Et omnium mortalium
Omnia facta videns ſua juſtis præmia reddit,
  Suaſque pœnas improbis
Irrogat, & cunctas animalia cuncta per oras
  Alit benigno numine.
O utinam hæc diſcant pueri, caſtæque puellæ,
  Menteſque ſanctioribus
Formentur ſtudiis, dum parva, & mobilis ætas.
  Quid, o parentes, quid juvat
Futilibus nugis, & turpi carmine veſtros
  Contaminare liberos?
Cum liceat ſanctos illis verſare poetas,
  Scientiæque pabulo
Divinæ teneros animos nutrire, veneno
  Dulci relicto, quo malo
Nullum aliud magis eſſe nocens puerilibus annis
  Videre priſca ſæcula;
Quamvis illa forent caligine conſita, nec dum
  Perfuſa vero lumine.
At tu prudentem juvenili ætate ſenectam,
  O patriæ decus inclytæ
Farneſi, æquiparans, poſt magna negotia, quando

Au-

Audire ſeſſus nobiles
Regum Legatos ſummis de rebus, amœnos
Mirandula doctiſſimo,
Maphæoq;tuo comitatus te abdis in hortos,
Et otio dulci juvat
Mollibus & ſtudiis duros finire labores,
Tunc noſtra, quæſo, carmina
Perlege, nec tu Flaminii magis illa putato,
Quam regis illuſtriſſimi,
Qui bello inſignis, pietate inſignior, hoſtes
Inter, ferociaque agmina,
Seu poſitis armis tranquilla pace quierat,
Amore ſancto percitus
Æterni regis laudes, & maxima facta
Tali canebat carmine.

IN LAUDEM
M. ANTONII FLAMINII
EPIGRAMMATA
Ab aliquibus BASILIO ZANCHO tributa.

I.

SAcra Syram canit ad citharam quæ carmina David,
Ad citharam hæc recinit Flaminius Latiam.
Utraque, docte, legens dices, In utroque relucet
Par linguæ candor, par pietas animi.
Creditur ille quidem ſancto ceciniſſe furore
Percitus: hic eodem digna furore canit.
Lectori eſſe rudi poterit ſed carior, eſt quo
Clarior obſcuro Davide Flaminius.
Magno magna Deo debetur gratia, cujus
Præclarum hoc magno numine ſurgit opus.

II.

SAncta Palæſtino quæ ſunt tibi condita verſu,
Edidit hæc doctus carmina Flaminius.
Hoc duce ſacra colent Muſæ jam templa Latinæ,
Hactenus a templis quæ procul abfuerant,
Errare in ſilvis aſſuetæ, ac montibus altis,
Turpis eas vatum quo furor impulerat.
Quam decet hac caſtas ornari veſte puellas!
Quamque decent ſanctas carmina noſtra deas!

Auſus

Auſus erit dein quiſquis eas violare profanus,
Obſcœno maculans ora pudica ſono,
Sentiet iratas merito ſævire Camœnas,
Flagitiique feret præmia digna ſui.
At tibi Pierides ſanctæ, divine Poeta,
Munera dent magna pro pietate tua;
Largius ut manans divina hæc vena ſalubres
Davidis e puro flumine fundat aquas.

I I I.

CYgnea Flaminii fuit hæc vox morte ſub ipſa
Quam ſanctus vates fudit ab ore pio.
Non hos verſiculos mendax huic Muſa, ſed almi
Dictavit verax Spiritus, oſque Dei.
Ut nihil illa canit niſi falſum, ita nil niſi verum
Divinus novit Spiritus iſte loqui,
Hauſerit hunc quiſquis, ſibi demanaſſe putabit
E cælo verum nectar, & ambroſiam;
Verſiculos tuncque hos longe ſuperaſſe Maronis
Sentiet, & docti carmina Mæonidæ,
Et quæ Flaminii celebrat nunc Roma poetæ
Carmina vel priſcis æmula carminibus;
Ille ſibi valde doluit quæ ſcripta fuiſſe,
Sanctus eum (poſtquam Spiritus hic monuit.

M. AN.

M. ANTONII
FLAMINII
CARMINUM SACRORUM
LIBELLUS; QUI ET OCTAVUS,
AD MARGARITAM
HENRICI GALLORUM REGIS SOROREM

I.

PUdica virgo, regiæ
Stirpis propago nobilis,
Ornata ſanctis moribus,
Et litteris & ingeni
Decore fulgens, ſcripſimus
Hæc, inſideret aridis
Cum longa febris artubus;
Iis addituri plurima,
Ni mens gravata corporis
Laboribus langueſceret.
Sed tu, puella candida,
Cæleſtis ardens ignibus
Amoris, ut mens augurat,
Libentius hunc perleges
Parvum libellum, ſed pium,
Quam priſca vatum carmina
Nugis referta inanibus.

II.

PRECATIO MATUTINA.

JAm noctis umbras Lucifer
Almæ diei nuntius
Terra poloque dimovet,
Simulque nos cubilibus
Monet relictis, pectore
Preces ab imo fundere
Ad templa ſumma cælitum.
Oremus ergo ſupplices
Fontem perennem luminum,
Ut ſicut omnes aeris
Illuſtrat oras, vivido

Sic

Sic noſtra corda repleat
Fulgore Sancti Spiritus,
Qui nos per hæc contagia
Puros ab omni crimine
Traducat ad cæleſtium
Sedes beatas. illius
Nutu gerantur omnia,
Cibumque ſive ſumimus,
Seu quid negotii foris
Tractamus, aut domi, intima
Seu mente quid revolvimus,
Id omne ſemper gloriam
Spectet beati Numinis.
Rector ſupreme cælitum,
Quæ mente tota poſcimus,
Hæc omnibus concedito
Qui corde puro te colunt,
Et unicum Natum tuum,
Cum ſempiterno Spiritu.

III.

PRECATIO MERIDIANA.

JAm Sol citato ſidere
Suprema cæli culmina
Percurrit; alma fervidis
Tellus caleſcit ignibus:
At tu beato lumine
Accende corda frigida,
Pater benigne, & omnibus
Tantos piorum ſenſibus
Ignes amoris excita,
Ut quidquid orbis continet,
Præ te ſit illis ſordidum;
Nec ulla vis hunc fervidum
Amoris æſtum temperet;
Sed uſque creſcens omnia
Convexa cæli tranſvolet,
Summoque Patri vinculo
Nos jungat inſolubili.
Has nos ab imo pectore
Precationes mittimus

Tuas

Tuas ad aures, maxime
Terræ polique conditor.
Tu vota noſtra numine
Dextro ſecunda, idque ad tuam
Concede nobis gloriam.

IV.

PRECATIO VESPERTINA.

JAm Veſper ortus incipit
Diem tenebris condere:
At nos parentem luminis
Sancti precemur, ne ſinat
Noctem ſuorum mentibus
Caliginoſam irrepere;
Seu dulcis alma recreat
Sopor quiete languida,
Seu linquit ille lumina,
Numquam recedat a piis
Lux ſempiterna cordibus;
Ut ſemper in dies magis
Magiſque detur maximi
Benignitatem Numinis
Videre mente lucida,
Et hinc amoris optimi
Ardere ſemper ignibus.
Supreme cælitum Pater,
Votis tuorum ſupplicum
Aures benignas admove,
Ut ſenſa cordis omnia,
Et dicta factaque ad tuam
Sic dirigamus gloriam.

V.

OPEM CHRISTI IN MAGNA ANIMI ÆGRITUDINE CONSTITUTUS IMPLORAT.

JESU benigne, fervidas
Precationes, & mea
Ne, quæſo, vota deſpice.
Ut terra Solis ignibus
Hiulca, ſic animus meus
Afflictus, æger, aridus

Dul-

Dulciſſimum rorem tuum
Exſpectat. o ſalus mea,
Refrigera mentem meam:
Metus, dolores, lacrimas
Muta perenni gaudio;
Ut hæ querelæ flebiles
Mutentur in laudes tuas,
Et vox agendis gratiis
Noctes dieſque perſonet.
Ne, quæſo, more judicis
Quid egerim, quid dixerim,
Quid cogitarim, pondera;
Peccata ſed mea omnia
Tuo cruore deleas.
Me vulnerum ſanet dolor
Tuorum; amara mors tua
Cordi meo dulcedinem
Inſtillet, ut meam crucem
Et fortis, & libens feram.

VI.

QUAM SINT BEATI QUI SUMTA SUA CRUCE CHRISTUM SEQUUNTUR.

Beatus ille qui ſuam
Tollit crucem quotidie,
Magniſque JESUM paſſibus
Sectatur! illum maximus
Cæleſtium Pater ſibi
Adoptat ultro filium,
Eique donat Spiritum
Peccata delentem omnia,
Hereditatis inclytæ
Pignus beatum. is intimo
In corde miros excitat
Patris amores optimi;
Hinc ille temnens omnia
Quæcumque tellus, & maris
Arena dives continet,
Lætatur unico Deo:
Hunc ſpem, ſalutem, gloriam
Suam, ſuumque gaudium,
Patrem, magiſtrum nominat;

La-

Latuſque ſemper dexterum
Sibi tegentem conſpicit,
Per hujus ut vitæ vias
Formidoloſas ambulet
Securus, & cari Patris
Benignitatem ſentiat.
Ergo nec illum territat
Humana vis, nec inferum
Furor tremendus. maximis
Periculorum caſibus,
Ut dura rupes turgidi
Tunſa procellis Hadriæ,
Immobilis ſemper manet:
Nec ceſſat ullo tempore
Hoſtes, amicos, patriam
Juvare, negligens ſui.
Sic ille vitam cælitum
Colens, perenni gaudio
Triumphat. impius, licet
Terræ mariſque ſit potens,
Pulchrumque nomen occupet
Felicis, eſt ſemper miſer.

VII.

COMPARAT ANIMUM SUUM FLORI.

UT Flos tenellus in ſinu
Telluris almæ lucidam
Formoſus explicat comam,
Si ros, & imber educat
Illum; tenella mens mea
Sic floret, a mi Spiritus
Dum rore dulci paſcitur.
Hoc illa ſi caret, ſtatim
Langueſcit; ut flos arida
Tellure natus, eum niſi
Et ros, & imber educat.

VIII.

EOS TANTUM BEATOS ESSE AFFIRMAT, QUI CETERIS OMNIBUS RELICTIS CHRISTO ADHÆRENT.

QUouſque vana ſomnia,
Falſaſque rerum imagines,
O cæci, amare pergitis?
Non forma vincens Nirea,
Non dives uſus purpuræ,
Non mens peragrans ſidera,
Campoſque latos aeris,
Mariſque, terraſque infimas,
Reddunt beatos. Unica
Felicitatis eſt via
JESUS, benignus omnium
Dator bonorum. currite
Omnes ad illum, currite
Fidenter. Ille deſerens
Amore noſtri cælitum
Sedes beatas, pertulit
Famem, ſitimque, & vulnera,
Mortemque diram. neminem
Faſtidit ille; perditos,
Ægros, malorum pondere
Preſſos juvare diligit.
Non ſic & optimum & unicum
Amant parentes filium,
Ut ille nos. O centies
Beatus ille, maxime
JESU, relictis omnibus,
Qui mente tota ſe tibi
In ſervitutem dedicat.

IX.

PRÆDICAT BENEFICIA A CHRISTO IN SE, ET CETEROS MORTALES COLLATA.

JESU beate, Numinis
Æterna proles maximi,
Quibus tuam clementiam
Efferre poſſim laudibus?

Tu pulchra linquens ſidera
Formata dextera tua,
Mortale corpus induis,
Ut ipſe terram deſerens
Suprema cæli culmina
Conſcendam. acerba vulnera,
Crucisque dira ſuſtines
Tormenta, ut ipſe callidi
Serpentis ore ſaucius,
Mortiſque certus, gaudeam
Vita potitus cælitum,
Tuoque factus munere
Tuus coheres. fac precor,
JESU benigne, cogitem
Hæc ſemper, ut ſemper tibi
Summoque Patri gratias
Agam, pieque vos colam,
Totaque mente diligam.

X.

QUID SERVANDUM SIT AMATORIBUS CHRISTI.

QUicumque JESUM diligit,
Humana diſcat omnia
Nil æſtimare. Diligens
Opes, honores, gloriam,
Amare JESUM puriter
Nequit. relinque cetera.
Unumque JESUM poſſide;
Nam quidquid eſt uſque boni,
Sic poſſidebis: lacrimas,
Metus, dolores pectore
Tuo fugabit. dulcia
Semper morantur gaudia,
Ubi moratur candidus
JESUS; voluptas unica
Eſt ille amantium ſui.
Quin mater & pater tuus
Te derelinquent; optimus
A dextera numquam tua
JESUS recedet, omnium
Fidus comes diſcriminum;

Et

Et cum ſuprema venerit
Tibi dies, te transferet
In ſancta regna cælitum,
Fruaris ut vita ſimul
Et ſempiterno gaudio.

X I.

EXPRIMIT ARDOREM AMORIS SUI ERGA CHRISTUM.

TE, SANCTE JESU, mens mea
Amoris icta vulnere
Suſpirat. O ſalus mea,
Me ſolve tandem vinculis
Iſtis, ut evolem tuam
Beatus ad præſentiam.
Fac interim magis magis!
Amore totus ardeam;
Ut pura mens a corporis
Contagione, amplexibus
Evadat aptior tuis.
Tu ſpes, voluptas, unicum
Cordis mei ſis gaudium.
Benigne JESU, da, precor,
Humana cuncta ſpernere
Te propter; omnia fac mihi
Te præter unum ſordeant.
Seu pulcher oras ætheris
Sol luſtrat almo lumine,
Seu nox benigno languida
Rigat ſopore corpora,
Domi, foriſque mens mea
Te quærat, invocet, canat,
Solumque felix in tuo
Dulci aquieſcat nomine.

X I I.

HYMNUS IN CHRISTUM.

JESUM pudicæ virgines,
JESUM juventus integra,
JESUM viri, ſenes, auus
Cantemus, in cujus fide
Lætamur eſſe, patrio

Qui nos amore diligit,
Fovetque. ſummi Numinis
Æterne Fili, ſiderum,
Terræ, mariſque conditor,
Nil vaſta cæli immenſitas,
Nil magnus orbis continet,
Non dextera factum tua.
Tu Patris in ſinu ſedens,
Alis, gubernas omnia;
Tu caritate maxima
Noſtræ miſertus miſeriæ,
Mortale corpus induis,
Diræque affixus cruci,
Nos morte vindicas tua
A ſempiternis ignibus:
Tu morte victam regiam
Reverſus ad tuam, ſimul
Tui colentes aurea
In parte cæli collocas.
Te cœtus omnis cælitum
Noctes dieſque concinit:
Te ſempiternus Spiritus
Salutis auctorem unicum
Teſtatur eſſe: tu quies,
Lumen, voluptas mentium,
Tu paſtor, agnus omnia
Peccata tollens, Pontifex
Æternus iram maximi
Sedare præſens Numinis.
Clemens, ſuavis, optime
JESUS, tuorum proſpera
Curſum benignus, ut ſoles,
Piaſque laudes ſuſcipe,
Quas ore puro fundimus.

XIII.

CHRISTUM INVOCAT

Magnitudine Morbi ſe jam opprimi ſentiens.

JAm quinta Lunæ cornua
Se luce complent, horrida
Cum febre membra tabida
Depaſcor, oſſa frigore

Tre-

Tremor furente concutit,
Dein æſtus acer intimas
Urit medullas, ut faces
Abſumit ignis aridas.
Jam corpus amiſi, mei
Vix umbra jam ſuperat. levis
Ut flos gravatus imbribus
Caput tenellum dejicit;
Sic mens miſella perdita
Cedit malorum ponderi.
JESU benigne, reſpice
Meos labores, dextera
Tua cadentem ſubleva.
Non illud ipſe jam precor
Meo recedat corpore
Hæc peſtis; unum id omnibus
Votis requiro, & obſecro,
Ut robur, & conſtantiam
Mihi miniſtres; languidos
Artus, medullas, omnia
Hic ignis oſſa devoret,
Dum mens refecta vivida,
Tuoque fortis ſpiritu
Reſiſtat, & ſemper tibi
Jucunda laudes concinat.
JESUS benignus, optimus,
Horrenda paſſus vulnera,
Dolentibus ſuccurrere
Eſt promtus. ægrimoniam,
Metus, querelas abjice
Fidenter, o anima mea:
Quieſce, nomen invoca
Dulciſſimum regis tui;
Eſt ille munitiſſima
Arx invocantibus eum.

X I V.

DOLET SE JAM SENEM FIERI, NEQUE TAMEN ADHUC CŒPISSE DEO EX ANIMO SERVIRE.

EHeu ſenecta crinibus
Jam ſparſa canet, labitur

Ætas, ut unda fluminis,
Artemque vellens pallida
Mors admonet, Miſer, ah miſer,
Quouſque pergis ſomnia,
Umbraſque vanas perſequi?
Jam jam ſupremi judicis
Tribunal ad juſtiſſimum
Siſtere cordis intima
Qui ſenſa, qui dicta omnium,
Qui facta novit omnia.
Hæc vera certa judicat
Mens, & relictis omnibus
Summo beato Numini
Servire totis viribus
Exoptat, ardet, nititur;
Sed heu miſella ſordidæ
Affixa terræ, inaniter
Laborat. Eja age ſubveni,
JESU benigne, ſubveni,
Tuamque dextram porrige,
Tu morte mortuum tua
Olim evocaſti ex inferis:
Nunc vita me vivum tua
Perire ne rurſum ſinat.
Humana fac ſpernam omnia,
Nudumque te nudus ſequar,
Et ponderoſi corporis
Me ſolve tandem nexibus;
Ut pura mens & integra
Ævo potita cælitum,
Te, ſancte, & optimum Patrem,
Et ſempiternum Spiritum
Laudare numquam deſinat.
JESUS ſuorum ſupplicum
Tutela, portus, gaudium,
Quæ mente tota deprecor,
Concedat: ipſe gratias
Agam benigno Numini,
Ejuſque laudes pectore
Lætante ſemper concinam.

XV.

X V.

QUAM SIT DULCIS, ET SALUTARIS VULNERUM ET TORMENTORUM CHRISTI ASSIDUA MEDITATIO.

JESU, tuorum vulnerum
Cruore ſancto paſcere
Me, quæſo, numquam deſinas,
Me ſanguis iſte roborat,
Dulcique replet gaudio.
Hoc eſt amoris poculum
Cæleſtis, omnes ſordidos
Pellens amores: ebria
Hac potione mens, ſui,
Et omnium fit immemor
Quæcumque mundus continet;
Deumque ſolum cogitat,
Tuumque amorem. fervide,
Immenſe, nulli effabilis
Amor, beatis ſedibus
Tu maximi Natum Dei
Deducis ipſique induis
Mortale corpus; aſperam
Dein tollis illud in crucem.
Amabilis, dulciſſime
Amor, meis in ſenſibus
Tantas amoris excita
Flammas, ut uſtis nexibus
His ponderoſi corporis,
Alis tuis ad optimum
JESUM beatus advolem.

X V I.

ORAT UT CHRISTI BENIGNITATE SIBI LICEAT PIE SANCTEQUE VITAM AGERE.

TUtela præſens omnium
Qui mente pura te colunt,
Da, quæſo, nil ut cogitem,
Agam, loquar quod Numini
Tuo placere non queat:
Comis, benignus in bonos

Maloſque ſim, ne degener
Sim natus optimi Patris;
Qui Solis almo lumine
Illuſtrat omnes, omnibus
Potum cibumque ſufficit.
Legum tuarum per vias
Me continenter dirige,
Bonique quidquid egero,
Id eſſe totum muneris
Tui ſciamque & prædicem.
Seu febris artus paſcitur,
Seu miles urit impius
Domum paternam, dicere
Laudes tibi ne deſinam;
Sed cuncta Numinis tui
Nutu regi nil ambigens,
Vivam quietus. filios
Dei ſecunda & aſpera
Juvent oportet. Gloriam
Tuam Patriſque maximi
Meæ ſaluti præferam;
Nec ulla res optatior
Queat mihi contingere,
Quam contumelias pati
Te propter. ipſa carior
Sit luce mors, ut corpore
Exutus ad tui volem
Regni beata gaudia.

X V I I.

GRATIAS AGIT CHRISTO, CUJUS BENEFICIO E MAXIMIS PERICULIS SIT EREPTUS, ET AD VIAM SALUTIS REVOCATUS.

O Lux beata cælitum,
Mortalium fidiſſima
Tutela, quas agam tibi,
JESU benigne, gratias?
Ut olim aberrans aggere
Ovis miſella, ſaltibus
Formidoloſis delitet,
Voranda mox rapacibus

Fe-

Feris; miſerrimus omnium
Sic ipſe per mala omnia
Cæcus ruebam; candida
Cum lux beati Spiritus
Tui refulſit, & viam
Quæ ducit ad felicium
Æterna regna cælitum
Monſtravit. iſta lux meæ
Mentis tenebras diſpulit:
Cordi meo dulciſſimi
Faces amoris iſta lux
Infixit. illo ex tempore
Te, ſancte, totus ardeo,
Te quæro amore ſaucius:
Videre vultum candidum,
Tuis frui complexibus
Mens ardet; ipſa jam nihil
Te præter unum, cogitat.
Non ſic decentem virginem
Furens amator deperit;
Non ſic tenellum filium
Parens uterque diligit.
Amoris æſtu liquitur
Cor molle, ut olim fervidis
Percuſſa cera ſolibus.
O flamma mentem frigerans,
Omneſque labes excoquens
Me ſemper in dies magis
Incende, perge adurere,
Conſume, totum verteris
Me donec in faces tuas.

X V I I I.

QUERITUR, MAGNAM HOMINUM PARTEM RELICTO CHRISTO REBUS INANIBUS STUDERE.

JESU beate, ſi tuo
Amore ſancto perfrui
Quam dulce ſit cognoſcerent
Qui res inanes diligunt,
O quam ſuæ dementiæ
Tæderet ipſos! Vulnera

Acerba corporis tui
Tanta fluunt dulcedine,
Ut quiſquis illa ſuxerit,
Opes, honores, omnia
Amata jam faſtidiat,
Deique ſola gloria
Lætetur oblitus ſui.
Sed cæca gens his fontibus
Præfert lacunas putidas
Et peſtilentes. Gratia
Magna tibi, JESU maxime,
Qui me tuo puriſſimo
Lavas, aliſque ſanguine.

X I X.

PRÆDICAT, SE SINE TUTELA CHRISTI IN MALA OMNIA PRÆCIPITEM RUERE.

TE Sancte JESU, ſupplicì
Adoro corde, cor tibi
Meamque mentem dedico,
Ut bimulus puer, ſua
Cuſtode ſi caret ſibi
Magna creat pericula;
Sic ipſe, ſi deſit tui
Tutela præſens Spiritus,
In cuncta præcipitem mala.
Dulcis, benigne Spiritus,
Me, quæſo, totum poſſide,
Tuaque flamma incendito
Amore cor; illumina
Mentis tenebras; excoque
Quodcumque inhæret noxii.
Fac, ſemper in te gaudeam;
Opes, honores ſordeant,
Summique Patris gloria
Sit luce carior mihi.
Seu paſcit hortus lumina
Florum colore gemmeo,
Seu fons ſuſurrans vitreis
Delectat undis, illico
Vox ſurgat in laudes Dei.
Sol, Luna, fulgor ſiderum,

Lap-

Lapſus perennes amnium,
Formoſa ſilva, frugibus
Ager redundans, omnia
Quæcumque cerno, maximam
Sancti beati Numinis
Benignitatem cernere,
Manuque tractare faciant.
Hinc ipſe diſcam comiter
Omnes juvare, nemini
Nocere; purus, integer
Deoque carus exigam
Quod reſtat ævi; tranſvolans
Dein ſumma cæli ſidera
Fruar perenni gaudio.

X X.

DE ARDENTI AMORE SUO ERGA CHRISTUM.

AMore totus langueo,
Nec ulla jam datur quies.
JESU benigne, jam meam
Solare mentem, candidos
Oſtende vultus, lumine
Tuo beata lumina
Fac mea, nec oſculum, precor,
Amans amanti denega.
Tu ſponſus es animæ meæ;
Te quærit illa lacrimis,
Te continenter invocat:
Tu, ſancte, mortis e manu
Tuo redemtam ſanguine,
Tuique amore ſauciam,
Odiſſe certe non potes.
Ergo miſella cur tuæ
Dulcedinem præſentiæ
Non ſentit? ah cur ſupplices
Venti querelas diſſipant?
Sed tu licebit anxio
Amantem amore torqueas,
Non illa amare deſinit.
JESU, tui tabeſcere
Amore res dulciſſima eſt.

X X I.

COMMENDAT ANIMUM SUUM DEO

Magnitudine morbi in extremum vitæ periculum adductus.

REctor beate cælitum,
Qui ſic amas mortalium
Salutem, ut almi filii
Cruore ſancto laveris
Peccata eorum; ſuſcipe
Servi precantis ſpiritum,
Qui fretus unica tua
Benignitate languidos
Artus libenter deſerit,
Ut alta cæli ſidera
Petens fruatur, optime
Pater, tua præſentia,
Et ſempiterno gaudio.

X X I I.

A D C H R I S T U M.

ALme puer, ſanctis quem Virgo amplectitur ulnis
Virgo cæleſti Numine facta parens,
Cernis, ut exiles febris mihi paſcitur artus?
Cernis, quam ſævus concutit oſſa tremor?
Quem ſequitur miſeras exurens flamma medullas,
Urit ut arentes lucida pruna faces.
Tu puer, æternus cui dat Pater omnia poſſe,
Tutela humani, ſancte puer, generis;
Si labefacta gravi ſub pondere tota recumbit
In te uno famuli ſpeſque ſaluſque tui,
Aut morbum pelle, aut vires mihi ſuffice, tanta
Queis poſſim læto pectore ferre mala.

M. AN-

M. ANTONII FLAMINII CARMINA QUÆDAM.

DE FONTE QUODAM OPTIMO.

SI te per æſtum fervida premit ſitis,
Hoc fonte dulci nil ſalubrius bibes:
At ſi lavare frigida corpus juvat,
Hoc fonte puro nulla lympha gratior.

I I.

DE VIA AD VITERBIUM INSTAURATA.

VIator, hanc equis viam pæne inviam,
Jubente PAULLO Tertio, Reſpublica
Viterbienſis reddidit facillimam.

I I I.

DE EADEM.

QUod pacis ergo magna itinera ſuſcipis,
Terra marique, Paulle maxime, hanc viam
Viterbienſis civitas, factam ſuo
Sumtu, merenti grata dedicat tibi.

I V.

DE DELIA FORMA FARNESII CAPTA.

FARNESI rapidæ domino venante Lacænæ
Commorant celeres per juga ſumma feras:
Forte ſuperveniens Juvenis cum Delia dextram
Impulit, obſtupuit, erubuitque gena:
Et me quam Latmii, dixit, nunc pœnitet alti!
Hoc poteram melius Endymione capi.

V.

DE BASIORUM AMICÆ EFFICACIA.

SI me formoſæ ſanarunt baſia divæ,
Et de nectareis oſcula ſumta labris;
Cur te non ſanant formoſæ baſia divæ,
Et de nectareis oſcula ſumta labris?

V I.

DE JULIÆ OCELLIS.

IN me cum dulces convertit Julia ocellos,
Tunc vivum, tunc me dixeris eſſe aliquid:
A me cum dulces avertit Julia ocellos,
Tunc morior, tunc me dixeris eſſe nihil.

V I I.

DE MOLSA, QUEM MORTUUM PUTABAT.

QUod te defunctum flerim, falſoque ſepultum
Crediderim, hæc noſtri ſigna doloris erant.
Aſt modo, quod vivas, mihi gaudeo, gratulor orbi:
Sic Pylios vivas, Euboicoſque dies.
Tu, puer, i, & templo pictam ſuſpende tabellam:
Penſa hanc pro Molſa ſoſpite & incolumi.

V I I I.

DE EODEM.

RUmor erat periiſſe frequens te, quiſq; & ademtũ
Credidit: hinc queſtus, hinc lacrimæ, hinc ge-
(mitus.
Et quis non fleret Molſam, quo ſoſpite tantum
Etruſca, & Graja, & lingua Latina valet?
Gratia magna Jovi, quod vivas; maxima Phœbo,
Quem timui, ah, vatem deſeruiſſe ſuum.
Perlege, nec pudeat de te quodcumque notabam
Credulus: hoc noſtri pignus amoris habe.

I X.

NOn vivam ſine te, mi Brute, exterrita dixit
Porcia; & ardentes ſorbuit ore faces.
Davale, te exſtincto, dixit Victoria, vivam,
Perpetuo mæſtos ſic dolitura dies.
Utraque Romana eſt, ſed in hoc Victoria major;
Nulla dolere poteſt mortua, viva dolet.

M. ANTONII FLAMINII CARMINUM FINIS.

SB.

SELECTA ILLUSTRIUM POETARUM DE M. ANTONIO FLAMINIO TESTIMONIA

JO: ANTONIUS FLAMINIUS PATER.

NAte, decus patriæ, generis laus ampla, tuique
Certa quidem ſpes, & gloria ſumma Patris,
Accipe qua debes, & qua pietate parentis,
Es ſolitus ſemper dicta verenda tui.
Pæne puer Romam es genitore volente profectus,
Idque tibi felix, & mihi ceſſit iter.
Sic tamen, ut, poſtquam Decimo data noſtra Leoni,
Et tua cum noſtris munera juncta forent,
Unicus ad carum mea per mandata parentem
Speratam votis ingrederere viam:
Dis aliter viſum: nec pœnitet iſſe, nec umquam
Ægre, quidquid erit, mens ferret illud iter.
Magna tibi parta eſt Italum jam fama per orbem,
Inque dies nomen creſcit ubique tuum.
Ergo quod cupiam, quando ſic fata tulerunt,
Non longum eſt, nec te vota paterna latent.
Ne tua mutetur vivendi formula, ſitque
Præteritæ ſimilis vita futura, face.
Sic decus augebis: ſic gloria cœpta vireſcet,
Fama nec extremum ſentiet iſta diem.

IDEM.

SCripta tibi libro duplici jam plurima ſunt, quæ
Silvarum titulo conveniente vocas:
Juncta meis Decimo quæ per te miſſa LEONI
Perpetuum nobis jam peperere decus.
Nam Pater ipſe Patrum magna nos laude ſecutus
Extulit ingenti vocis honore ſuæ.
Famaque per Latium paſſim jam fuſa perennis
Viri-

Viribus exemptum mortis utrumque facit.
Quid potuit majus noſtris contingere votis?
Gratia quæ ſtudiis major habenda fuit?
Præmia ſunt nullis intermoritura diebus,
Tollere quæ ferrum, nec queat ignis edax.
Hæc pluris, fili, tibi ſint & divitis Hermi,
Quam quod & auriferi verſat arena Tapi.
Sic igitur vivent, ſic parta laude virebunt,
Nomina nec Stygiis noſtra prementur aquis.

JO: ANTONIUS VULPIUS COMENSIS,

De M. Antonio Flaminio, qui putabatur mortuus ad Franciſcum Taurellum.

TAurelle, optime mi patrone, & idem
Olim in Urbe ſodalium meorum
Prime, FLAMINIUS tuus, meuſque,
Quem cuncti modo, mortuum putantes,
Luxerunt juvenes, bonum ut parentem,
Luxeruntque ſenes, bonum ut ſodalem,
Vivit, atque valet, Deo favente;
Quem ſancte coluit, pieque ſemper.
Sic eſt. FLAMINIUM meum, tuumque
Viventem alloquor, audio loquentem
Illa nectare dulciora verba,
Dicentemque gravedini ſalutem,
Vitæ dicere quam antea parabat.
Verum, ne auxilio medentum, & arte,
Aut labore putes eum retentum
In vita. jam animus ſolutus arto
Nexu corporis incolebat aſtra,
Nil mortale videns, nihil caducum:
Sed; nobis fuit ille reſtitutus
Votis & precibus mei Priuli.
Namque adferre ſolent Deo ſupremo
Vim vota, atque hominum preces piorum.

BASILIUS ZANCHUS.

IMparibus ludit numeris dum carmina doctus
FLAMINIUS, Lyricis ſolvit & ora modis;
Obſtupuere undæ Libethrides: audiit ipſe
Pieridum rector, Pieridumque chorus:
Et dixit: Mea progenies, mea munera, & artes
Do tibi: Muſarum ſceptra ſecunda geres.

IDEM.

IDEM.

MIraris quicumque mei nova carmina lector
Flaminii, & Phœbo digna canente putas,
Quid faceres, ſi nota tibi probitaſque pudorque,
Qualis Saturno regna tenente fuit?
Hunc reſonat Romana cavis e collibus Echo;
Et Vaticani Numinis aura fovet.

ACHILLES PHIL. BOCCHIUS

Reſpondet Epigrammati XXIX. libri II. Carminum M. Antonii Flaminii.

NOſtri floſcule ſæculi, decuſque
Vatum, & deliciarum ocelle, Marce,
Si Achillem tibi vis ſuos ocellos,
Seu quid carius eſt ſuis ocellis,
Debere, unanimum ut decet ſodalem,
Noli conqueri amabo, nec putare hunc
Vecordem uſque adeo, ut tuos amores
Lucejum inſidiis laceſſat umquam;
Namq; hœc unanimum haud decet ſodalem.
Sed nec te unanimum decet ſodalem
Non confidere tam bono ſodali,
Qui te plus oculis ſuis amavit
Semper, pluſque oculis ſuis amabit,
Donec ſpiritus hos amabit artus.

IDEM.

SAlve, o prime ſodalium meorum,
Jucundiſſime MARCE, Marce tantum
Exſpectate mihi, omnibuſque amicis,
Veniſti ne tuum reviſum Achillem,
Penateſque ſuos, ſuumque patrem?
Veniſti. o ter & amplius beatam,
O dignam niveo diem lapillo!
Te ne ego aſpicio, alloquorque? an iſta
Per ſomnum video? quid ajo demens?
Immo te aſpicio, alloquorque præſens
Præſentem. En cape tamdiu negatos
Amplexus veteris tui ſodalis.

JO-

JOANNES PLAZZONUS.

FLebat adhuc cari Benacus morte Catulli,
Crudeles referens per vada mæſta deos;
Cum tandem undiſonæ cantantem margine ripæ
Senſit ſuaviloquo carmine FLAMINIUM.
Ac Deus hæc: Jam flete nimis vale, amice Catulle,
Non mors, ſed rapuit te mihi FLAMINIUS.

BERNARDINUS PARTHENIUS.

PEndentem propere lyram
De clavo, pueri, tollite eburneam.
Informem ut nimium ſitu
Turpavit caries, & latebras ſibi
Intus duxit aranea!
Nam ex quo me juvenum ſurripui choris
Nec convivia virginum,
Nam rixæ faciles, aut teneri amplius
Oblectant animum joci,
Ex illo Pholoe mi excidit, æſtuans
Veniſque intepuit calor.
Nam primum memini, ſeu raperet diem
Nigris Cynthia cornibus,
Seu Phœbus nitida luce reviſeret
Terras Tethyos e ſinu,
Cantando Pholoen [ah nimium ignibus
Ingratam Pholoen meis!]
Frondentis platani condere neſcios
Ramis ſub patulis dies:
Nunc in gramineo ceſpite, garrulo
Qua Lymphæ trepidant pede,
Lymphæ Flaminii numine, queis vagos
Immenſi æquoris in ſinus
Tectus non Atheſis populeis comis,
Tauri fronte ſuperbiens,
Aut umbroſa ſecans glauca liquentium
Splendor Mincius amnium
Urnam nobilior fuderit auream.
Salve, Meſule, ter, pater,
Sertis Cæſariem necte virentibus,
Incurvaque canens lyra
Hic mecum e thalamis inſtrepe vitreis:

Di-

Dicamus merita fide,
  Rupes quæ aeriæ, quæ liquidi lacus,
Argutæque procul nigris
  Innatæ reſonent montibus ilices.
Dum valles, quibus emori
  Optavit, repetit Flaminius ſacras,
Nympharumque cubilia,
  Et ſecreta deorum penetralia
Agreſtum, imperia ex quibus
  Non regum, aut nitido marmore lucidæ
Aulæ, non tremulæ inſulæ
  Pendentes bifido e vertice, non amor
Nullum non rapiens amor
  Ardentis Tyrio murice purpuræ
Divellant. amet hic, latens
  Nympharum in gremio, puniceas roſas
Inter degere, ubi ſpecus
  Umbroſi, & gelidis fontibus inſtrepit
Lympha argentea, roſcidum
  Qua gramen, ſitiens dum Canis excoquit
Sole ardente alibi ſata,
  Non rores teneros, non riguas aquas,
Non cælum pluvium invocat.
  At rident ſcatebris uſque recentia
Vivis mollia pabula,
  Nec ponunt violæ urente meridie
Tutæ purpureas comas.

Feſtos auricomæ hic tibi
  Luſtrant in numerum Najades choros:
Hic lenes Zephyri tibi
  Impellunt ſolito blandius arbutos,
Vates, Pieridum decus.
  Umbras quis gellidas Palladis, antraque hæc
Muſcoſa, hos latices ſacros,
  Hos lucos, tenera hæc gramina neſcia
Curarum, laquearibus
  Permutare velit Pontificum aureis?

SAL-

SALMONIUS MACRINUS.

NOn mirabilibus caruere hæc tempora monſtris:
Te pariunt hominem namque ea tergeminum.
Flaccus, Ariſtoteles, Cicero ſunt, Marce, renati,
Qua primum enixa eſt te tua luce parens.

FRANCISCUS VINTHA.

ET Grajæ, & Latiæ pariter periere Camœnæ,
Ipſarum exſtinčto lumine FLAMINIO.
Proh dolor! & ſecum probitas, pietaſque recumbunt
Tot bona quare uno funere mors rapuit?

FRANCISCUS ARSILLUS SENO-GALLIENSIS.

ESt & Flaminius nimium ſibi durus, & atrox,
Cujus avena poteſt ſcribere quidquid avet.

JOANNES CASA

Ad manes Flaminii.

FLaminii Manes, inſtar mihi numinis, umbra
Flaminii, hæc campis cernis ab Elyſiis?
An tibi, quæ noſtri fuerat tam fervida cura,
Cocytus nigris eluit amnis aquis?
Tu ſolitus Priulique auſus compeſcere inanes,
Et molli verſus frangere voce truces.
At nunc ille malo Galateum carmine vexat,
Et ſanctum nobis pellit ab Urbe virum.
Tu ne auſus, Priuli, Galateum pellere ab Urbe:
Aſperaque in dulcem dicere verba ſenem?
Tu ne auctor, Romæ montani ut munera vici,
Fumoſi ut curam præferat ille laris,
Aureus ille ſenex, vitæ cui licia Parcæ,
Intacta ducunt candidiora nive?
Qui nec principibus, Urbi nec ſcilicet ægræ
Formidet medicas adplicuiſſe manus;
Quemq; adeo nemorum cuſtos, pecoriſque magiſter
Mandarit ſacro ſummus adeſſe gregi;
Hinc eat, & fuſcas ignoti ad flumina Melphæ
Paſcere cum vili conjuge pergat oves?
Quid ſi animis juvenumque ſenumque eſt illius æque
Dulcior Hybleis alba ſenecta favis?

Qui 1

Quid ſi illum retinent quicumq; Amaryllida curant,
Hujus ad exemplum peccet ut illa minus?
Uxorē hunc tamen ad vetulamq; humilemq;releges,
Frigida ut in viduo ne cubet illa toro?
Quæ puras pridem didicit perducere noctes,
Et monitis caſta eſt, & proba facta viri.
Sed tu, FLAMINII potius jam nobilis umbra,
Et multum inſigni conſpicienda lyra:
Ni te cæca hujus cepere oblivia lucis,
Cum tibi Mors avidas intulit atra manus;
Huc ades, & Priulum compeſcas; nam male nobis
Jamdudum inſolito verſus in ore ſonat.

JO: BAPTISTA PIGNA FERRARIENSIS.

NYmpharum decus, o Flamini, Apollinis,
Curſum qui rapidi carmine Tybridis,
Spirantemque morari Boream potes:
Nec non præcipitem Notum;
Qui lenis cithara, ſint licet aſperæ,
Tigres, atque ferarum genus omnium.
Latinoque movens pectine barbaros,
Mulces corda virum impia.
Si ſic dum canis, & ſiſtere flumina
Poſſis perpetuo, & nubila tergere
Cum venti celeres undique perſtrepunt,
Et ſedare animos probe,
Plectro tange lyram; dicque modos, quibus
Crudelis nimium ſævaque Lygida
Sic aures modo amicas ſatis applicet,
Ut jam ſit mihi lenior.
Nam ſi feceris id, te mage redditum
Cognoſces celebrem, teque magis pium,
Quam ſi verſiculis, arteque barbiti
Placaſſes rabiem maris.

IDEM AD BARTHOLOMÆUM RICCIUM

De M. Antonio Flaminio Defuncto.

RIcci, quid, o quid fletibus irrigas
Vultum moleſtis; funera FLAMINI
Acerba cogitans fuiſſe,
Et nimium lacrimoſa cunctis?
Cur tot modum nullum gemitus habent,

Umquam nec abſunt, ſed tibi maxime
Surgentibus ſurgunt tenebris,
Et redeunt redeunte Phœbo?
Caſum parentis Tantalides fleant:
Manetque ſemper per Lapithum genas
Humor, nec umquam ſint quieti,
Sed Phlegyam Tityonque plorent.
Se maceret cari nece filii
Rex aſper in ventos dominus. ſuis
Mors imperatoris moleſta
Militibus ſitientis aurum.
Hos namque vexant Tartara perditos:
Solum videntes hi Stygias faces,
Doloribus certis premuntur,
Suppliciis cruciantur omnes.
Terrena linquens Flaminius loca
Ad cælites e carcere noxio
Volavit; & ſedes beatus
ſidereas petiiſſe gaudet:
Gaudet, ſuum ſe cernere Davidem,
Qui libat illi baſia nectare,
Vultu ſereno, dulciora,
Ambroſiæ madefacta ſucco:
Gaudet, ſuum ſe tangere barbiton,
Ad quod Latino carmina pectine
Canens, Palæſtinos ſolebat
Ingenio penetrare verſus.
Rex monſtrat illi, quæ ſuperum loca,
Quæ fixa cælo ſidera, motibus
Quæ pulſa, quæ dicenda voce,
Quæ citharæ celebranda chordis.
Ambo Deum ſic tollere laudibus
Docti, ſonoris & fidibus lyræ;
Hunc rite concinunt, & ipſum
Ante Patrem ſpatiantur ambo.
Quod ſi ſupremis hic fruitur Dei
Templis, in illo vivus, & aſpicit
Quæ noverat; ſi lætus hinc eſt,
Hinc fugiens procul eſſe tandem:
Cur iſta, Ricci, te exanimat dies
Mens triſtis omnes neſcia ponere
Tot mollibus modum querelis?
Cur ſocium periiſſe ploras?

IDEM

IDEM IN OBITUM M. ANTONII FLAMINII.

HIc hic Flaminius jacet, viator.
Ille Flaminius decus Latinum;
Dulci qui ad citharam ſono canebat
Non luſus Veneris, Cupidiniſque,
Non contra ſuperos minas Gigantum,
Sed faces animi beatiores,
Sed mentes hominum Deo ſacratas.
Hic hic eſt tamen ille morte preſſus:
I nunc, & pia tura da, viator,
Si bonis eadem maliſque Clotho.

ADRIANUS CRIBELLUS MEDIOLANENSIS

Ad Lectores de M. Antonio Flaminio, & Pub. Franciſco Spinula.

QUi merito Cæli Regem flagratis honore
Tollere, & in laudes labra aperire ſuas,
Deſinite Iliados pugnas, everſaque regna,
Pergamaque Argolicis diſcere aduſta focis:
Nil juvat his celeres inſumere vatibus horas;
Somnia nil præter pernicioſa canunt.
Præſtat, adornatum regali Davida ſerto
Audire hymniſona mira referre lyra,
Ut varium ſtellis opifex perfecerit axem,
Ut ſteterint juſſu cuncta elementa ſuo;
Ut liceat letum fugere, & nigri atria Ditis,
Elyſioque, choris Cælicolumque frui.
Flaminius lyrico cuncta hæc modulamine profert,
Spinulaque; Aonii lumen uterque chori:
At fuit amborum quoniam mens una canendi,
Una ſit amborum gloria, & unus honor.

A. CALEMERUS PLANTINIDA

Ad M. Antonium Flaminium.

FAtum dolebam, FLAMINI vates, tuum,
Noſtramque jacturam omnium graviſſimam,
Quod cœpta non exegeris promiſſaque;
Ut omnis audiret Latina ora integrum
Quiritium plectro canentem Davidem,

Quod

Quod ipſe Flaccus nec valeret eloqui,
Si Chriſtianæ deditus Muſæ foret.
Sed jam Deum benignitate deſino
Dolere, qui humanum genus ſic temperant,
Ut quod nequiveris per obſcuras feræ
Mortis tibi injectas manus abſolvere,
Id Spinulæ ſuo imperarunt, FLAMINI,
Ad hoc creato, ut perficiat opus tuum;
Ut quæ reliqua ſunt Davidis poemata,
Per Italas urbes tua canat lyra:
Quæ Publius præſtaret ut feliciter,
Communicarunt ſpiritum Dii cum hoc tuum.
Qua de re ego ingenti triumpho gaudio,
Triumphat omnis civitas Inſubrium,
Triumphat Europa; & tui manes ſimul
Cum illis triumphent & cinis; quandoquidem
Per Spinulam novis nitentem floribus,
In gratiam ſui, & ſacroſancti gregis,
In Numiniſque gloriam auguſtiſſimi,
Voti tui fecere te Dii compotem.

JO: MATTHÆUS TOSCANUS.

PUram FLAMINIUS Latinitatem
Ter quinis prope ſæculis ſepultam
Excitavit ab Inferis, & arte
Mira reſtituit ſuo nitori
Eidem, quem prius obtinebat illo
Sæculo Ciceronis, & Maronis.
Gaude, Roma nitens, beata, gaude.
An quidquam poterat tibi obtigiſſe
Inſperatius hoc, beatiuſve?
Nam quod fata tibi dedere avara
Olim permodicos fruendum in annos,
Poſt commercia fæda barbarorum,
Tot incendia, totque poſt ruinas,
Linguæ monditias politioris,
Et flores nitidæ tibi loquelæ,
Felix FLAMINII reduxit ardor:
Qui ſacris ſtudiis parem dicavit
Curam: ut nec magis hoc pius poeta,
Nec myſtes fuerit magis diſertus.

GA-

GABRIEL FLAMINIUS FOROCORNELIENSIS

In obitum M. ANTONII FLAMINII PATRUI SUI.

TE Gemit exſtinctum formoſi mater Amoris,
FLAMINI, & exſtinctum Muſa Latina gemit;
Illa ſuos uni dederat tibi dicere luſus,
Auſoniæ dederat hæc decus eſſe lyræ.

IDEM AD M. ANTONIUM TURRIANUM DE M. ANTONIO FLAMINIO PATRUO SUO MORTUO

FLebile nil quamvis reſonent niſi carmina noſtra,
Et mens innumeris æſtuet icta malis,
Poſtquam ſæva deæ torquentes ſlamina Parcæ
Diripuere meum, Pieridumque decus:
Poſtquam pallidulos ducens mors impia queſtus,
FLAMINIUM campos miſit in Elyſios;
Attamen & virtus, & vivida fama ſuorum
Languentis minuit mæſtitias animi;
Et ſuadet dulces Muſarum exprimere cantus,
Paulliſperque undas tangere Caſtalias.
Scilicet afflictos, miſero & ſquallore jacentes
Aſpiciunt placidis numina luminibus.

FRANCISCUS DENALIUS

QUid facis, Gabriel, quid in beato
Ocio facis? an Thalia dictat
Quid inter Satyros tibi petulcos,
Inter & Dryades cavis in antris
Dignum FLAMINIO tuo? jocoſi
Cujus Hendecaſyllabi, & diſerti,
Cujus & ſimul Attici lepores
Vivent, dum tenui rigabit herbas
Rore Memnonis alma mater, & dum
Piſcis flexivagus revolvet undas.

JOANNES CARGA,

Flamini lepidiſſime, expolita
Tua carmina ſæpius relegi,
Et ſi quid potui videre, vidi
In ipſis [me ita ament dii] beatum
Candorem PATRUI tui, & leporem,
Et venam omnigenam, & ſales repoſtos,
Et rerum ordinem, & elocutionem,
Et quæ maximus omnium Poeta
Præſefert PATRUUS tuus........

FINIS.

JOANNIS COTTÆ *VERONENSIS.* CARMINA

I.

AD LYCORIM.

AMo, quod fateor, meam Lycorim,
Ut pulchras juvenes amant puellas.
Amat me mea, quod reor, Lycoris,
Ut bonæ juvenes amant puellæ.
Huic ego, ut ſemel hanc videre viſus
Se ſe oſtendere fixiore ocello,
Quando, inquam, mea lux, mei laboris
Das mi præmiolum? meique cordis
Tot incendia mitigas, Lycori?
Hic illa erubuit, ſimulque riſit.
Ridebat ſimul, & ſimul pudebat.
Dumque molliculos colens amores
Colit virgineum ſimul pudorem,
Quid negem tibi, dixit? & capillum,
Qui pendens levibus vibratur auris,
Et formoſa vagus per ora ludit,
Hunc ſecans trepida, implicanſque in auro,
Hæc fila aurea, & aureum capillum

Pi-

Pignus, inquit, habe meique amoris,
Meique ipſius: hoc tuum puellæ
Tuæ pignore lenias calorem.
Eheu quid facis? hei mihi, Lycori,
Hæc ſunt flammea texta, non capilli:
Sunt hæc ignea vincla; ni relaxes,
Qui tanto valeam valere ab æſtu?
Anne ignem juvat ignibus perire?
Comæ flammeolæ, ſubite flammas:
Crines igneoli, venite in ignes:
Sat me, flammea vincla, nexuiſtis:
Nunc vos ſolvimini, & ſubite flammas;
Uſſiſtis nimis, ignei capilli,
Nunc vos urimini, & valet in ignes.
Hos meos age lætus ignis ignes
Perge exſtinguere, tuque flamma, flammam
Exedas, mea corda quæ exedebat.
At tu, ſic reliqui tui capilli
Vernent perpetuum tibi, Lycori:
Quod tuos ferus uſſerim capillos,
Parce: nam volo amare, non peruri.

II.

AD LYCORIM.

O Factum lacrimabile, atque acerbum!
Nunc certe lacrimaberis, Lycori:
Digna res lacrimis, tuoque luctu.
Namque lumina noſtra, lumina illa,
Illa lumina, quæ, Lycori, amabas,
Quæ tuis ſolita anteferre ocellis,
Non ſunt, o mea lux, amanda ut ante;
Non ſunt lumina, ſed malæ tenebræ.
Illa, ut impia fata te, Lycori,
Abſtulere mihi, tuoque longe
Me a vultu voluere abeſſe caro,
In rivos abiere lacrimatum:
Quodque amarius, atque præter omnem
Lacrimabile cogitationem.
Quantumcumque habuere lacrimarum,
Jampridem evomuere: nunc ad ipſum
Ventum eſt ſanguinem, ab intimoque cordis
Ducto flumine turgidi, horridique

Sanguinem lacrimant miſelli ocelli,
Et cum ſanguine amata diffluit lux;
Ac ſic enecuere ſeque, meque,
Dum meum miſeri igneum furorem
Quærunt diluere, & rigare mentem,
Heu mentem, Enceladi, Typhoeique
Æſtuoſa anima æſtuoſiorem.

III.

EPITAPHIUM QUINTERII.

ME longe effigie venuſtiorem
Narciſſi, vel Apollinis comati
Parcarum Lacheſis nimis ſevera
Iſti Quinterium dedit ſepulcro.
Cur non floſculus exeam, requiris,
Quum tantum fuerim puer decorus?
Tellus eſt nimis arida, o viator,
Noſtri facta peruſtione amoris:
Sed ſi lacrimulis tuis madeſcet,
Forſan flos novus ibit e ſepulcro.

IV.

AD NAUGERIUM, ET JO: BAPTISTAM TURRIANUM.

JAm valete, boni mei ſodales,
NAUGERI optime, tuque, amice TURRI,
Vere candidi, & optimi ſodales,
Quos numquam ſat amaverim, licet vos
Quam fratres mage, quamque me ipſum amarim.
Quibus perpetuum frui per ævum,
Vota ſi mea Dii audiant benigni,
Sit una ampla animi mei voluptas.
Quod quanto cumulatius futurum eſt,
Una ſi liceat mihi beatis
Veſtri colloquiis adeſſe BEMBI!
Verum dura neceſſitas repugnat,
Invitumque alias adire terras
Cogit, atque alios parare amicos.
Vos ergo memores meo eſſe veſtri
Fixam in pectore imaginem, bonamque
Vobis partem animæ meæ relinqui,
Jam valete, boni mei ſodales.

V.

V.

AD GEVARAS FRATRES.

Ridete, o lepidi mei GEVARÆ,
Et veſtri facinus probate COTTÆ.
Dum ſuæ Anyſius mihi puellæ
Partem pernegat, hunc ego a puella
Huc in exſilium ad Caloris amnem
Traxi blanditiis, boniſque verbis,
Quaſi ad delicias novas vocarem.
Hic hunc molliculum, atque delicatum
Probe teſtibus, arbitriſque vobis
Apici volo macerare in æſtu,
Uſto ut ore, peraridoque vultu
Reverſum tenera horreat puella.
Sic evenit Anyſio, quod ajunt,
Tota perdere, tota qui requirunt.

VI.

AD ANYSIUM.

AMbo dulcia [ne verere] & iidem
Salſa ſcribimus ambo, docte ANYSI.
Scis quæ, uti ſumus uno amore juncti,
Uno carmina ſcribimus libello:
Scis cervum quoque, quem ſibi educarunt,
Suum ut Silvia delicata virgo,
Noſtri filiolæ boni Gevaræ:
Ille tam cupide illa devoravit,
Ut omni ſale ſalſiora, & omni
Poſſes noſcere dulciora melle.
O teſtem lepidum, bonique ANYSII
Raram carminis approbationem!

VII.

AD CALOREM FLUVIUM.

O Celle fluminum, CALOR, CALOR pulcher,
CALOR bonarum cura, amorque Nympharũ,
Quem cærulum fovens caput ſinu blando
Montella ſecum amore vincit æterno;
Dic o mihi amnis conſcie, anne nunc forte
Pulchra ille, ſimplexque adeo, & omnibus felix

Soluta curis mea Rubella per ripas
Tuas oberrat? & vel ex odoratis
Pingit corollas floribus, vel in denſa
Silva ſibi ſuavi ſopore blanditur?
Anne potius cum æqualium choro ludit,
Qua primum oriris ipſe, quaque miſcetur
Nitens nitenti Balnius Politinæ,
Tuoſque læti confluunt in amplexus?
Argenteumque pedem, atque nuda formoſos
Artus per undam, & aureum lavit crinem?
Sic eſt: ibi illa membra eburnea, atque ipſas
Papillulas beata frigeras lympha:
Atque inde flammeo calore concepto
Hucuſque flammas in mea oſſa tranſmittis:
Dum te ſubinde candidæ memor Nymphæ,
Qua jam recepta Samnii tumes unda,
Samnii & vetuſtas limpidus rigas urbes,
Exſul, miſer, ſuſpirioſus inviſo.
At tu, CALOR, ſic olim amœnus auratis
Dicare cornibus, arduuſque Vulturno
Ferare victo, illique jam auferas nomen,
Fontem ad tuum recurre, dic meæ luci,
Meo te ab igne poſſe ſæpe ſiccari,
Meo niſi de fletu identidem creſcas.
Dic, me amplius nequire tanta celare,
Nequire ferre vulnera, ac mori ſemper.
Tum, ſi ipſa prorſus haud ſit immemor noſtri,
Si ſors amara illi mea, & fides grata;
Dic, me libenter ferre quidquid eſt duri.

VIII.

DE VICTORIA LIVIANI.

O Quæ alma grato carmine fortium
  Mori, Thalia, facta vetas virum,
  Nunc & per ora LIVIANUM.
  Omnium, & omne feras per ævum.
Dic, ut ſuperbæ contuderit minas
  Germaniæ, atque a Cæſare barbaro
  Feſſæ tot annos imminentem
  Auſoniæ arcuerit ruinam.
Nam quis malorum eheu veterum memor
  Non expavebat? quum populos truces

In

In nos remotis uſque ab oris,
Qua glacie riget Amphitrite,
Audiret armari: aſperaque Alpium
Jam vincere altis cum nivibus juga
Feris inacceſſa, atque fines
Undique jam populare noſtros?
At LIVIANUS in trepidis docens
Audere rebus, qua violentior
Vis hoſtium ingruit, citatis
Obvius agminibus cucurrit.
Ductore tandem hoc ſcilicet Italas
Videre montes inſoliti manus:
Tormenta, atque equos, & arma
Alpicolæ ſtupuere Fauni.
Tandemque noſtra impune nimis diu
Bacchati in arva Theutones horridi
Senſere in antiquumque robur,
Inque novum Marium incidiſſe;
Quum cæſa, pubis flos Alemanicæ,
Repente in alta valle Cadubrii
Phalanx nives cruore tinxit
Purpureo, rapidumque Plavem,
Arx & recepta eſt; pectora militum
Quum ſæva noſtrorum ardua non via,
Non ſaxa, non arcere muris
Terrifici potuere nimbi,
Cadente ahena fulminis in modum
Contorta ab igni ſulphureo pila,
Qua terra ſubſultat, nigerque
Cum ſonitu ferit aſtra fumus;
Dirum repertum: & ingenium male
Sagax, ſacrumque, quo truculentius
Nil invenire atrox Megæra,
Sæva nec ira poteſt Deorum.
Sed cuncta præſens horrida temnere
Dux acer urget, hunc ſequitur cohors
Secura; præſentemque mortem
Magnanimo Duce freta vincit.
Diis cura noſtri eſt, & Venetus patet
Probe Latinæ conſuluit rei,
Quum jus tibi omne copiarum,
LIVIADE, tribuit ſuarum;
CORNELIUMQUE mox ſocium dedit

Magno e Senatu, cui ſapientia
Inſignis, ac fortuna avorum
Scipiadum reparant honores.
Non Imperatorem ille queat ſibi
Optare, Mavors quem mage diligat:
Non tu Senatorem ferendis
Conſiliis animoſiorem.
Vos nuper hoſtium unanimes feram
Fregiſtis audaciam, ac pavidos patres
Firmaſtis, ac ſuam attuliſtis
Semianimis populis quietem.
Vos jam timebit barbarus, ac ſuis
Pedem cavebit tollere finibus,
Ni læva mens eſt, Diique noſtros
Accumulare volunt triumphos.

IX.

EPITAPHIUM CANIS.

CAPARION ego ſum, quē vivū maxime amavit
LIVIADES, tumulum poſt dedit & titulum.
Plura cani ingenue de ſe ſibi non licet: at mi
Nunc audita meo accipe de Domino.
Latrantem me forte phalanx Germana per umbras
Ut vidit, de more affore herum timuit,
Et fugit trepida: at ridens ait una Dearum,
Quæ ante Jovis ſolium ferrea penſa trahunt:
Ne trepidate: ſemel ſatis eſt timuiſſe: neque illum
Quem fugitis, prius huc fata venire ſinent,
Quam Gallos male fœdifragos demiſerit Orco,
Et quiſquis vexat barbarus Italiam. (que pauca
Quiſquis ades, Domino hæc referas, precor; hæc quo-
Addito: amat te etiam trans Styga Caparion.

X.

IN LAURENTEM,

pro libertate Patriæ Tyrannicidam.

TEmporibus Patriæ, LAURENS, tua maxima virtus
Adfuit, & facinus fortiter auſa pium eſt.
Et ſi libertas non illi eſt inde ſecuta,
Quod cauſſam cives deſeruere ſuam:

At

At tibi magna tamen debetur gratia facti
  Egregii, atque alti pectoris atque animi:
Quod tua crudelem confecit dextra Tyrannum:
  Idque erit ut numquam obliteret ulla dies.
Deſpiciet Feſulas dum ſilviger Apenninus,
  Dumque Arni Feſulis deſpicientur aquæ.

XI.

AD VERONAM.

VERONA, qui te viderit,
  Et non amarit protinus
Amore perditiſſimo,
Is, credo, ſe ipſum non amat,
Caretque amandi ſenſibus,
Et odit omnes gratias.

JOANNIS COTTÆ
Carminum Finis.

ILLUSTRIUM ALIQUOT POETARUM
DE JOANNE COTTA
VERONENSI
CARMINA

ACTII SYNCERI.

SPerabas tibi docta novum Verona Catullum:
  Experta es duros his viduata Deos.
Nulla animum poſthac res erigat: optima quando
  Prima rapit celeri Parca inimica manu.
Quæ tamen ut vidit morientis frigida COTTÆ
  Ora; ſuum faſſa eſt crimen, & erubuit.

JO: MATTHÆI TOSCANI.

COTTAM ad ſidera dum meis vocare
  Pararem numeris, nec invenuſtis,
Quidam de trivio ſcholæ magiſter
Conſuetus miſeras juvenculorum
Nates ſcindere ſibilante flagro,
Me ſupercilio truci notavit.
Ecquid COTTA *tuus leporis, inquit,*

Quod non ſurpuerit prius Catullo,
Præfert? furta putas honore digna?
Illi contra ego pauca: Sic habeto,
Hircoſiſſime carnifex juventæ,
Primum in non modica Catullianos
Poni laude, dein ſuum Catullum
COTTAM ſic imitarier, Catulli
Proclive ut minus æmulum æmulari
Sit, ipſum quam imitarier Catullum.

EJUSDEM TOSCANI.

QUI Muſas, Venereſque, Gratiaſque
Vis cœtu ſocias videre in uno,
Hunc unum aureolum legas Libellum,
Quo Muſæ neque ſunt politiores,
Ipſa nec Venus eſt magis venuſta,
Nec gratæ Charites magis. quod ulli
Si fortaſſe ſecus videtur, ille
Iratas ſibi noverit miſello
Camœnas, Veneremque, Gratiaſque.

JACOBI BONFADII
VERONENSIS
CARMINA.

I.
GAZANUM, VICUM DESCRIBIT.

MŒnia quum Saloi, & Benaci litora linquo;
Dextra iter ingreſſum per opaca, & florida rura
Me brevis, & facile acclivis via ducit apricum
In collem, Cereri placitum, patrique Lyæo,
Et placitum Altrici ſemper frondentis olivæ.
Planities jacet in ſummo cultiſſima. primo
Hujus in ingreſſu oppidulum eſt. Salaminius olim
FADIUS egreſſus patria, Patavique ſecutus
Fundatorem urbis, poſuiſſe in littore ſedem
Dicitur; atque plagæ mox acri incenſus amore
Hunc optaſſe locum GAZÆ, quam dives avito
Theſauro ſecum extulerat: tum nomine ab illo
GAZANUM dixiſſe. propinquis collibus arces,
Claraque magnanimũ ſtabant monimenta virorum.
Sed rerum abſumtrix, retroque abſtruſa vetuſtas
Obruta in obſcuris ſecum omnia condidit umbris.
Hinc aciem procul in campos, terraſque jacentes,
Lataque Benaci protendere in æquora poſſum.
Vicini montes Boreæ de parte, reducit
Et qua Sol radios, quaque altas abdit in undas,
Circumſtant. facies ſpectanti celſa theatri
Formam offert. ſæpe indigenæ videre ſedentem
Pana Deum Arcadiæ, calamos quum inflaret in altis
Rupibus; & Nymphas per ſibila læta vocaret,
Nymphas, quæ plexis redimitæ tempora ſertis,
Paſtorum loca ſola petunt, ſilvaſque pererrant,
Omnia complentes luſu, dulcique cachinno.
Naiades quibus aſſultant de rupibus imis;

Solem ubi ad Heſperium præpingui e valle volutus
Flectit iter rapido, atque ſonanti flumine Cliſis:
Quem dulces aurarum animæ comitantur, & alis
Per placidum levibus volitantes aera circum,
Omnem divinis miſcent afflatibus oram.
Dilecta ora mihi, Italiæ ridentis ocelle,
Naturæ lætantis opus, ſancta ora Deorum,
Quam lætus gelidos fontes, flexuſque tuarum
Lympharum, Tempeque ſoli, cælumque reviſo!
Quamque libens vix ipſe mihi credo æquoris undam
Tyrrheni, & Calabrum ſaltus liquiſſe nivales,
Inque tuo incolumis gremio reſidere virenti!
Salve, altrix antiqua, boni ſalvete receſſus;
Et gaudete: Genique loci tu candide fidi,
Voſque Lares, placidi veſtro cum numine amico
Eſte mihi; & noſtrum tandem lenite laborem.
Te vero & moneo, &, quantum me diligis, ALCON,
Oro, care ALCON; quamquam tua rura reliqui
Invitus; partemque ſui mens ægra requirit;
Ne mihi commemores Atheſim, neu tecta venuſtæ
Alta Coloniolæ. juvat hic conſumere totum
Sextilem, & dulces inviſere ſæpe ſodales:
Qui lateri noſtro ſe ſe agglomerare ſolebant
Olim, quum primis colludebamus in annis.
Horum in complexu vis priſci emergit amoris,
Ut ſatis æquo animo non me divellere poſſim.
Sed, quum ſe primum decreſcens fregerit æſtas,
Ridebit placido quum Villia Doris in antro,
Me feret aurifluo vaga gurgite cymba repoſtas
FLAMINII ad ſedes, ripæ ulterioris in arvis.
Huc occurrere mihi: ſimul ad tibi grata vireta
Formellii, & lætos Amathuntidis ibimus agros.
RODULPHO interea, qui ſe cæleſtibus æquans
Divis, purpureo, atque ardenti in murice fulget;
Quemque viam monſtrantem æqui, magnum inclyta patrem
Roma colit; ſtatuam patriis in montibus aras.

II.

DE VILLA COLONIOLA.

Est collis, geminas recto qui limite valles
Scindi, & hinc Suavum proſpicit, hinc Latios.

Ac-

Acceſſum in primo ſunt formoſiſſima Tempe,
Culta peregrinæ rura COLONIOLÆ.
Huc me Verona digreſſum duxerat ALCON,
Magne ALCON ſilvis cognitus Heſperiæ:
Nympharum caſtos qui ſacra per otia fontes,
Veſtraque, Pierides, Numina ſancta colit.
Frondoſi hic nemoris dorſo dum forte vagarer;
Et leni omne nemus perſtreperet Zephyro;
Ad Corylos Phyllis contexens fraga ſedebat,
Perdito amore nimis Phyllis amata mihi.
Talis in excultis viſa eſt Cytherea viretis,
Necteret in ſertum quum tibi, Adoni, roſas.
O Sol, o mihi Sol radiis fulgentibus orte!
O mihi felices inter habenda dies!
Nam quæ furtivum olim abſcondebat amorem,
Quæque fugax ſemper, ſi obvius inciderem,
Se ſe alio avertens, tacito pede reflectebat,
Lumina tum facilis torſit amica mihi.
Acceſſi; atque errans, incertus corpore toto,
Protinus optatum proſilui in gremium.
Illi Amor aureolis ſpargebat floribus ora;
Quos e maternis extulerat calathis.
Hi mihi (vos Coryli, teſtes, ſanctæque latebræ)
Dum capio miſtum ſuaviolum ambroſia,
Se ſe anima ipſa in labra ejecit; meque relicto
Ad ſibi dilectam Phyllida tranſiliit.
Illa, ubi me aſpexit moribundum, amplexa fovere
Cœpit, ſuaviolum dulcius ingeminans.
Tum, mea dum inſueto perfundit labra liquore,
Ore fovens, ſenſim tranſiit ad me anima.
Nunc vivo; & vita eſt multo mihi carior, in me.
Quum memini, de quo venerit illa loco.
Salve, o terra beata, mihi, gratiſſima terra
Diis Superis: ſalve, dia COLONIOLA.
Nomen fama tuum immortalibus in monimentis
Protendat; nec te deruat ulla dies.
Hæc lingua ante meis hærebit faucibus, ante
Hæc dextra attractis concidet articulis:
Quam memori ex animo,& noſtro de pectore migret
Sæpe vocanda mihi cara COLONIOLA.
Et vos o Coryli, quarum ſub mollibus umbris
Hæc inſperanti ſunt mihi nata bona,

Sitis

Sitis felices. non veſtros Eurus honores,
Non æſtus, non vos frigida tentet hiems.
Quum ſitiunt ſilvæ, veniant pede Naides udo,
Atque humore vagæ roſcido Hamadryades;
Vos & alant ſibi delicias, ſeu gramine molli,
Sive velint ramis ludere ab umbriferis.
Phyllis amet Corylos; illas ſi Phyllis amabit,
Una mihi Corylus maxima ſemper erit.

III.

AD CARD. RODULPHUM PIUM CARPENSEM.

BEnaci in ripis, agitur nunc tertius annus,
Pro noſtris poſita eſt viribus ara tibi.
Hic ego, tum cœpi non infelicibus auſis
Te canere, & ſacris urere tura focis.
Gaudebat Geniuſque loci, noſtrique nitentem
In lucem læti ſe explicuere lares.
At poſtquam gelidis illa eſt infeſſa pruinis,
Et deſerta tuo numine ſola fuit,
Ipſi etiam montes deploravere querelam
Noſtram, Benacus ſenſit & ipſe pater;
Et ferruginea ſparſit caligine ripas:
Omniaque ex illo triſtia viſa mihi.
Magne Pater, veluti æthereus præſentia fulgor
Qui late ardenti tempora luce reples,
Aureus e gelidis Titan j.m flexibus anni
Vertit ad æſtivum lumina clara diem.
Tu quoque jam propior factus, converte benignos
Ad me iterum aſpectus, lumina amica tui.
Non erimus dono indecores, quod ſi tibi cura
Pulſa mei, nec jam te ratio iſta movet;
At moveat natura tua inclyta: quique ſub alto
Antiquæ laudis pectore vivit amor.
Et placidæ excellens moveat præſtantia mentis
Illa tuæ; quæ Diis te facit eſſe parem.
Tu Princeps, tu ſacrum oraclum: hic munera nobis
Et mens, & manus, & vox tua pollicita eſt.
Ne, quæſo, ne deſtituas, neu temne dicari
Meque, lareſque meos, & mea ſacra tibi.
Interea ardentis ſemper te mentis habebunt
Templa mea: tibi in his uram animum, atque animam.
Sen-

Sentiri nequit hinc odor; & ſi poſſit, odores
Vincat Panchæos, vincat & Aſſyrios.

FINIS.

ILLUSTRIUM ALIQUOT POETARUM DE JACOBO BONFADIO *VERONENSI* CARMINA.

PAULLI MANUTII.

ad eos, qui pro ſalute BONFADII laborarunt.

Dilectæ Muſis animæ, Jovis unica cura,
In quibus & rectum, & longos exſtincta per annos
Nunc demum exoriens virtus antiqua relucet;
Et tu, qui docti dux inclytus agminis anteis,
Magnanime o juvenis GRIMOALDE. *quis ille, quis eſſe*
Tam culto ingenio poſſit, tam divite vena,
Officium veſtrum qui verſibus exprimat aptis?
Lapſus erat miſer in culpam BONFADIUS: *inde*
Detulerat partibus; nec inani teſte probarat.
Quid facerent legum cuſtodes? legibus uti
Coguntur: dignum eſt. ſervantur legibus urbes.
Continuo infelix in carcere conditur atro.
Nuntius interea triſtis percuſſerat aures
Omnium amicorum. veſtris dolor hæſit acerbus
Mentibus: afflicti propere concurritis omnes.
O pietas, o priſca fides! vos crimine duro
Oppreſſum, & multis inviſum, non tamen ipſi
Pendentem extremo caſu liquiſtis amicum.
Pugnaſtis precibus, fletu pugnaſtis amaro;
Si poſſent flecti ſenſus, menteſque ſeveræ.
Eſt etiam minime dubio ſermone relatum,
Argento, atque auro multos cupiiſſe redemtum.
Docta cohors, quid agis? turbatis navigat Euris
Spes tua: vana petis, portuque ſalutis aberras.
Ne lacrimas, ne funde ultra: deſiſte precari.

Suſcipis ingratum ſtudium, ſterilemque laborem.
Fixa manet duris ſententia legibus atrox.
Si fecit, pereat: factum patet, ergo peribit.
Horrendum carmen, tamen immutabile: quod non
Frangere vis hominum, non flectere gratia poſſit.
Exprimitur tandem hoc invito a judice, vivus
Ne comburatur, crepitanti deditus igni.
Tum ſe carnifici ſæva BONFADIUS ultro,
Mente Deum ſpectans, animo imperterritus, offert.
Ille miniſterio propere functurus iniquo,
Terribilis rigidam ſuſpendit ad alta ſecurim.
Quem feris ah, ſcelerata manus? quam nobile collum
Percutis, ignoras, & quo te ſanguine tingis?
Hic, qui proſtratus jugulum tibi porrigit, a te
Fortiter exſpectans extremi vulneris ictum,
Dulcibus & numeris, & molli doctus avena,
Quum caneret verſus Muſis, & Apolline dignos,
Aerios ſacras deſcendere monte Camœnas,
Atque habitare tuo, Benace, in littore juſſit.
Hic & Romano eloquio, & præcellit Etruſco,
Manſuetus, facilis, dulci ſermone diſertus.
Hæc tu non audis: ſed inanibus irrita ventis
Mandantur, quæcumque loquor. tu parcere neſcis.
Eximios, humileſque feris diſcrimine nullo.
Sic viſum eſt Superis: mutari fata nequibant.
Fixum erat, ut damnatus, & acri judice victus,
BONFADI, ante diem Ligurum morereris in Urbe.
Urbs præclara viris, Urbs claſſe inſignis, & armis,
Barbaricæ gentis magnis decorata trophæis,
Cur veterem a nobis, cur fidum avellis amicum?
Non tamen obſcurus perit, aut inglorius. exſtant
Scripta Viri: quæ poſteritas mirabitur omnis.
Tu quoque in Hiſtoriis ſeros memorata per annos,
Genua, florebis viridi cum laude, & ab illo,
Quem tu exſtinxiſti, tibi lucida gloria ſurget.
At tu; cui miſer extrema BONFADIUS hora
Aſperſam lacrimis miſit per ſcipta ſalutem; [bis,
Flos Ligurum, GRIMOALDE, tuæ decus Urbis & Or-
Et vos o Phœbo ſacri, ſtudiiſque decoris,
Egregii Juvenes, mœſtum lenite dolorem.
Jam ſat honorifico celebraſtis funera fletu:
Jam ſatis officio, ſatis & tribuiſtis amori:
Nec veſtrum ſtudium, pietas nec veſtra latebit;
Sed

Sed clarorum, hominum ſemper noteſcet ab ore.
Et quas ille truci correptus morte nequivit
Officio, ſtudioque pares perſolvere grates,
Has qui perpetua vobis cum laude rependat,
Forſitan alter erit, vel jam eſt; multique ſequentur.
Vive diu, ſtudioſa manus; doctamque Minervam
Excole: quæ veſtras divino nectare mentes
Paſcet; & extremum tribuet per ſecula nomen.

JOANNIS MATTHÆI TOSCANI.

NOn minus intumuit nuper Benacus alumni
BONFADII, ac Muſis, docte Catulle, tuis.
Bis tamen infelix: rapuit nam Roma Catullum;
BONFADIUM leto das, ſcelerate Ligur.
Hiſtoria æternum cujus, fera Genua, vivis,
Immeritum ſæva lege necare potes?
Mitius eſt, quod te ſpumanti vortice marmor
Tundit; & es ſcopulis durior ipſa tuis.

ADAMI FUMANI

VERONENSIS

CARMINA.

I.

SUB EFFIGIE

ATHILÆ HUNNI.

FAx Orbis ille, incendium, pallor, pavor,
Europa monſtrum quem novum genuit parens,
Matris ferus quod carnifex foret ſuæ,
Qui barbaro ſuperbus ipſe ſpiritu,
Dei Flagellum, nomen indidit ſibi;
Terris furens ſatelles irati Jovis,
Per quem fuere ſecla facta ferrea,
Quum quaque mores uſque fudit barbaros;
Quo ſe ore vivens ferre ſueſſet ATHILA.
Tabella JOVII hæc indicat planiſſime.

II.

II.

SUB EFFIGIE TOTILÆ.

IMmanis ille, peſtis Urbis, barbarus
Quæ barbararum gentium terror, ſui
Ad Ortum ab Occidente fines Imperi
Olim feroci Marte dilataverat;
Qui noſtra vaſtitate cuncta perculit
Vicos, agroſque, civitates, oppida
Ritu procellæ, turbiniſque acerrimi,
Deo atque hominibus abominatus TOTILA,
Hac in tabella pictus, hoſpes, an vides
Ut ſævus, importunus, impotens, adhuc
Stragem minetur ore, cædem, ſanguinem?

III.

SUB EFFIGIE
MARTINI TURRIANI.

RUebat ECCELINUS acer Italus
Fretus tremenda militum ferocia
Tremendus ipſe diritate barbara,
Urbem ſuperbam, maximam, perlucidum
Sidus togatæ ut perdomaret Galliæ:
Tyrannus ECCELINUS ille peſſimus,
Illud Deo atque hominibus infeſtum caput,
Quotquot fuere, quotque ſunt, quotque umquam [erunt
Longe Tyranus omnium teterrimus:
Ab corde cujus exſularat funditus [bonum:
Fas, jus, pium, rectum, pudorque, æquum, &
Qui tenera membra parvulorum ab ubere
Matrum revulſa, diſſecare per ſcelus
Mucrone duro ſuetus ipſe durior:
Quin [proh nefas!] & mulierum prægnantium
Exenterare amabat [o dirum nefas!]
Exenterare amabat alvos impius
Horrente ſcalpro: te nihil, mater, verens,
Lucina, juſtis quæ vocata partubus
Nitentium audis pia lacrimoſas preces:
Quæ ſæpe ſæpiuſque repetitæ, illius
Numquam feroces ſpiritus, numquam feri
Du-

Duriſſimum mollire pectus quiverunt.
Et hoc Patavii novit alma civitas,
Vicinaque illi fertilis Vicetia,
Tuque urbs frequens, vetuſta, magna, nobilis,
Verona, mater urbium pulcherrima,
Noviſti, & ante tu beata Brixia,
Tum facta ab illo urbs omnium miſerrima.
Ruebat ECCELINUS acer Italus,
Qualis ſonantis vis coruſca fulminis:
Quum TURRIANUS ecce vir fortiſſimus
MARTINUS, indignatus, ut ſpumans aper
Lucanus, aut Sabellus, aut Libys leo,
Getula Pubes quem veruta perpulit
Exire notis ſaltuum receſſibus,
Clamoſa pubes, & Numidicorum canum
Animoſa vis latratibus ſævis ferit,
Quum colla & armos veſtientibus jubis
Caudæ flagello identidem graves ſibi
Villoſa terga verberans iras ciet.
Secumque cæco murmure dubitat ferus,
Quæ prima mordens obterat venabula:
Sic ille, acerbæ ut ſervitutis imminens
A civibus propelleret jugum ſuis,
Formidoloſo & ipſe cinctus agmine,
Virtute fretus exſilit mirabili
Seni incitatus obviam acerrimo,
Primaque pugna vulnerat, vivum capit,
Aſportat, inque clauſtra cæci carceris
Contrudit; ubi poſt dirus is, diris modis
Squalloreque ac pudore tetro, peſſimis
Suis ſceleribus debitas pœnas luit.
Quo pervagante tam beato nuntio
Late per agros Italum, perque oppida,
Paſſim puellæ virgines ductis choris
Lætæ canebant voce tinnula ſimul,
MARTINE TURRIANE, MARTINE inclite,
Tu liberator urbium, tu patriæ
Servator exſtitiſti, & omnes omnium
Laudes tuliſti: nempe noſtra tu omnibus
Nobis dediſti habenda, quum nefarios
Latronis auſus contudiſti, & omnibus
Mentem addidiſti civibus trepidis tuis:
Tibi & mariti conjuges, & conjuges

De-

Debent maritos, atque utrique liberos,
Debent parentes liberi tibi quoque:
Tibi nos pudicitiam, tibi decus, tibi
Noſtram incolumitatem, tibi jam denique
Nos noſtraque en debemus hæc tibi omnia.

IV.

SUB IMAGINE

CANIS SCALIGERI.

SCALIGER, anne tua iſtæc, CANIS inclyte,ima-
O cari capitis cara mihi effigies. [go eſt?
Illene tu, profugis quondam qui vatibus unus
Portus eras, arx, ſpes, præſidium, columen?
Gaude, heros redivive, heros bellique domique
Illuſtris, juncto viribus ingenio.
Ecce tibi ut veteres JOVIUS renovavit honores,
En te ut honoratis junxit imaginibus!
Macte, tuum terſa nitidum rubigine nomen
Factum, jam poterit nulla abolere dies.

V.

DE FRANCISCO CARMAGNOLA.

SEdula apis veluti maturis advolat uvis,
Ut liquido vacuas diſtendat nectare cellas;
Ad te ſic mea ſe celeri tulit impete Muſa,
Bellica quem ad magnos virtus evexit honores,
FRANCISCE, æternum Pietas per ſecula nomen
Cui peperit; cuncto procerum quum adſtante ſe-
Ac magnis una tecum de rebus agente, [natu
Ad ſcabrum haud veritus confeſtim exire parentē
Fortiaque infirmo circumdare brachia collo. [es,
Scilicet hoc unum malit, quam mille referre
Geſta tua præclara, & victo ex hoſte trophæa,
Magnorum decus Inſubrum, Dux inclyte, tandem
Orta licet ſubito fractum te adtriverit ingens
Tempeſtas, Caurique, importunæque procellæ;
Ne dubita, tua te pietas, tua maxima virtus
Venturo meritis cumulabit honoribus ævo.

VI.

IN IMAGINEM

ANDREÆ GRITTI

VENETORUM PRINCIPIS.

UT VIGILI doctoque ratis ſimul acta magiſtro [eſt,
Undique ut aerii verrant freta cærula venti ,
Nec ventos , validaſve timet ſecura procellas ;
Credere ſed pelago , ac magnis ſe fluctibus audet:
Sic Duce te Urbs prognata mari ſic Principe , GRITTE ,
Bellorum ut ſciret magnos inſtare tumultus ,
Bellorum metuit nullos interrita caſus ;
Sed Martis dare ſe magnis cita motibus auſa eſt ,
Ut ratis illa eadem docto ſi caſſa magiſtro eſt ,
Ut nulli nuſquam turbent freta cærula venti ;
Et ventos validaſque horret male firma procellas,
Credere nec pelago , aut ullis ſe fluctibus audet :
Sic Duce te Urbs , bone GRITTE , eadem ſic Principe caſſa ,
Bellorum ut videat nullos inſtare tumultus ,
Bellorum metuit cunctos exterrita caſus ;
Nec dubiis dare ſe Martis cita motibus audet .
Ut gregibus tauri , turres ut mœnibus altis
Sunt decori , ut pelago naves cingentibus undis,
Sidera uti radiis internitent aura Phœbe ;
Sic tu , ſic Venetum imperii dum ſceptra gerebas ,
Notus eras proceres inter, bone GRITTE, ſuper-
Corporis eximia ſpecie, virtute, animiſque. [bos
Noſtratum o ſalve Heroum ter maxime ; tu nunc
Et noſtra poſthac ſemper celebrabere Muſa .

VII.

ADEENTANTE SENECTUTE, SE TOTUM DEO DICAT.

JAm cana rugis aſperat
Frontem ſenecta : corporis

Jam

Jam membra facta languida,
Senſim recedens in dies
Vitalis ignis deficit.
Sed hoc quid ad me, fervida
Patris ſupremi caritas
Me continenter ſi ſuis
Fovere pergit ignibus?
Ergo, o beata vivida
Cæleſtis ignis flammula,
Magis magis me tu in dies
Fovere perge ſingulos.
Perge, o beata, perge dum
Mihi uſque perge amburere
Mihi uſque perge abſumere
Cor, oſſa, nervos, viſcera,
Venas, medullas, ſanguinem,
Ipſamque mentem ac ſpiritum,
Ut totus ardeam tibi:
Ut atra quum mors frigidas
Afferre mihi volet manus,
Sic flamma totus flammeis
Alis Amoris lucidi
Hinc expeditus, ætheris
Altas ad oras ſubvolem:
Cognata ubi inter ſidera
Non jam amplius memor mei,
Unum te amem, ac tua omnia,
Immo ardeam perenniter
Factus tui ter maximi
Scintilla parva incendii.

FINIS.

NICOLAI ARCHII COMITIS CARMINA

I.

AD SUOS OCULOS.

QUid tot, procaces, lacrimis ſinus fruſtra
Rigatis, oculi? quid cruore manatis?
Hoc eſt, quod inquiunt, ſapere Phrygas ſero.
Tum lacrimari, tum dolere oportebat,
Quum vos, ſceleſti, meque perditum iretis.
Quoties rogavi, dicite, quoties ſupplex
Per me obſecravi, per meaſque fortunas,
Ut hæc roſetis æqua labra Peſtanis,
Vultumque cerni lubricum caveretis.
Nil me, ſceleſti, miſeret, aut piget veſtri:
Cordis dolet ſolius; quod modis miris
Pœnas furoris innocuum luit veſtri.

II.

PEDIBUS SUIS.

AMabo, quo me, laſſuli pedes, fertis,
Vix ſuſtinentes ſemimortuum corpus?
An ad cruentum limen, ad fores illas,
Ubi hanc miſelli pene liquimus vitam?
Quid ah, quid ultro convolatis ad mortem?
Quid ſponte in acres ponitis manum flammas?
Ni vos (ſed olim viderit ſator Divum)
Tot ejulatus, lacrimaſque pertæſi,
Utcumque tantis quæritis malis finem.

III.

IN TUMULO M. ANTONII TURRIANI.

ANte annos ſciviſſe nocet: nam maxima Virtus
Perſuaſit Morti, crederet eſſe ſenem.

IV.

IV.
IMITATIO AREOSTI.

DUlces lacrimulæ meæ puellæ,
Quas deſiderium pium movebat;
Quæ vultus modo candidos rigabant
Guttatim; & roſeis genis fluebant:
Ac ſi rivulus irrigaret unda
Flores purpureoſque candidoſque,
Ac per mollia prata laberetur.
Tam ſuavi in pluvia nitens Cupido
Inſidebat, uti ſolet volucris
Ramo, vere novo, ad novos tepores,
Poſt ſolem accipere ætheris liquorem,
Geſtire & pluviæ ore blandiendo.
Has inter lacrimas, & hunc dolorem
Quaſſabat geminas faces Cupido,
Exire ut faceret novas favillas.

V.
AD CORNELIUM RUFUM.

CORNELI, tibi quis ſcelus hoc perſuaſit, amici
Ut ſcripta amata perderes?
Scripta mei numquam ſatis admirata Triphonis,
Labore lecta maximo,
Fulvo auro pretioſa magis, viridique ſmaragdo,
Qualem æquor Indicum tulit.
Scilicet ut ſcombris tunicas, * barroque parares,
Dareſque caſeo togam?
Hæc promiſſa fides, hæc ſunt mandata, tibi quæ
Dedi, rogans, & obſecrans?
Ut gemmas inter ſervares, digna perenni
Cedro, vel arca eburnea.
Gratia nil Fortunati, nil fama Triphonis
His, impudice, profuit.
Infelix ergo qui te manet exitus? in te
Atrox Jambus irruet.
Inviſuſque tibi, laqueo vitam, improbe, clzudes,
Vel igne dilues notam.
Aut ſi non homines curant tua facta nefanda,
Dii non inulta liquerint.

DE

* *Vox corrupta, ut videtur.*

DE NICOLAO ARCHI COMITE.

Julii Cæſaris Scaligeri.

ILle decus Latii, patriæ mellitus alumnus,
Cujus honorata eſt Roma ſuperba chely:
Calliopæ in gremio numeroſa voce relicta,
Quaque novos ſuperat, quaque laceſſit avos:
Dum TURRII laudes effuſis ambit habenis,
Eſt factus Genio grandior ipſe ſuo.
Creſcere qui potuit tantus? res mira. putetur,
Quem caneret, factus plenior eſſe Deo.

JOANNIS MATTHÆI TOSCANI.

ITalis ora tuis, Benace, feracius undis
Nil habet, in geminum qua patet illa fretum.
Utque oleas ſileam, vineta, & citria ripis
Impoſita, & placido quod natat amne pecus;
Oppida quot, liquida quæ aſpergine lambis aquarum,
Omnigena excultos arte tulere viros?
Quos inter Dominus præcelſi internitet ARCHI,
Exſeris ipſe caput, quo modulante, vadis.
Cujus longa dies abolebit carmina, quum tu
Flammivomo amiſſas ſidere flebis aquas.

FINIS.

PETRI BEMBI
CARMINA

BENACUS.

TE, Giberte, cano, purus dum templa ſacerdos
Ingreditur, cupioque tuas attingere laudes.
Sit modo non impar tanto ſub pondere, quæ me
Muſa vocat, nec eam ventura redarguat ætas
Obſcuræ carmen claro tibi condere famæ,
Et magnum brevibus voluiſſe intexere chartis.
Nuntius ut vitreas Benaci vectus ad undas
Muſcoſo ſubter pendentia fornice tecta,
Atque Dei lætis implevit vocibus aures,
Adveniſſe diem, quo formoſiſſima terræ

Auſoniæ Verona ſacris, templiſque regendis
Demiſſum cælo, & magnis virtutibus auctum
Acciperet juvenem, qualem vix ipſa petebat:
Forte pater gelido in luco ſilvaque virenti
Fontibus, & rivis cubito ſubnixus & urnæ
Jura dabat, cui carbaſei molliſſima fili
Stamina pingebant fuco, veſtemque parabant
Cæruleam, innumeræ nodis, ac retibus aureis
Collectos comptæ crines tempuſque decorum,
Incinctæque auro ſuraſque ſinuſque fluentes
Veſtibulo in thalami natæ, niveoſque lacertos
Nudabant operi, quo pulchro ex agmine Sirme
Docta lyræ digitis percurrere fila canebat
Carmen; quod totidem numeris Gardeque Saloque
Reddebant, Sol æſtivos circumvagus orbes
Axe terens medio currum librabat Olympo.
Ergo avidis allata Deus poſtquam auribus hauſit,
Promiſſoſque olim fatis ſibi lætus honores
Agnovit; tangens hærentem uligine barbam,
Demulcenſque manu juſſit vicina vocari
Flumina; dein ſeſe placidum convexa ſub alta
Speluncæ ſenior ſolitaque in ſede recepit.
Poſtera jam cælo ſtellas noctemque fugarat,
Urebatque dies multo terraſque fretumque
Lumine, cum nitidis venit Ticinus in undis;
Piſcoſuſque altas involvens Lambrus arenas:
Venit & indigenis fœcundans ollius arva
Deductus rivis; cultos & Abdua campos
Amne ſecans, fulvo ripaſque interlitus auro:
Nec rapidus fluvioque Atheſis ſpectandus amœno
Defuit; aut Patavi circumque intraque pererrans
Mænia Meduacus triplici circumdata muro:
Mænia; quæ poſitor pugnas & bella peroſus
Muſarum Iliacus ſtudiis Phœboque ſacravit:
Populiferve Padus genitor; qui flumina centum
Ipſe ſuo accipiens vaſto latiſſimus alveo
Ubera terrarum curſu per pinguia lapſus
Portat, ſeque mari ſeptenis amnibus infert.
Quos tunc atque alios velatus harundine crinem
Mintius excepit venientes limine primo
Obvius, atque in tecta parentis ſaxea duxit
Lætifico cordis non celans gaudia vultu.
Qui ſimulac udos poſuere ſedilibus artus

Cry-

Cryſtallo rigida fultis & Jaſpide glauca;
Continuo Nymphæ menſas ante ora Deorum
Speluncæ in medio niveis mantilibus alte
Conſternunt, dapibuſque onerant, Dictæaque plena
Vina ferunt, referuntque manu, caliceſque madentes
Præcingunt myrto, atque implexis flore coronis
Purpureoque roſæ Medorumque arboris albo:
Medorum quondam; ſed quæ nunc plurima lætas
Benaci veſtit ripas, non illa caduca
Fronde virens, ſuaviſque auras permulcet odore.
Poſt ubi prima quies epulis; Deus ipſe magiſter
Undoſique lacus domitor præſentia circum
Numina reſpiciens his vocibus ora reſolvit.
Quod votis toties nequicquam optavimus unum
Vobiſcum Divi: fauſto modo ſidere luces,
Volventes luces fatorum orbiſque miniſtræ,
Advexere, vehit pleno bona copia cornu;
Largaque pomifera prætendit munera dextra.
Quare vos primo longævi a ſemine mundi
In mare cæruleum prono labentia curſu
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Flos etenim juvenum; longa formidine ſæcla
Perdita qui ſolvat; quique agglomerata malorum
Agmina tot bellique faces, quas vidimus ipſi,
Bactra ultra Thylenque ultra Scythiamque releget:
Quique urbes, quique arva colat; Jove miſſus ab ipſo eſt.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Hic primum miſeris viduatas civibus urbes
Accipiens, vacuoſque ſuis cultoribus agros
Replebit numerum exæquans augenſque priorem:
Oppidaque ingenti multum quaſſata ruina,
Proſtratiſque ſolo late mærentia tectis,
Reſtituet; pulchroque dabit ſplendeſcere vultu.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Magno namque pii juvenis devinctus amore
Etruſcus pater; excelſas qui Tybridis arces
Poſſidet, & nutu Romanum temperat orbem;
Illius eximias virtutes, claraque docti
Ingenii monumenta, & ſancti pectoris artes
Suſpiciens, obitoſque invicto corde labores,
Hoc dedit, has illi rerum permiſit habenas.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.

Quid memorē ut tener & primæ ſub flore juventæ
Ingentem ad ludum properaverit auſpicibus Dis;
Indole dein quanta nixus, quam fortibus auſis;
Robore ceu firmo ventorum flamina quercus,
Aut ſcopulus fluctus ſaxo excurrente marinos.
Sic undas rerum excipiens, & plena pericli
Multa diu, caſus victor ſuperaverit omnes.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Sæpe illum abruptis in vallibus Apennini
Verſantem; luctantis equi cum frangeret armos,
Præcipitanſque viam obſtrueret torrentibus imber:
Pœninas vel per fauces tractuſque volantem
Aerios ſummo miſeratæ e vertice Nymphæ
Optavere graves cohiberent nubila nimbos.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Sæpe illi ad magnos reges mandata ferenti
Aſtitit unigena proles Jovis, ut bona mater,
Ut mater bona; quæ caro timet omnia nato,
Et cupit in duros comitem ſeſe addere caſus:
Tum pueri mirata oculos & verba loquentis
Ipſe meas artes jam nunc tibi dixit habeto.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Teſtis adeſt triplices magnas diſcreta per oras,
Fluviorū nemorumq; ferax, pecudumque virumque
Gallia, non auri, pictæ non indiga veſtis,
Diverſoſque jugo ad ventos interque cadentem,
Surgentemque diem longo protenta Pyrene;
Altis quæ geminas deſpectat cornibus undas:
Tum dictis factiſque potens illa inclyta bello
Lataque & in latas Hiſpania diſſita terras.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Hæ nam te inſolita orantem, averſaſque ſuorum
Flectentem regum mentes, Giberte, videbant;
Acceptos converſa ſonos cum vocis imago
Redderet, & dociles iterarent nomina ripæ.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Teſtis & Adriacus, parvo qui flumine Rhenus
Lambit humū, teſtis Thuſcis haud maximus undis,
Major prole virum, & divinos Arnus honores
Promeritus, cælum Diviſque recentibus augens,
Pulchros qui colles pulchramque interſecat urbem:
Gens quorum imperio diſpar nec legibus æqua
Illius in ſtudiis jamdudum & amore quieſcit.

Vol-

Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Tu vero tu Roma tui genus ecquod alumni
Jam non curarum, non commemorare laborum
Una potes? tolle egregium per ſæcula nomen,
Tolle decus, daque alta virum volitare per ora.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Quantum Trinacriæ vertex ſe ſuſtulit Ætnæ,
Aut cinctus ſtellis Atlas, aut Caucaſus ingens;
Tantum clara virum Romæ ſe nomina tollunt.
Illa novos tibi cæleſtum conceſſit honores
Antiquis cumulans, at tu præſentia ſæcla
Firmabis, veterumque abolebis damna malorum.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas
Ecce tibi læto veſtit ſe gramine tellus,
Et tibi ſilva comas nutrit; tibi pabula ſurgunt;
Fœcundus mites implet tibi pampinus uvas;
Palladis & nigrum tibi ducit bacca colorem:
Tum ſpiſſo quem rete trahas vel arundine longa,
Flexivagus noſtris creſcit tibi piſcis in undis.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Accipe, quæ tibi Parnaſi de colle ſorores
Dona ferunt, ſacram lauri de fronde coronam,
Et plectrũ,& citharã, ſcriptaſq; ab Apolline chartas
Æternum quas ediſcant celebrentque minores.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Ut Phœbo, utque Jovi confectis Græcia luſtris
Sacra olim & pleno poſuit certamina campo:
Sacra tibi, ludoſque tibi ſic Itala tellus
Inſtituet; ſic illa tuo de nomine dicet.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Accipe, quæ calathis porgunt tibi munera Nym-
Luteolum calthæ florem, caſiamq; virentem, [phæ,
Liliaque, violaſque & purpureos hyacinthos;
Haud porxiſſe prius poterant, bella impia bella
Pertulimus; dulces & deformavimus agros.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
Ut cum letiferos accendit Syrius ignes,
Rivus aquas, hortus flores, pratum invidet herbas:
Pallet humi nullo facies depicta colore:
Ipſa ſuos ſitiens fœtus non educat arbos:
Intereunt fruges ſiliqua labente peruſtæ,
Arva colit nemo ſiccis arentia glebis,
Vomeris & durum non admittentia dentem,
 Cun-

Cuncta jacent nimio cæli contuſa calore,
Triſtia ſic noſtris aderant prius omnia terris.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
At poſtquam lætos effudit Juppiter imbres;
Rivus aquas, hortus flores, pratum explicat herbas;
Ipſa viret tellus, ripæ colleſque niteſcunt:
Dant ſegetem ſulci, nemus altas ſufficit umbras;
Poma ſuos curvant creſcentia pondere ramos:
Ruris turba Deam venerata ligonibus udam
Vertit humum, & putres exercet vomere campos:
Cuncta vigent cæli fæcundis roribus aucta:
Noſtras ſic jucunda manent nunc omnia terras.
Volvite majores, vaga flumina, volvite lymphas.
At vos in ſeptem diſcreti culmina montes:
Tuque, Pater Tyberine, tuum qui flumen Olympo
Devehis; hunc olim vobis multoſque per annos
Sit ſatis o tenuiſſe, meam mihi jam date partem:
Ipſe dabo multis, ne ſint mea gaudia ſola:
Et tandem noſtris juvenem concedite terris.

HYMNUS AD DIVUM STEPHANUM.

NAm quæ te culpæ, & ſceleris tam dira cupido,
Infelix Solyme & ſæclis damnanda futuris
Corripuit? tantas aut quis furor egit in iras?
Ut juvenem patris ætherei præcepta canentem
Dicta tibi, & veterum referantem oracula vatum
Præſtanti eloquio, teque ad meliora vocantem
Compita per mediaſque vias e mœnibus urbis
Illuſum expuleris, tum cæca perdita mente
Concurſu preſſum ingenti, ſaxiſque petitum
Nudatos artus; ceu quondam grandine denſa
Juppiter ingeminans terram quatit æthere ab alto;
Crudelis leto dederis nil tale merentem?
Ille quidem placido ſuſtollens lumina vultu
Luſtrabatque oculis cælum, intrepiduſque pericli
Laudabat Superos; & ſpe ſua damna levabat:
Cui ſe, quantus erat, manifeſta in luce videndum
Ipſe pater Divum dederat cum compare nato
Sublimis, medioque illi fulgebat Olympo.
Quin etiam extremo cum jam ſub fine laborum
Disjectus duro frontem, & cava tempora nimbo
Iret

Iret iter propius leti; ramen hoſtibus ipſis
Pro ſcelere immani moriens, pro talibus auſis
Ah veniam Superos anima fugiente rogabat:
Placabat ſuperos hoſti jam frigida lingua.
Salve bis ſenis lectus parere magiſtris
Macte animo puer egregio, & præſtantibus auſis,
Macte nece, & veris magnum decus addite Divis.
Tu princeps ignominiam, plagaſque cruentas,
Et longum memoranda nepotibus aſpera fata
Magnanimi poſt herois, quem candida partu
Cælicolum regi tecto ſub paupere nympha
Non ullam venerem, nullos experta hymenæos
Ediderat patrii flavas Jordanis ad undas;
Teſtis ades facti, ſacro tu primus ab illis
Sanguine palmiferæ terram conſpergis Idumes.
Et pulchræ inſolitos decerpens laudis honores
Purpurea gaudes frontem cinxiſſe corona:
Unde tibi grati nomen dixere minores.
Te colimus: certo tibi tempore ſacra quotannis
Rite damus; & thura tuis imponimus aris. ſtur
Quod ſi ulla o votiſque hominũ precibuſque moven-
Numina; nec cunctis adeo ſtat perdere Divis
Auſoniam,populoſque Italos, nomenque Latinum,
Atque malis prope jam confectæ mœnia Romæ;
Sancte veni; cœtuſque tuos, tuaque aurea templa,
Læti quæ feſta velamus fronde per urbes,
Dexter adi, placiduſque animis illabere noſtris:
Ac primum miſeris bellorum, & cædis amorem
Da pater exuere, & tercentum mittere in annos
Tigrimque, Tanaimque ultra; & poſt ferre quietem
Sollicitos populi faſces, adjectaque regnis
Regna ſuper, validoque undantia milite caſtra:
Et pacem venerari, & mitia vertere duris:
Dein peſtes ſcelerum tantorum, atque agmine longo
Multa odii concreta modis mala ſemina diris,
Infectaſque diu labes, & crimina purga
Heu ſolito graviora; iraſque averte Deorum.

PRO GORITIO VOTUM AD DEOS, quibus ædiculam exædificaverat.

SAncta, quibus propriam poſuit Goritius aram,
Numina, perpetuoſque aræ ſacravit honores,

Humani columen generis divina puella,
Ipſe ſibi legit ſummi quam rector Olympi;
Et tu divinæ genitrix auguſta puellæ
Felix ſorte tua; felix nata, atque nepote;
Æthereique puer magnum patris incrementum;
Arte boni quos egregia cæloque Savini
Spectari Pario & ſpirare in marmore fecit;
Hac vos pro pietate illi, pro munere tali
Reddite; ſi ſacrorum umquam pia carmina vatum,
Et caſtæ movere preces cæleſtia corda;
Reddite, quæ poſco, mea nec ſint irrita vota:
Ut quos longa dies miſeris mortalibus olim
Advectat varios ſenio veniente labores,
Ægrum animum, & ſegnes effœto in corpore ſenſus:
Inque ſolum pronos vultus, nixiſque bacillum
Poplitibus, tardoſq; gradus, tremebundaq; membra:
Tum crebras lacrimis cauſſas, & dura ſuorum
Funera, & everſos mutata ſorte penates;
Quæque alia ex aliis paſſim mala conſternatas
Implerunt terras cupidi poſt furta Promethei;
Horum ille immunis totos centum expleat annos
Auſpiciis, Superi, veſtris, & numine veſtro
Integer, ut nunc eſt; nec longæ damna ſenectæ
Sentiat: & charus patriæ, jucundus amicis,
Dives opum Roma incolumi Latioque fruatur.

JULII SECUNDI PONTIFICATUS MAXIMUS.

Illa Piis populis, mundoque accepta recenti,
  Sub Jove cum nondum ferreus orbis erat,
Nec proſciſſa graves vertebant arva juvenci,
  Vinea nec lacrimas falce reſecta dabat:
Mella ſed aeriæ ſudabant roſcida ſilvæ,
  Et lac pro gelida flumen habebat aqua;
Nunc o nunc redit ad primos bona quercus honores;
  Quos habuit, mundi cum tener orbis erat;
Quercus glande ſua quæ quondam heroas alebat,
  Cura Deum quercus ſancta, piumque nemus,
Dignaque, Cecropiæ pinguis cui ſilva Minervæ
  Cedat, & Herculeis populus apta comis:
Cedat & ipſa ſuo laurus Phœbeja luco,
  Inflexæque pedem Bacchica ſerta hederæ;

Vel myrti Veneris, vel Silvani cypariſſi,
Vel quæ capripedi pinus amata Deo eſt.
Namque boni mores noſtro rediere ſub ævo;
Ut primum poſito conſtitit illa ſitu;
Simplicitaſque inculta comam, rectique cupido,
Et lex, & probitas, & ſine labe fides:
Nec redit ad primos tantum bona quercus honores,
Quos habuit, mundi cum tener orbis erat:
Sed provecta ſolo nitidis caput inſerit aſtris,
Quantum homines aluit, tantum alitura Deos.

GALATEA.

PAna Deum Siculi per iniquas litoris undas
Eludit tarda dum Galatea fuga;
Seque adeo ſpe provectus, ſtudioque ſequendi
Plus medium inſido tingueret ille mari.
Quo fugis o Galatea? mane, mane o Galatea,
Non ego ſum, dixit, non ego Nympha Cyclops:
Qui flavum avulſis jaculatus rupibus Acin
Sævitiæ liquit triſtia ſigna ſuæ.
Paſtorum, pecoriſque Deus, cui garrula cera
Prima dedit varios fiſtula juncta modos:
Quem gelidi frondoſa colunt pineta Lycæi,
Lætaque Mænalio Parrhaſis ora jugo:
Unam de cunctis te diligo Neptuninis,
O Galatea mane, o jam Galatea mane.
Ille loquebatur: fundo declive maligno
Litus erat; greſſum non tenuere pedes:
Sed pelagi dum cæca urget male cautus, & inſtat,
Qua refugit pendens, ſubtrahiturque ſolum,
Labitur; & ſummas dorſo converrit arenas:
Labentem intortis obruit unda fretis:
Utque Deam Galatea iterans Galatea vocabat,
Implerunt tenues ora vocantis aquæ.
Tum primum latices epotaviſſe marinos
Pana ferunt, ponti nec latuiſſe Deum;
Sed quia Nereidas ibat vexare puellas,
Offenſum fluctus non tenuiſſe ſuos.
Ergo illum nandi inſuetum, glauca excipit alto
Unda ſinu, exultant irrequieta vada:
Marmora ter ſuperare manu conatus amara,
Ter circumfuſis eſt revolutus aquis.
Nympha Dei lapſum cupidis ſpectarat ocellis,

Gratior & pulchro riſus in ore fuit .
Spectarant , ſparſi ut ſteterant per litora , Fauni :
Pan comites Fauni , grataque turba tua :
Et mixtus Faunis , cordi cui ſemper amores
Nympharum , & querulo tibia rauca ſono ,
Incubus ; & ſatyri , & coniferæ Sylvanus
Arboris agreſti cinctus honore caput :
Qui ſimul atque ipſum gentis videre parentem
Pana ſub impuris mergier æquoribus ,
Nympha redi , Galatea redi : neu deſere amantem ,
Ingeminant omnes : candida Nympha redi :
Ah tantum ne admiſſe tuis ſit dedecus undis :
Quod taceant nulli poſt Galatea dies :
Ingeminant Divi , clamoribus icta reſultat :
Arida pumiceum qua lavit Ætna pedem .
Illa metum fallax ſimulare : & tendere in altum :
Et vanas ſurda reiicere aure preces :
Quo magis ii triſtes mœſti verſare querelas :
Et pelagi expertes dicere amore Deos .
Pectora pars pulſare manu , pars currere in undas :
Cedit , & argutos tardat arena pedes .
Omnia quæ obliquo , lente nans , reſpicit ore ,
Unaque tot gaudet fallere nympha Deos .
Utque ſatis luſit , certe ſat luſimus , inquit ;
Succeſſuque mei non caruere doli .
Atque ita jactatis relegit freta verſa lacertis ,
Pronaque non longum vincere tendit iter .
Summa ſecant pulſæ fluctu ſaliente papillæ :
Spumea ſub niveo murmurat unda pede .
Tum ſummo apprenſum cornu ſuſtollit : at illi
Clauſerat inſolitus lumina victa ſopor .
Ut rediit cum luce animus , quo percitus œſtro
Conjugium affectas , dixit , inepte meum ?
Perque auſus vada ſalſa ſequi , regna invia vobis ,
Invitam pergis ſollicitare Deam ?
Numen aquæ gaudet tumidarum numine aquarum ;
Conveniunt votis vota propinqua meis :
Tu pete montivagas , quarum es de gente , capellas
Parte tui ; & noſtros linque proterve toros .

AD MELINUM.

Quid Dominam aſſiduis vexas Meline querelis?
Frangitur injuſto læſa timore fides .

Sim.

Simplicitas magis ipſa juvat; cum lege ſoluti
  Jungitur in tacito fœmina virque toro.
Mitem animum dedit infirmis natura puellis,
  Fecit & ad blandas mollia corda preces.
Culpam in amore ſuæ qui nullam agnoſcit amicæ;
  Novit, qua melius arte perennet amor.
Mulciber æternos Venerem tenuiſſet in annos,
  Uſa minus duro ſi foret illa viro.
Ah pereat, quicumque ſuæ peccata puellæ
  Obiicit, & flentem ſuſtinuiſſe poteſt.
Ipſe ego ſi videam, nollem vidiſſe fateri,
  Gaudia ne flendo diſſipet illa mea.
Tu quoque, quod nolles fieri, deſiſte vereri;
  Non erit; innocuos ipſe tuetur Amor.

FAUNUS AD NYMPHAS.

DIcite cur noſtros, Nymphæ, fugatis amores:
  Quid Faunus, quo ſic deſpiciatur, habet?
Cornua ſi mihi ſunt; ſunt & ſua cornua Bacco:
  Inque ſinus vocat hunc Creſſa puella ſuos.
Ignea ſi frons eſt; an non frons ignea Phæbo eſt?
  Hoc tamen eſt Clymene facta parente parens.
Barba riget ſuffuſa genis: dedit improbe ſæpe
  Oſcula barbato Dejanira viro.
Intonſo, denſoque tegor præcordia villo,
  Nil ideo Marti eſt Ilia queſta ſuo.
Capripedem arguitis; quid claudo turpius? at tu
  Nupſiſti claudo Cypria pulchra Deo.
Denique ſiqua meæ pars eſt non bella figuræ,
  Exemplum a cælo, quod capiatis, habet:
Sed vos nimirum mortalia facta ſequutæ
  [Omnis quando auro conciliatur amor],
Paſtorum, & pecoris tenui cuſtode repulſo,
  Quæritis a magnis munera magna Deis.

JOLAS AD FAUNUM.

MOllibus Alcippe vernantia ſerta geniſtis
  Collis ab uſque jugo fert tibi, Faune, ſui.
Ut vidi, huc amens ſummo de monte cucurri:
  Aſpice, perculſo quam tibi corde loquor.
Nunc adeo, ſi ſæpe tuos cantavimus ignes,
  Affer opem flammæ tu quoque, Dive, meæ.
Formoſi cum te floris velabit honore;

Hæc illi dicas; ut tua verba, precor.
Alcippe; miſerum faſtu quæ perdis Iolam:
Teque ſimul tacito fallis inepta dolo;
Munera quæ portas, bene ſi tibi nota fuiſſent;
Damni te poterant admonuiſſe tui:
Nec refloreſcunt, quæ jam cecidere, geniſtæ:
Nec redeunt, qui jam præteriere, dies.
Quod ſi nulla mei tangit te cura poetæ:
Ah ſaltem formæ parce puella tuæ.

LONGOLII EPITAPHIUM.

TE juvenem rapuere Deæ fatalia nentes
Stamina; cum ſcirent moriturū tempore nullo
Longoli, tibi ſi canos, ſeniumque dediſſent.

LEONICI EPITAPHIUM.

NAturæ ſiquid rerum te forte latebat:
Id legis in magno nunc Leonice Deo.

JACOBI SYNCERI SANNAZARI
EPITAPHIUM.

DA ſacro cineri flores: hic ille Maroni
Syncerus muſa proximus, ut tumulo.

ANDREÆ NAUGERII
PATRITII VENETI
LUSUS.

ASpice magna Ceres tibi quos ſemente peractâ
Ducimus agreſtes, ruſtica turba, choros.
Tu face, ne nimio ſemen putreſcat ab imbre:
Neu ſulcos rapido frigore rumpat hiems.
Neu ſterilis ſurgat ſilva infelicis avenæ:
Et quæcumque bonis frugibus herba nocet:
Neu terræ proſtrata animoſi flatibus Euri
Decidat, aut denſa grandine læſa ſeges:
Neu direpta avidæ rapiant frumenta volucres:
Monſtrave, quæ terræ plurima ſæpe ferunt.
Sed quæ credidimus bene cultis ſemina campis,
Ube-

Uberius largo fœnore reddat ager.
Sic erit. interea nivei carcheſia lactis
Fundite, & annoſo mella liquata mero.
Terque ſatas circum felix eat hoſtia fruges:
Cæſaque mox ſanctos corruat ante focos.
Nunc ſatis hæc. poſt meſſem alii reddentur honores:
Et ſacras cingent ſpicea ſerta comas.

AUræ, quæ levibus percurrit aera pennis,
Et ſtrepitis blando per nemora alta ſono:
Serta dat hæc vobis; vobis hæc ruſticus Idmon
Spargit odorato plena caniſtra croco.
Vos lenite æſtum, & paleas ſejungite inanes:
Dum medio fruges ventilat ille die.

ILle tuus Pan montivage venator Iolas
Suetus in audaces cominus ire feras:
A quo & adhuc rictuſque ſuum, exuviaſque leonum
Sacra tibi agreſtis munera pinus habet:
Nunc jam annis gravis hæc devicti cornua cervi
Dedicat, imbelli congrua dona ſeni.
Cum tamen Herculeæ facta inter fortia clavæ
Is quoque ſit laudem viſus habere labor:
Tu Dive hæc inter viridis decora illa juventæ
Suſcipe: neve illis eſſe minora puta.

HAnc vitem, multa quæ ſemper fertilis uva
Haud umquam domini fallere vota ſolet:
Nunc etiam large florentem, conſecrat ipſe
Vineti cultor Damis Iacche tibi.
Tu face Dive, tua hæc ſpem non fruſtetur: & hujus
Exemplo fructum vinea tota ferat.

LOngius a pecore errantem per devia taurum
Dum ſequitur nemorum per juga longa Lycon;
Errantem ſcopulo capream conſpexit ab alto:
Continuo certo deiicit hanc jaculo.
Mox etiam catulos ſola ſub rupe jacentes
Invenit: hos Crocali donat habere ſuæ.
E caprea in viridi ſtatuit convivia luco:
Addidit & veteris pocula multa meri.
Quod reliquum eſt, Pan ſemicaper cum cornibus ipſis
Suſpenſum e pinu hac tu tibi tergus habe

Quod

QUod tulit optata tandem de Leucade Thyrſis
Fructū aliquē: has violas dat tibi ſancta Venus.
Poſt ſeptem hanc ſenſim obrepens, tria baſia ſumpſi:
Nil ultra potui: nam prope mater erat.
Nunc violas; ſed plena feram ſi vota, dicabo
Inſcriptam hoc myrtum carmine Diva tibi.
Hanc Veneri myrtum Thyrſis, quod amore potitus,
Dedicat, atque una ſeque ſuoſque greges.

ET quercū, & ſilvā hanc ante omnia Thyrſis ama-
Et certo feret his annua vota die: [bit
Dum poterit memor eſſe, quod hac primum ille ſub
Ultima de cara Leucade vota tulit. [umbra.

VEnator celerem mœrens Augona Melampus
Confoſſum rapido dente ferocis apri,
Hac illi in ripa tumulum frondente ſub umbra
Erigit: hoc ipſo concidit ille loco.
Non impune quidem prædo ſceleratus abivit:
Procubuit jaculis cæſus & ore canum.
Tu tamen e cunctis canibus præſtantior Augon,
Fide Augon, ſilvis qui modo terror eras:
Tu dilecte jaces. ſed ab alta hac faſcia pinu
Milluſque, & millo vincula juncta ſuo:
Quin deciſa feri cervix tibi pendeat hoſtis:
Sintque una ex animo ſigna dolentis heri.

ET gelidus fons eſt: & nulla ſalubrior unda:
Et molli circum gramine terra viret:
Et ramis arcent Soles frondentibus alni:
Et levis in nullo gratior aura loco eſt:
Et medio Titan nunc ardentiſſimus axe eſt:
Exuſtuſque gravi ſidere fervet ager.
Siſte viator iter: nimio jam torridus æſtu es.
Jam nequeunt laſſi longius ire pedes,
Accubitu languorem, æſtum aura, umbraq; virenti,
Perſpicuo poteris fonte levare ſitim.

ANte canes omnes paſtori carus Amyntæ
Nuper ab Illyrico litore miſſus Hylax,
Dum ſolitas agit excubias, & ſepta tuetur;
Nec vigilant ſocii cetera turba canes;

Qua.

Qua rapidus ſeſe media inter ſaxa Timavus
Mergit, & inde iterum proſilit amne novo:
Ille quidem ſæva vitulos tutatus ab urſa eſt:
Ipſe ſed ingenti vulnere cæſus, obit.
Conſtituit viridi tumulum de ceſpite Amyntas:
Hæc voluit raram præmia habere fidem.
Mæſta gemunt armenta: mali fureſque, lupique
Extincto hoc ſibi jam cuncta licere putant.

DAt Cereri has Teleſon ſpicas, hæc ſerta Lyæo,
Hæc nivei lactis pocula bina, Pali.
Pro quibus arva Ceres, vites fœcundet Iacchus:
Sufficiat pecori pabula læta Pales.

CUm primum clauſo pecus emittetur ovili,
Urbs mea Leucippe cras adeunda mihi eſt.
Huc ego venalemque agnum, centumque Chariclo,
Ipſa mihi mater quæ dedit, ova fero.
Afferri tibi vis croceos, niveoſve cothurnos?
An ne colum, qualem nata Lyconis habet?
Ipſe feram quæ grata tibi. tu baſia junge:
Gaudia Leucippe nec mihi grata nega.
Cras, ubi nox aderit, odioſæ elabere matri:
Haſque inter corylos ad tua dona veni.

ILli in amore pares, vicini cultor agelli
Thyrſis, cumque ſuo Thyrſide fida Nape,
Ponimus hos tibi Cypri immortales amaranthos:
Liliaque in ſacras ſerta parata comas:
Scilicet exemplo hoc, nullo delebilis ævo
Floreat æternum fac Dea noſter amor.
Sit purus, taliſque utriuſque in pectore candor
In foliis qualem lilia cana ferunt.
Utque duo hi flores ſerto nectuntur in uno,
Sic animos nectat una catena duos.

CAndida Niconoe viduæ ſpes una Terillæ
Montivagas jaculo figere certa feras.
Hunc tibi ſilvipotens arcum Latonia ponit:
Atque hæc in pharetra condita tela ſua.
Illam cara parens tenero ſociavit Icaſto:
Ignotique jubet jura ſubire tori.
Tu Dea, ſi ſilvis ægre diſcedit ab altis:

Si

Si lacrimans cœtus deſerit illa tuos:
Tu bona ſis, felixque illi: tu numine dextro
Optata lætam fac Dea prole domum.

Quæ duo fert collis fœcundi vinitor Acmon
Expreſſi primum cymbia plena meri:
Hæc avidis muſti ſatyris, muſtique parenti
Dat jucunde tibi vitis Iacche ſator.
Illi illæſa ſuis linquant vineta rapinis:
Tu tua fac largis auctibus uva fluat.

Has Vulcane dicat ſilvas tibi villicus Acmon:
Tu ſacris illas ignibus ure pater.
Creſcebant ducta e Stati propagine ſilvis:
Jamque erat ipſa bonis frugibus umbra nocens.
Ure ſimul ſilvas: terra ſimul igne ſoluta
Fertilior largo fœnore meſſis eat.
Ure iſtas. Phrygio nuper mihi conſita colle
Fac pater a flammis tuta ſit illa tuis.

Jam telas, calathoſque, omneſque peroſa labores,
Quos vitæ quæſtus pauperioris habet:
Palladio radium cum templo appenderet Eufro:
Jamque ſequi Venerem conſtituiſſet: ait.
Hactenus o mihi culta vale Dea: & hac tua multi
Inſtrumenta tibi plena laboris habe,
Jam tua perpeſſam dudum mala, lenis habebit:
Adjungetque ſuo me Cytherea choro.
Nec mirum, quam prætulerit Phryx arbiter: a me
Si præſata tibi nunc quoque Cypris erit.

Dum furit Alcippes formoſa Nonacrius Almo:
Crudeli demum tabe pereſus obit.
Almo capripedi non impar arundine Pani.
Quo nullus nymphis gratior Arcas erat.
Spargite odorato paſtores flore ſepulcrum:
Et ſimul infuſum lacque merumque fluat.
Non jacet ille ſub hac [ut vos male creditis] ulmo:
In nemus Idalium tranſtulit alma Venus.
Hic Veneris paſcitque greges, cantatque, canentis
Una aſtant Charites verſibus: aſtat Amor.
Quin etiam hunc Paphii Nymphe non ultima cœtus
Deperit; & paribus fervor utrumque tenet.

Ni-

Nimirum felix Almo: modo perfida virgo
Aſpera ſævitiæ det documenta ſuæ.
Paſtoris pereat ſuccenſa informis amore:
Reſpuat aſſiduas ſurdior ille preces.
Præbeat hinc ſævis tam dura exempla puellis:
Formoſa ut faſtus diſcat habere modum.

A C O N.

CAndida nympha olim, & Pani dilecta Lycæo,
Crinibus, & culto conſpicienda ſinu:
Nunc vox, flebilibus quæ ſemper mœſta querelis
Deſertos ſcopulos, deviaque antra colis:
Salve Echo officioſa. tibi ſub rupe cavata
Ipſe ego lanigeri ductor Acon pecoris
Conſtituam umbroſum frondenti ex ilice lucum:
Molliaque ex hedera ſerta virente feram.
Tu levibus allecta modis ſilveſtris avenæ
Excipis e ſummo carmina noſtra jugo:
Tu quoties querimur, duros miſerata dolores
Neſcio quid triſti flebile voce gemis.
Nec mirum, quod tu lacrimis movearis amantum:
Perdidit infelix te quoque durus Amor.
Ah miſera, ipſa quidem & ſtrophio ſubnectis olenti,
Et longa molles excolis arte comas.
Ipſe puer cultus, ipſe omnes odit amores:
Inſequiturque vagas per juga ſumma feras.
Quin humiles addis voces: & verba precantis
Effugit: atque omnes negligit ille preces.
Siſte gradum immitis, non te violenta leæna,
Non curvo ſequitur dente timendus aper:
Sed quæ candenti facie, niveiſque papillis
Vel magno poſſit Nympha placere Jovi.
Hæc aget & celeres tecum per ſaxa lacænas;
Eque ſuis tendet retia rara plagis.
Siſte gradum immitis, & quas nunc tendis ad undas,
Effuge: cauſſa tuæ fons erit ille necis.
Heu miſerande puer, tales ten' ſolvere pœnas?
Ten' decuit tam crudelia fata pati?
Magna parens, quæ cuncta leves producis in auras,
Totaque diverſo germine picta nites:
Quæ paſſim arboribus, paſſim ſurgentibus herbis
Sufficis omnifero larga alimenta ſinu:
Excipe languentem puerũ, moribundaque membra:
Æter-

Æternumque tua ſac Dea vivat ope;
Vivet, & ille vetus zephyro redeunte quot annis
In niveo candor flore perennis erit.
Tu mecum ſocias Echo conjunge querelas:
Et percuſſa novis fletibus antra ſonent.
Crudelis Telayra, meos quid ſpernis amores?
Quid miſeras ſurda deſpicis aure preces?
Hei mihi nulla ovium tangit me cura mearum:
Ex quo me iſte tuus perfida torret amor.
It miſerum pecus: & ſeri ſub veſperis umbras
Per ſe ipſi redeunt in ſua tecta greges.
Nec mihi jam niveo complent mulctralia lacte:
Denſaque permiſſo vellere terga gerunt.
Quin etiam aucupii ſtudium, quo clarus habebar,
Languenti penitus excidit ex animo.
Ite leves paſſim ſilvis impune volucres:
Cuncta novus noſtra e mente fugavit amor.
Ocia agunt pedicæ, & lento lita vimina viſco
In tenebris amites, nexaque lina jacent.

D A M O N.

Vos mecum e vitreis nymphæ Naucelides antris,
Vos mecum viridi paulum conſidite in herba:
Atque hoc, quem canimus, dignũ concedite carmen
Sic vobis patrias circum vernantia ripas
Prata neque hybernis nivibus viduata neque æſtu
Sufficiant varios in ſerta nitentia flores.
Quis dolor o ſilvæ, quæ vos o prata tenebat
Mœſtities? quanto ſqualebant omnia luctu?
Cum ferus e gelidis deſcenderet alpibus hoſtis
Aſſidue, & Latias in prædam verteret oras:
Tum (reor) invita creverunt pabula terra:
Invitæ e denſis ceciderunt frondibus umbræ.
Quippe abigi raptas pecudes, paſſimque videbant
Paſtorum rapidos tectis involvier ignes.
Ipſi etiam hircipides fauni, ſatyrique bicornes,
Ipſæ etiam in ſolos nymphæ fugere receſſus:
Et ſeſe ignotis occultavere latebris.
Et furor is fines prope jam pervaſerat omnes,
Jamque fugæ deerat nobis locus: undique ſævos
Cernere erat latis hoſtes diſcurrere campis.
Nulla uſquam tam ſecretis luſtra abdita ſilvis,
Nulla aditu eſt tam difficili, tamque invia rupes:

Quo

Quo non ſæpe greges ſubitis incurſibus acti
Feſſa reclinarint in nudo corpora ſaxo.
Et tamen hinc etiam crebri ejecere tumultus.
Inſuetæque maris pecudes [miſerabile viſu]
Qua pelagi mediis iter intercluditur undis:
Adriacos videre ſinus: & litore curvo,
Pro viridi cytiſo, pro molli graminis herba,
Et ſpinis paliuri, & acuta carice paſtæ
Potarunt ſalſas nitidis pro fontibus undas:
Et ſæpe irati timuerunt murmura ponti.
Quod ſi non novus ex alto demiſſus Olympo
Hanc cladem noſtris Deus avertiſſet ab oris:
Auſoniis eſſet nullus jam paſtor in agris.
Nos miſeri patria extorres, rerum omnium egeni,
Ah dolor, externas longe erraremus ad urbes.
Hic nobis dulces ſaltus, hic paſcua nota
Reſtituit: tutique, inquit, jam paſcite tauros:
Jam ſolitas tuti collo ſuſpendite avenas:
Et deſueta diu reſponſent carmina colles.
Ergo omnes, veluti & Phœbo, Panique quot annis
Paſtores certis ſtatuent tibi ſacra diebus
Magne pater: noſtriſque diu cantabere ſilvis.
Te rupes, te ſaxa, cavæ te maxime Juli
Convalles, nemorumque frequens iterabit imago.
At vero noſtris quæcumque in ſaltibus uſquam
Quercus erit: ut quæque ſuos dant tempora flores:
Semper erit variis ramos innexa coronis:
Inſcriptumque geret felici nomine truncum.
Tum quoties paſtum expellet, paſtaſve reducet
Noſtrum aliquis pecudes: toties id mente revolvens
Ut liceat factum eſſe tuo pater optime ductu:
Nullus erit, qui non libet tibi lacte recenti:
Nullus erit qui non teneros tibi nutriat agnos.
Quin audire preces niſi dedignabere agreſtes:
Tu noſtra ante Deos in vota vocaberis omnes.
Ipſe ego bina tibi ſollemni altaria ritu,
Et geminos ſacra e quercu, lauroque virenti
Vicino lucos Nauceli in litore ponam.
Hic ripa paſſim in molli viridante ſub umbra
Vere novo, dum floret ager: dum germinat arbos:
Dum vario reſonant volucrum nemora avia cantu;
Annua conſtituam feſtis convivia ludis:
Ductores pecudum hic omnes, ruriſque coloni
Con-

Contendent jaculo, & rapidi certamine curſus:
Horridaque agreſti nudabunt membra palæſtra.
Ipſe pecu, & tenero victor donabitur hædo.
Præterea dulci cantabit arundine Damon
Carmina, quæ puerum docuit Sebethius Ægon:
Olim cum procul hinc illis habitaret in oris.
Scilicet ut quondam Aſſyrii paſtoris amore
Capta dea & cælum, & fulgentia ſidera linquens
Omnibus his cari præferret Adonidis ignes.
Fortunate puer tecum formoſa Dione,
Una tondet oves: una ad mulctralia ducit:
Atque immunda premit cæleſtibus ubera palmis:
Dum te complexu teneat, non illa recuſat,
Tecum inter pecudes vili requieſcere culmo:
At Mars ipſe Deæ cura tabeſcit inani.
Fortunate puer, mediis pecus errat in agris:
Tu viridi dejectus in umbra aut carmina cantas,
Aut poſita in Veneris gremio cervice recumbis:
Illa tibi amplexus molles, illa oſcula jungit:
Caraque odoratis exornat tempora ſertis.
Sed tu nimirum, ſed felix tu quoque Damon,
Cui licuit toties Ægonem audire canentem:
Divinique ſenis ſacros ediſcere cantus.
Quod mihi magne pater divum ſi fata dediſſent,
O quales tibi cantaret mea fiſtula laudes.
Et quodcumque tamen felix concedet Apollo,
Hoc te unum canet, hoc uni tibi ſerviet omne.
Nec quicquã magis optarim, quàm digna triumphis
Poſſe tuis: videorque canens tua maxima facta,
Inferior nullo, non ipſo Ægone futurus.
Ipſe ſuo certet mecum ſi carmine Daphnis:
Ipſe ſuo Daphnis cum carmine victus abibit.
Interea agreſtis dignatus ſibila cannæ
Dexter ades nobis: & quæ facis, ocia ſerva.

FLorentes dum forte vagans mea Hyella per hor-[tos
Texit odoratis lilia cana roſis:
Ecce roſas inter latitantem invenit Amorem:
Et ſimul annexis floribus implicuit.
Luctatur primo: & contra nitentibus alis
Indomitus tentat ſolvere vincla puer.
Mox ubi lacteolas, & dignas matre papillas
Vidit, & ora ipſos nata movere Deos;

Im-

Impoſitoſque comæ ambroſios ut ſenſit odores:
  Quoſque legit diti meſſe beatus Arabs;
I, dixit, mea quære novum tibi mater Amorem,
  Imperio ſedes hæc erit apta meo.

NOx bona, quæ tacitis terras amplexa tenebris
  Dulcia jucundæ furta tegis Veneris,
Dum propero in caræ amplexus, & mollia Hyellæ
  Oſcula: tu noſtræ ſis comes una viæ.
Neque aliquis noſtros poſſit deprehendere amores:
  Aera coge atras denſius in nebulas.
Gaudia qui credit cuiquam ſua: dignus, ut umquã
  Dicier illius nulla puella velit.
Non ſola occultanda cavis ſunt orgia ciſtis:
  Solave Eleuſinæ ſacra ſilenda Deæ.
Ipſe etiam ſua celari vult furta Cupido:
  Sæpius & pœnas garrula lingua dedit.
Una meos, quos & miſerata eſt, novit amores
  Officiis nutrix cognita fida ſuis:
Hæc, quæ me foribus vigilans exſpectat in ipſis:
  Inque ſinum dominæ ſedula ducit anus.
Hanc præter, tu ſancta, latent qua cuncta, ſilentque,
  Tu Dea ſis flammæ conſcia ſola meæ:
Quæque libens adſtat noſtrorum teſtis amorum
  Nobiſcum tota nocte lucerna vigil.

OPpoſitæ obſtabant noſtris prius auctibus ædes:
  Nec nos cælum ulla, Solve juvabat ope:
Diſiectis herus his Solemque admiſit: & aura
  Conceſſit nobis liberiore frui:
Hinc nos in tenues certatim tollimur auras:
  Ornamurque novæ frondis honore caput.
At tibi, cui ſacris muſarum & Apollinis umbris
  Exſtructas libuit poſthabuiſſe domos:
Perpetuo ſimiles noſtris ſint frondibus anni:
  Nobiſcum augeſcant & tibi cuncta bona.

QUem toties vixiſſe anima redeunte renatum
  Mutato fama eſt corpore Pythagoram:
Cerne iterum ut docti cælo generatus Aſylæ
  Vivat: ut antiquum ſervet in ore decus.
Dignum aliquid certe voluit: ſic fronte ſevera eſt:
  Sic in ſe magno pectore totus abit.

Poſſet

Poſſet & ille altos animi depromere ſenſus:
  Sed veteri obſtrictus relligione, ſilet.

JAm triſti canos glacie concreta capillos
  Afflatu tepidi fugit hyems zephyri.
Jam nitidum os Ver molle auras in luminis audet
  Proferre: & teneros ferre per arva pedes:
Tempora diverſis tollens halantia ſertis
  Purpureo matris Chloridos e gremio,
Summittit varios tellus fœcunda colores:
  Convertit molles quo puer ipſe gradus,
Et paſſim, quacumque vagos deflectit ocellos,
  Diffugiunt toto nubila cuncta polo.
It prope, & incutiens blandas in pectore flammas,
  Omnia jucundo accendit amore Venus,
Quam circum vario texunt e flore coronas
  Perfuſæ Aſſyrio rore comam Charites.
Hinc atque hinc mille aligeri pueri aſſultantes
  Coniiciunt certa ſpicula acuta manu.
Concipiunt dulces animalia cuncta calores:
  Perſultantque vagi pabula læta greges.
Ipſe ſuam de colle canens Amaryllida paſtor
  Paſcentes tenui carmine mulcet oves:
Percuſſæque nova dulcedine corda volucres
  Dant lætos paſſim per nemora alta ſonos.
Sola gemit, ramoque ſedens miſerabilis alto
  Abſumptum mater Thracia plorat Itym.
Di bene, quod noſtræ tam longe a finibus oræ
  Exactum hoc dira eſt in regione ſcelus.
Heu puer infelix, matri dum brachia tendit
  Aſſueto cupiens ſe implicuiſſe ſinu;
Illa ferox animi, cæcoque agitata furore
  Avulſum duro diripit enſe caput.
Quid facis ah demens? ferro quem perdis iniquo,
  Is lac dulce tuis hauſit ab uberibus.
Huic tu longinquam votis optare ſenectam,
  Huic ſolita es teneras dicere blanditias.
Heu miſerum genitor nati, infelixque ſepulcrum,
  Ut tibi tunc toto pectore ſenſus abit:
Infandæ noſti cum conjugis impia facta,
  Atque epulas menſis triſtibus appoſitas:
Nempe furis: ſtrictoque ruis violentior enſe:
  Sed ſublata alis effugit illa novis.

Per-

Perpetuum fleat, ut merita eſt: longiſque quereli s
Antiqui pœnas perſoluat ſceleris.
Nos Turri, dum florifero Vere omnia rident:
Spirat & e ſummis gratior aura jugis:
Nos hic, qua nitida pellucens rivulus unda
Labitur: & levi murmure dulce ſonat:
Cantemus molles formoſæ Amathuſidos ignes:
Quidque ferox arcu, quid face poſſit Amor.
Armenias domat hic tigres, ſævaſque leænas;
Eripit hic ſummo, cum libet, arma Jovi.
Hoc duce pallentes umbras Oeagrius Orpheus,
Triſtiaque horrendi limina regis adit:
Nec timuit, ſævæve Hecates immania monſtra,
Armataſve atris Eumenidas facibus.
Hoc cogente, omni cum pectore conſternatus
Abrupto nollet vivere conjugio:
Paullatim Eurydices, veterumque oblitus amorum
In Calain tota mente Boreiadem
Exarſit: penituſque inſano perditus igne
Senſit ferventes intima ad oſſa faces.
Formoſe o Calai pulchræ genus Orythiæ
Te virides ſilvæ, te cava ſaxa ſonant.
In te ſuſpirat: ſolum te cogitat Orpheus:
Per te ſollicito nulla quies animo eſt.

DUm te blanda tenent æſtivas rura per umbras,
Delitiis nimium rura beata tuis:
Ecqua tui mea lux tangit te cura poetæ,
An meus e toto pectore ceſſit amor?
Ceſſit amor certe: ſoliti ceſſere calores:
Abſentis meminit nulla puella viri.
Non ita concuſſæ verſantur in arbore frondes,
Cum gravis adverſum verberat aura nemus:
Quam facile inſtabilem permutat fœmina mentem,
Excluſus queritur, qui modo carus erat.
Non ſic Penelope, non ſic Capneja conjux
Antiqui meruit temporis eſſe decus.
Altera defuncti mœrens ad buſta mariti,
Noluit abrepto vivere ſola viro.
Altera bis denos potuit durare per annos:
Dum cupidos cauta detinet arte procos.
Fœmina nunc varias tantum connectere fraudes
Novit, & in nulla certa manere fide.

Quid

Quid queror hæc demens? duræ procul ite querelæ:
 Ite: decent triſtes triſtia verba viros. (res;
Lætus ego: hos neque enim ſequitur mea Gellia mo-
 Mutare incertos nec ſolet illa toros,
Quin & manſit amor: ſoliti manſere calores:
 Abſentis meminit noſtra puella viri.
Multa tamen timeo; tu multa ignoſce timenti:
 Hei mihi pars noſtro nulla timore vacat.
Ah quoties vereor, dum picta per arva vagaris:
 Dum rutilæ texis florida ſerta comæ:
Ne ruat e ſummis in te Saturnius aſtris:
 Sifve alii cuivis grata rapina Deo.
Preſſit Amimonem mediis Neptunus in arvis,
 Dum premeret ſummum virginis urna caput.
In mediis Io campis perpeſſa Tonantem eſt:
 Horridaque hirſuta cornua fronte tulit.
Hinc quoque tartareo raptam Deoida curru
 Abſtulit infernus in ſua regna pater.
Sidonis errabat nitidos Europa per agros:
 Cum medium ficto per mare vecta bove eſt.
Non tamen hos tantum cauſantur prata timores:
 Hei mihi quam multos dat quoque ſilva metus.
Hic habitant ſatyrique, & agreſtia numina Panes:
 Et timor errantum Faunus Hamadryadum.
Hic verſa in virides Daphne Peneja frondes:
 Hic fera mutato Parrhaſis ore fuit.
Hic & ſemicaper ſpreta Nonacrius Ægla
 Arcadicæ forma virginis incaluit.
Quod ſi tecum iiſdem pariter verſarer in arvis,
 Et domus unanimes clauderet una duos:
Non ego cælicolum fraudes, non furta timerem:
 Undique me ſocio Gellia tuta fores.
Si verſa eſt Daphne: Sicula Proſerpina ab Ætna
 Si vecta eſt Stygiis in nova regna rotis:
Quid mirum? facile eſt deceptas fraude puellas
 Fallere, nullius quas tueatur Amor.
Ipſe ego perpetuo tecum mea vita manerem:
 Sic poſſem nullos extimuiſſe Deos.
Sæpe pererrabat tacitos Atalanta receſſus;
 Tuta tamen fido Mimalione fuit.
Cingeret obſeſſos ſeu curva indagine colles:
 Seu cuperet ſævas cominus ire feras:
Hærebat lateri ſemper comes ille: nec umquam
A do-

A domina lato longius ungue fuit.
Ergo huic non ſummi fraudes nocuere tonantis:
Inque ſuo nullos ſenſit amore dolos.
Sic ego per ſilvas tecum, & per prata vagarer:
Grata eſſent ſine te gaudia nulla mihi.
Nunc pariter nitida recubare juvaret in umbra:
Et capere in viridi ſomnia grata toro:
Nunc pariter nuda fontes invadere ſura:
Torrida dum ſiccus finderet arva canis.
Sæpius in ſilvis lepores captare fugaces:
Et volucres ſictis fallere carminibus.
Sæpius in denſo convivia ducere luco:
Et madidas verno flore ligare comas.
Sæpius umbroſo choreas ductare ſub antro,
Cum daret agreſtes tibia pulſa ſonos.
Ah quoties tales inter mea Gellia luſus
Iniicerem cupidas in tua colla manus:
Dulciaque e roſeis furarer baſia labris,
Baſia mi cunctis anteferenda bonis.
O niveam, ſi qua hæc referet mihi gaudia, lucem:
Gratior optatis non erit ulla meis:
Semper Erythræis ſignabitur illa lapillis:
Semper erit ſacros inter habenda dies.
Nunc, quoniam tecum me non licet eſſe, caveto
Mutuus extincto ne cadat igne calor.

J O L A S.

PAſcite oves teneras herbas per pabula læta,
Paſcite; nec plenis ignavæ parcite campis:
Quantum vos tota minuetis luce, refectum
Fœcundo tantum per noctem rore reſurget:
Hinc dulci diſtenta tumeſcent ubera lacte:
Sufficientque ſimul fiſcellæ, & mollibus agnis.
Tu vero vigil, atque canum fortiſſime Teucon,
Dum paſcent illæ late per prata, luporum
Incurſus ſubitos, ſævaſque averte rapinas.
Interea hic ego muſcoſo proſtratus in antro
Ipſe meos ſolus mecum meditabor amores,
Atque animi curas dulci ſolabor avena.
O formoſa Amarylli, nihil te abſente videtur
Dulce mihi: nunc & nitido Vere omnia rident:
Et vario reſonant volucrum nemora avia cantu.

Exultim virides ludunt armenta per herbas :
Laſcivique agni , infirmiſque artubus hædi
Cornigeras matres per florida prata ſequuntur .
Non tamen iſta magis ſine te mihi læta videntur ,
Quam ſi triſtis hyems, nimbiſque rigentibus horrens
Agglomeret gelido canas aquilone pruinas .
Dulce apibus flores , rivi ſitientibus herbis ,
Gramen ovi , capræ cytiſus , Amaryllis Iolæ .
Non ego opes mihi , non curſu prævertere ventos
Optarim magis, aut pecoris quodcumq; per orbẽ eſt ,
Quam te Amarylli meis vinctam retinere lacertis :
Et tecum has inter vitam deducere ſilvas .
Eſt mihi præruptis ingens ſub rupibus antrum ,
Quod croceis hederæ circum ſparſere corymbis :
Veſtibulumque ipsum ſilveſtris obumbrat oliva :
Hanc prope fons , lapide effuſus qui deſilit alto ,
Defertur rauco per levia ſaxa ſuſurro :
Hinc late licet immenſi vaſta æquora ponti
Deſpicere , & longe venientes cernere fluctus .
Hoc mecum ſimul incoleres Amarylli : ſimulque
Mecum ageres primo pecudes in paſcua ſole :
Mecum abeunte die pecudes cava in antra vocares .
Sæpe etiam denſo in nemore , aut convalle virenti ,
Dum tenue arguta modularer arundine carmen ,
Tu mecum ipſa eſſes ſimul , aſtareſque canenti :
Quin & nunc pariter caneres : nunc dulcia noſtro
Baſiaque , & Veneris miſceres gaudia cantu .
O ſolum hoc ſuperi miſero concedite amanti :
Tum licet & rapiantur oves , rapiantur & agni ,
Ipſe tamen Crœſo mihi ditior eſſe videbor .
Mollibus in pratis Lycidæ poſt Daphnidis hortos ,
Purpureos flores texenda in ſerta legebas :
Cum te ſuccincta tunica , fuſiſque capillis
Et vidi ſimul , & totis ſimul oſſibus arſi .
Pone ſequebatur Gorge ſoror , & tamen audax
Acceſſi : ſumque ipſe meos tibi faſſus amores .
Riſiſti , & ſertum , nitida quod fronte gerebas ,
Tamquam ex ſe cecidiſſet humi , jeciſti , abienſque
Liquiſti , advertens collegi protinus ipſe :
Servavique & adhuc tamquam tua munera ſervo .
Et quamvis dudum foliis languentibus aret ;
Non tamen eſt ſerto quicquam mihi carius illo .
Ex illo , ſemperque fui tibi deditus uni ,

Pul-

Pulchraque nulla meis oculis te præter habetur.
Sæpe mihi Alcippe vicina & munera miſit:
Et dixit, formoſe puer quæ munera mittit,
Mittit & ipſum animũ: tu & munera ſuſcipe, & illũ.
Sed potius Amarylli alio quam tangar amore,
Sudabunt humiles flaventia mella geniſtæ:
Et molles violæ dura naſcentur in orno;
Incultique ferent candentia lilia vepres,
Et mœſtis ululæ cedet philomela querelis.
Quantum ver formoſum hyeme eſt jucundius atra:
Quantum mite pirum ſorbis eſt dulcius ipſis:
Quantum hirſuta capella ſuo ſetoſior hædo:
Quantum nocturnis obſcuri veſperis umbris
Puniceo exſurgens aurora nitentior ortu eſt:
Tantum Amarylli aliis mihi carior ipſa puellis.
Hæ teſtes mihi ſunt ſilvæ, vicinaque ſilvis
Populus hæc: cujus tale eſt in cortice carmen:
VELLERA cum ſetis aries mutarit, & hircus
Velleribus ſetas; Amaryllida linquet Iolas.
Sed nos dum longum canimus, jam roſcida Luna
Apparet cælo: & rapidus deferbuit ardor
Demerſo jam Sole: tamen miſer ardet Iolas.
Nimirum noſtros nequeunt lenire colores,
Nec quæcumque rigent Rhyphæo in monte pruinæ,
Nec quæcumque ſimul gelido durantur in Hebro:
Fors tamen hos illa ipſa, poteſt quæ ſola, levabit:
Sperando interea duros ſolabimur ignes.
At vos, ne ſero dum nox inſurgit Olympo,
Præſidio umbrarum fretus malus ingruat hoſtis,
Jam paſti ſecura greges in ovilia abite.

QUam tibi nunc Jani donamus Hyella calendis,
Exprimit hæc vultus parva tabella meos:
Nulla fuit cuiquam ſimilis mage, pallet imago,
Aſſiduus noſtro pallor in ore ſedet.
Eſt excors, ſine corde & ego, quod pectore noſtro
Ipſe amor ereptum ſub tua jura dedit.
Non loquitur, mihi ſic tua cum datur ora tueri,
Torpet neſcio quo lingua retenta metu:
Unum diſſimile eſt nobis: felicior uno eſt:
Tam ſæva quod non uritur illa face.
Quod ſi etiam uretur, tuo enim ſub lumine quicquã
Illæſum flammis non licet ire tuis:

Non ut ego aſſiduo infelix torrebitur igne :
In cinerem primo corruet illa foco.

BEate ſomne, nocte qui heſterna mihi
Tot attuliſti gaudia;
Utinam deorum rector ille cælitum
Te e cœtu eorum miſerit:
Quæ ſæpius mortalibus vera aſſolent
Mitti futuri nuntia.
Tu, quæ furenti ſurdior freto meas
Superba contemnit preces:
Facilem Neæram præbuiſti, quin mihi
Mille obtulit ſponte oſcula:
Oſcula, quæ Hymeti dulciora ſint favis:
Quæ ſuaviora nectare.
Vere beate ſomne, quod ſi ſæpius
His Dive me afficias bonis;
Felicior cæleſtibus Deis ero,
Summo nec inferior Jove.
At tu proterva quo libet fuge, eripe
Complexibus te te meis:
Si ſomnus iſte me frequens reviſerit,
Tenebo te, invitam licet.
Quin dura ſis, ſis quamlibet ferox: eris
Et mitis, & facilis tamen.

CAnale optime, tuque Bembe, noſtri
Amantiſſimi utrique, amati utrique
A me non minus atque utrique ocelli,
Quid rerum geritis? valetis? atque
Abſentis memores ſodalis eſtis?
Quid veſtræ faciunt bonæ Camœnæ?
Scripſerunt ne aliquid novi meum poſt
Diſceſſum? puto namque quicquid oci
Per veſtras datur occupationes,
Id vos in ſtudiis bonis locatis.
Ad me mittite ſiquid edidiſtis,
Oro: nec ſocium bonum negate
Veſtri participem leporis eſſe.
Sed qui cum Venere ipſa, amoribuſque
Quam vobis bene convenit? caletis?
Amatis ne? Dei Deæque ſaxint
Et feliciter, & bene ipſi ametis:

Quam.

Quamque ego leviuſque, leniuſque.
Heu heu me miſerum mei ſodales
Quam ſævo teneor furore: quam mi
Totus quam gravis incubat Cupido.
Non quod non amor: intimis medullis
Ardet mea Hyella, perditeque
Quantum quid pote perditiſſimum eſſe.
Verum hoc me excruciat magis: potiri
Mea nam vetitum mihi puella.
Quod ſi quando licet, nihil levatur,
Sed ferus magis excitatur ardor.
Nam cum nec ſaturum recedat inde
Cor mi: nec furor expleatur umquam
Caris baſiolis, papillulisque,
Atque his, qui miſerum necant, ocellis:
Augeſcit magis, & magis, quid heu heu
Adverſo paterer Deo, atque iniquo:
Si hæc incommoda ſunt ſecundo amore?

QUamvis te peream æque Hyella totam:
Nec pars ſit mea lux tui ulla, quæ me
Sævo non penitus perurat igne:
Fulgentes tamen illi, amabileſque
Illi, ſideribus pares ocelli
Noſtri maxima cauſſa ſunt furoris.
O cari nimis, o benigni ocelli,
O dulci mihi melle dulciores,
Quando vos miſero mihi licebit
Uſque ad millia millies trecenta,
Aut ultra hæc etiam, ſuaviari?
Di concedite mi hoc miſello amanti:
Dein nil grave perpeti recuſo:
Quin & ſi peream, lubens peribo.

DIſpeream niſi tu vita mihi carior ipſa,
  Atque anima, atq; oculis es mea Hyella meis.
Diſpeream niſi ego vita tibi carior ipſa,
  Atque anima, atque oculis ſum mea Hyella tuis.
Nec ſatis hoc: vellem pote quicquam his eſſet haberi
  Carius, ut poſſes carior eſſe mihi.
Tu quoq; idem velles, pote quicquam his eſſet haberi
  Carius, ut poſſem carior eſſe tibi.
Di facite, hæc longos concordia duret in annos,
  Tamque bonos mutent ſæcula nulla animos.

JAm cæli reſerat fores
Aurato e thalamo exiens
Mater Memnonis, & diem
Læto provocat ore.
Nos te maxime maximi
Miniſter canimus patris:
Quo nullus qui hominum genus
Tam præſens juvet, uſquàm eſt.
Tu noſtras celer ad preces,
Aures protinus ad Deum has
Deſers: nec tenues ſinis
Evaneſcere in auras.
Tu, dum fers nova nuntia
Virgini ætherio patri
Dilectæ, quibus indicas
Magni vota tonantis:
Nobis fers nova nuntia:
Quis e faucibus impii
Erepti hoſtis, in aurea
Cæli templa vocamur.
Adſis o bone: & in dies
Semper nos propius juva:
Nec patrocinio tuo
Umquam mitte tueri.

URbs, quam vetuſto vectus ab Ilio
Poſt fata Troum triſtia, poſt graves
Tot patriæ exhauſtos iniquo
Tempore, tot pelago labores,
Ducente demum Pallade, qua rapax
Cultos per agros Medoacus fluit,
Diis fretus Antenor ſecundis
Condidit, Euganeis in oris.
Tu nuper & flos, & decus urbium,
Quaſcumque tellus Itala continet:
Magnas tot artes, tot virorum
Ingenia, & ſtudia una alebas.
Te ſepticornis Danubii accola,
Te fulva potant flumina qui Tagi,
Longeque ſemoti Britanni
Cultum animi ad capiendum adibant.
At nunc, acerbi heu ſæva neceſſitas

Fati,

Fati, ſeveras ut pateris vices:
Ut te ipſe vaſtatam vel hoſti
Conſpicio miſerandam iniquo.
Quid culta tot pomaria conquerar?
Tot pulchra flammis hauſta ſuburbia?
Quid glande deturbata ahena
Mœnia? præcipitemque ſævi
Mavortis iram, bellaque perſequar
Horrenda? ſquammis ille adamantinis,
Ferroque conſertam rigenti
Induerat chlămydem trilicem:
Fremenſque, & atrum letifera manu
Telum coruſcans ſecum odia, & necis
Contemptum, & inſanos tumultus,
Secum animos, rabiemque agebant.
Ille urbe ab imis ſedibus eruta
Impleſſet omnes funeribus domos:
Non ille vel ſexu, vel ullo
Efferus abſtinuiſſet ævo.

QUi modo ingentes animo parabam,
Bembe, bellorum ſtrepituſque, & arma
Scribere, hoc vix exiguo male audax
Carmine ſerpo.
Nempe Amor magnos violentus auſus
Fregit iratus: velut hic Tonantem
Cogit & fulmen trifidum rubenti
ponere dextra.
Sic eat, fors & ſua laus ſequetur
Candidæ vultus Lalages canentem, &
Purius claro radientis aſtro
frontis honores.
Nota Lesboæ lyra blanda Sapphus;
Notus Alcæi Lycus, altiori
Scripſerit quamvis animoſum Homerus
pectine Achillem.

DIa Tithoni ſenioris uxor,
Quæ diem vultu radiante pandis:
Cum genas efferſ roſeas rubenti
prævia Soli.
Roſcidos ut nunc per agros vagari
Sub tuo adventu juvat: & recentes,

Quæ tuos ſemper comitantur axes,
excipere auras.
Sicca jam ſævus calor uret arva,
Jam vagi aurarum levium ſileſcent
Spiritus, jam Sol rapidus furentes
exeret ignes.
Dum licet, læti ſimul ite amantes,
Dum licet, molles pariter puellæ
Ite, flaventes vario capillos
nectite ſerto.
Nunc ſimul telis poſitis amores
Matris hærentes lateri, & decentes
Gratiæ plenos referunt reſecto
flore quaſillos.
Per feros ſaltus, per iniqua luſtra
Undique occultas agitans latebras
Fertur, & ſilvas varia ferarum
ſtrage cruentat.
Clara Latonæ ſcboles, nitenti
Huic comæ in nodum religantur auro,
Pendet aurata ex humeris pharetra,
pendet & arcus.
Circum eunt nymphæ ſimul, illa curſu
Gaudet effuſos agitare cervos,
Hanc juvat certis jaculis fugaces
figere lyncas.
Nunc ab umbroſo ſimul æſculeto
Daulias late queritur, querelas
Conſonum circa nemus, & jocoſa
reddit imago.

NIl tecum mihi jam Phœbe eſt, nil Nox mihi tecum,
A vobis non eſt noxve, dieſve mihi.
Quantum ad me, ut libet auricomo Sol igneus axe
Exeat eoæ Tethyos e gremio,
Ut libet, inducat tacitas Nox atra tenebras:
Fert mihi noctem oculis, fert mihi Hyella diem.
Nam quoties a me nitidos avertit ocellos,
Ipſa in luce etiam nox tenebroſa premit.
At quoties in me nitidos convertit ocellos,
Candida & in media fit mihi nocte dies.

Diva,

DIva, quæ has cæli generatim in auras
Cuncta producis, cupidumque amorem
Undique infundens facis, ut perenne
ſæcla propagent:
Qua nihil læſum ſine, amabile eſt nil,
Nilque jucundum, ſine qua nec ipſæ
Gratæ erunt cuiquam Charites, nec ipſa
blanda voluptas:
Dum tibi lætus reparatur orbis,
Dum per herboſos pecus omne campos
Vim tuam ſentit, tibi plaudit omnis
Diva volucris:
Dum nihil, quamvis rigidum, feroxque eſt,
Oſſibus quod non penitus ſub imis
Sit tua tactum face, quod tuos non
ſentiat ignes:
Una erit flammarum, & amoris expers?
Una ſecura his Lalage reſiſtet?
Tange age ultrici Dea, pertinacem
tange flagello.
Quod ſi ita tanges, fera ut obſtinatum
Applicet noſtris animum querelis,
Nec preces ultra miſeras, ſuperba
negligat aure.
Conferam lætam tibi Diva myrtum,
Vancius qua ſe roſifer revolvit,
Hanc mero ſupplex, niveo & rigabo
lacte quot annis.
Hanc & immiſtæ pueris puellæ
Circum agent lætas pariter choreas:
Teque prima unam, ſimul ultima unam
voce canent te.
Te canent unam, volucremque natum,
Qui ferox, duro & ſimilis parenti,
Acer & flamma eſt, & agente certum
cuſpide vulnus.
Spargam odoratas violas, roſaſque
Ipſe ego votique reus ſecabo
Grata torquatæ ante tuas columbæ
guttura flammas.

QUid magis adverſum bello eſt? bellique tumultu
Quam Venus? ad teneros aptior illa jocos:

Et tamen armatam hanc magni pinxere Lacones,
Imbellique data eſt bellica parma Deæ.
Quippe erat id ſignum forti Lacedæmone natum
Sæpe & fæmineum bella decere genus.
Sic quoque non quod ſim pugna verſatus in ulla,
Hæc humeris pictor induit arma meis. [quo
Verum hoc quod bello, hoc patriæ quod tempore ini-
Ferre vel imbellem quemlibet arma decet.

BOrgetus lepidus catellus ille,
Cujus blanditias proterviores,
Et luſus herus ipſe tantum amabat,
Quantum tale aliquid poteſt amari.
Nec mirum, dominum ſuum ipſe norat,
Caram bima velut puella matrem,
Et nunc illius in ſinu latebat,
Nunc blande aſſiliebat huc & illuc
Ludens, atque avido appetebat ore,
Erectis modo cruribus, bipeſque,
Menſæ aſtabat herili: heroque ab ipſo
Latratu tenero cibum petebat.
Nunc raptus rapido, maloque fato
Ad manes abiit tenebricoſos;
Miſelle o canis, o miſer catelle
Nigras parvulus ut timebis umbras:
Ut ſæpe & dominum tuum requires;
Cui pro delitiis, jociſque longum
Heu deſiderium tui relinquis.

VOs mihi nunc magnos partus, ortuſque beatos
Felicis pueri, quo pinguia culta vetuſti
Naonis exultant, quo Carnea tota ſuperbit,
Dicite Pierides, vos illum e matre cadentem
Excepſtiſque ſinu: & veſtris foviſtis in ulnis
Et teneram molli cinxiſtis baccare frontem.
Nec vero vos tantum has acceſſiſtis ad oras,
Nec ſolæ veniſtis ad hæc vos munera Muſæ,
Affuit ipſa etiam pariter, ſpargenſque ſalubres
Pyxidos arcanæ ſuccos, partuſque dolores
Leniit, & materiam fœtu Lucina levavit:
Affuit Idalio veniens e colle Dione,
Necta re odorato crines perfuſa fluentes,
Aſſue tæque leves Charites ductare choreas.

Hæ

Hæ ſimul ambroſia puerum lavere liquenti,
Et parvas tenui cunas ſtravere liguſtro.
Venit & undifluis properans Naucelus ab antris,
Quem prope cæruleo e fluctu formoſa Metune
Ibat, eos circum violaſque roſaſque rubentes
Vimineis nymphæ calathis & ſerta ferebant
Purpureo e narciſſo, eque auricomo chryſantho.
Quæ poſtquam totas paſſim ſparſere per ædes,
Jucundoque domus late fragravit odore,
Protinus ecce Jovis magni de limine Parcæ,
Antiquæ Parcæ, niveo queis corpora amictu,
Canaque Chaonia velantur tempora quercu.
Hæ poſtquam & matrem complexa, & fronte ſerena
Oſcula junxerunt parvo felicia nato,
Candida verſato torquentes vellera ſuſo,
Fatidico tales fuderunt pectore voces.
O fauſto nimium cælo, Diviſque benignis,
Nate puer, creſce, & dulces ſolare parentes,
Et fatis lætare tuis. tuque optima mater,
Tuque boni genitor pueri, quos omine dextro
Caſtus hymen quondam thalamo ſociavit in uno,
Accipite hæc lætis animis, neu poſſe moveri
Credite, quæ vero concordes ore canemus.
Qualis in aprico ſe tollit amaracus horto,
Quam ſtudio ſolers omni formoſa puella
Ipſa ſuos alit in luſus, & lenibus undis
Irrigat: illa leves paulatim ſurgit in auras
Pulchrior, & dulcem late diffundit odorem.
Sic puer augeſcens primo ſe tollet in ævo,
Nec ſe quiſquam illi formoſo conferet ore.
Mox ubi jam validus teneris exceſſerit annis,
Tunc illum ſacras artes, doctæque docebunt
Aonides, princepſque chori formoſus Apollo,
Illi & divini latices Aganippidos undæ,
Et virides Hæmi ſaltus, Pindique patebunt.
Mars quoque bellipotens ſimul, & Tritonia virgo
Muneribus bellorum & ſævis inſtruet armis.
Doctior haud illo quiſquam ſeu cominus enſe,
Seu ſit opus valida concurrere longius haſta,
Sive inflectere equū, atq; arctis compeſcere habenis,
Seu libeat laxare, & aperto currere campo.
O quoties medio ferventem in turbine belli
Converſæ fugient acies: at percitus ille

Obvia quæque metet infeſto corpora ferro.
Non ſecus ac præceps hyberno flumine torrens,
Cum tumidus late, ac pluviis hyemalibus auctus
Proruit adverſas inſano vortice ſilvas,
Obſtanteſque trahit ripas, campoſque per omnes,
Cum ſonitu ruit, & rapido rotat omnia fluctu.
Fortunate puer, numquam non victor in hoſtem,
Bella geres, magnique æquabis facta parentis.
Ille olim magnos Gallorum ſtravit acervos,
Italaque hoſtili manarunt arva cruore,
Tum, cum cæſa virum ſerpens per corpora Lyris
Æquoreas curſum vix tandem invenit in undas.
Ille idem gelida cum gens immanis ab arcto
Auſonios paſſim ſeſe effudiſſet in agros,
Audaces animos ingenti ſtrage repreſſit,
Alpinaſque nives Germano ſanguine tinxit.
Nunc quoque fallaces abrupto fœdere Gallos
In latios iterum fines, prædamque ruentes,
Proteret, & victos (divinis credite Parcis)
Italia expellet, cæloque æquabit honores.
At tu ſi qua tuo reſtabunt bella parenti,
Auſoniam infenſo nec dum pacarit ab hoſte,
Ipſe tua fidens animi virtute ſubibis
Hæc primum, mox externas egreſſus in oras
Implebis totum factis audacibus orbem.
Te duce & Auſoniæ rurſum rediviva reſurget
Gloria, & antiquum late victricibus armis
Reddetur Latio imperium. tua ſigna timebunt
Una omnes paſſim populi, quaque incidit alto
Æquore, & Oceano ferventes abluit axes,
Quaque coloratis effert ſe Phœbus ab Indis,
Tum demum placida contentus pace quieſces,
Sævaque miteſcent poſito Diſcordia ferro.
Aurea tum veniet ſeclis melioribus ætas,
Feliceſque anni, & Saturnia regna redibunt,
Tum Pax alma colet terras, Aſtreaque virgo,
Immerſumque gemet Stygio ſcelus omne baratro.
Felices, qui tam læto naſcentur in ævo.
Tu vero ante alias ſuperis gratiſſima Tellus,
Quam tanto Divum genitor dignatur alumno,
Tu nitidas paſſim fruges, arbuſtaque læta
Sponte tua, nulloque hominum cogente labore
Produces, humiles ſudabunt mella geniſtæ,

In-

Incultique ferent candentia lilia vepres.
Finierant Parcæ, tum Juppiter æthere ab alto
Intonuit lævum, & cæli de parte ſerena
Perſpicuus multo fulgor cum lumine fulſit.

EX PHILEMONE.

SI quid remedii lacrimæ afferrent malis,
Minorque ſemper fieret lugenti dolor,
Auro parandæ lacrimæ nobis forent.
Sed nil here iſthæc proſunt, res ipſæ nihil
Moventur iſtis, ſive tu ſemper fleas,
Seu numquam, eamdem pergere inſiſtent viam.
Quid his juvamur ergo? nil certe, at dolor,
Ut ipſa fructus arbor, ſic lacrimas habet.

EX MENANDRO.

NAm ſi te alumne genitrix cum peperit tua,
Hac ſorte es unus omnium in lucem editus,
Tibi cuncta ut evenirent, quæ velles, bona,
Idque annuit magnorum quiſpiam Deum,
Jure optimo indignaris, valde enim is tibi
Fallax repertus. quod, ſi eiſdem legibus,
Quibus nos omnes [tragicis ut verbis loquar]
Æque patentem cunctis aerem trahis,
Ferenda ſunt hæc levius, & omnis rectius
Ratio habenda. denique hæc ſumma eſt, puta
Hominem eſſe te, quo nullum animantium omnium
Extolli, itemque deprimi citius ſolet.
Ipſumque id haud injuria, minimarum enim
Id virium eſt, & maximis ſemper ſtudet,
Plurimaque ſecum commoda conterit cadens.
Tu vero & magna non amiſiſti bona,
Et mediocria ſunt ipſa ea, quæ pateris mala.
Ergo & modeſte alumne quod reliquum eſt feras.

SAlve, cura deum, mundi felicior ora,
Formoſæ Veneris dulces ſalvete receſſus,
Ut vos poſt tantos animi, mentiſque labores
Aſpicio, luſtroque libens, ut munere veſtro
Sollicitas toto depello e pectore curas.
Non aliis Charites perfundunt candida lymphis
Corpora, non alios contexunt ſerta per agros.

Deſunt nonnulla, quæ erant in litura.

BAL-

BALTHASSARIS CASTILIONII CARMINUM LIBER.

ALCON.

EReptum fatis primo ſub flore juventæ
Alconem nemorum decus, & ſolatia amantum,
Quem toties fauni, & Dryades ſenſere canentem,
Quem toties Pan eſt, toties miratus Apollo;
Flebant paſtores; ante omnes carus Iolas
Triſtia perfundens lacrimis manantibus ora,
Crudeles ſuperos, crudeliaque aſtra vocabat;
Ut gemit amiſſos fœtus Philomela ſub umbris,
Aut qualis ſocia viduatus compare turtur,
Quam procul incautam quercu ſpeculatus ab alta
Immitis calamo paſtor dejecit acuto;
Non viridi ſedit ramo, non gramine læto,
Non vitrei dulcem libavit fluminis undam:
Sed gemitu amiſſos tantum teſtatus amores,
Languidulus mœſtis complet nemora alta querelis.
Nulla dies miſerum lacrimis ſine vidit Iolam,
Nec cum Sol oritur, nec cum ſe condit in undas.
Non illi pecudes, non pingues paſcere tauros
Cura erat, aut paſtos ad flumina ducere potum,
Hædorumve gregem, aut vitulos includere ſeptis.
Tantum inter ſilvas, aut ſolo in litore ſecum
Perditus, & ſeræ oblitus decedere nocti,
Rupibus hæc fruſtra, & ſurdis jactabat arenis.
Alcon deliciæ Muſarum, & Apollinis; Alcon
Pars animæ; cordis pars Alcon maxima noſtri,
Et dolor, his lacrimas oculis habiture perennes,
Quis Deus, aut quis te caſus, miſer, abſtulit? ergo
Optima quæque rapit duri inclementia fati?
Ergo bonis tantum eſt aliquod male numen amicum?
Non metit ante diem lactentes meſſor ariſtas,
Immatura rudis non carpit poma colonus;
At fera te ante diem mors nigro immerſit Averno,
Inje-

Injecitque manus rapidas creſcentibus annis.
Heu miſerande puer! tecum ſolatia ruris,
Tecum amor, & Charites periere, & gaudia noſtra;
Arboribus cecidere comæ, ſpoliataque honore eſt
Silva ſuo; ſolitaſque negat paſtoribus umbras;
Prata ſuum amiſere decus, morientibus herbis
Arida; ſunt ſicci fontes, & flumina ſicca.
Infæcunda carent promiſſis frugibus arva:
Et mala creſcentes rubigo exedit ariſtas.
Squallor triſtis habet pecudes, pecudumq; magiſtros:
Impaſtus ſtabulis ſævit lupus; ubere raptos
Dilaniatque ferus miſeris cum matribus agnos:
Perque canes prædam impavidus paſtoribus aufert;
Nil niſi triſte ſonant & ſilvæ, & paſcua, & amnes,
Et liquidi fontes: tua triſtia funera flerunt
Et liquidi fontes, & ſilvæ, & paſcua, & amnes.
Heu miſerande puer! tangunt tua funera Divos.
Per nemora agricolæ flentes videre Napæas,
Panaque, Silvanumque, & capripedes Satyriſcos.
Sed neque jam lacrimis, aut queſtu fata moventur
Impia, nec noſtras audit mors ſurda querelas.
Vomeribus ſucciſa ſuis moriuntur in arvis
Gramina: deinde iterum viridi de ceſpite ſurgunt:
Rupta ſemel non deinde annectunt ſtamina Parcæ.
Aſpice, decedens jam Sol declivis Olympo
Occidit, & moriens accendit ſidera cælo;
Sed tamen occiduo cum laverit æquore currus,
Idem iterum terras orienti luce reviſet.
Aſt ubi nigra ſemel duræ nos flumina mortis
Lavere, & clauſa eſt immitis janua regni,
Nulla umquam ad ſuperos ducit via; lumina ſomnus
Urget perpetuus, tenebriſque involvit amaris;
Tunc lacrimæ incaſſum, tunc irrita vota, preceſque
Funduntur. fert vota Notus, lacrimaſque, preceſque.
Heu miſerande puer fatis ſurrepte malignis!
Non ego te poſthac, paſtorum adſtante corona,
Victorem aſpiciam volucri certare ſagitta;
Aut jaculo, aut dura ſocios ſuperare palæſtra;
Non tecum poſthac molli reſupinus in umbra
Effugiam longos æſtivo tempore Soles;
Non tua vicinos mulcebit fiſtula montes,
Docta nec umbroſæ reſonabunt carmina valles:
Non tua corticibus toties inſcripta Lycoris,

Atque ignis Galatea meus nos jam ſimul ambos
Audierint ambæ noſtros cantare furores ;
Nos etenim a teneris ſimul uſque huc viximus annis;
Frigora, pertulimuſque æſtus, noctesque dieſque ;
Communique ſimul ſunt parta armenta labore;
Rura mea hæc tecum communia : viximus una ;
Te moriente igitur cur nam mihi vita relicta eſt ?
Heu male me ira Deum patriis abduxit ab oris,
Ne manibus premerem morientia lumina amicis,
Aut abeuntis adhuc ſupremũ animæ halitũ in auras
Exciperem ore meo, gelidis atque oſcula labris.
Invideo Leucippe tibi ſuprema dolenti,
Deficiens mandata bonus tibi præbuit Alcon ;
Spectavitque tuos morienti lumine vultus,
Frigida tu mœſto impoſuiſti membra pheretro,
Sparſiſti & lacrimis buſtum ingratumque ſepulcrum.
Inde ubi defletum ſatis eſt, & juſta peracta,
Alconem ad manes felix comes uſque ſecutus,
Amiſſo vitam ſocio non paſſus inertem es;
Et nunc Elyſia lætus ſpatiaris in umbra,
Alcone & frueris dulci, æternumque fruer's,
Atque aliquis forſan paſtor pius oſſa ſepulcro
Uno eodemque ſimul florentis margine ripæ
Amborum ſacro manes veneratus honore
Compoſuit, lacrimaſque ambobus fudit eaſdem,
Aſt ego nec triſtes lacrimas in funere fudi,
Debita nec miſero perſolvi juſta ſodali.
Quin etiam fortis duræ, ignaruſque malorum
Vana mihi incaſſum fingebam ſomnia demens.
Hæc ego rura colem celeberrima, tum meus Alcon
Huc veniet linquens colles, & inhoſpita ſaxa,
Infectaſque undas, & pabula dira veneno ;
Molliaque inviſet prata hæc, fluvioſque ſalubres.
Occurram longe, & venientem primus amicum
Agnoſcam, primus caris complexibus ora
Impediam : excutient hilares nova gaudia fletus :
Sic tandem optato læti ſermone fruemur ;
Ærumnaſque graves, olim & tranſacta viciſſim,
Damna referre ſimul, rurſuſque audire juvabit.
Tum veteres ſenſim fando repetemus amores,
Delitiaſque inter paſtorum, & dulcia ruris
Ocia, ſecuræ peragemus tempora vitæ.
Hæc amat arva Ceres, juga Bacchus, paſcua Apollo,
Ipſa

Ipſa Pales herbas pecori, lac ſufficit agnis;
Montibus his paſſim teneræ aſſuevere Napææ
Sæpe feras agitare, & ſæpe agitare choreas.
Hic redolens ſacros primævæ gentis honores,
Perluit antiquas Tyberis decora alta ruinas;
Hic umbræ nemorum, hic fontes, hic frigida Tempe;
Formoſum hic paſtor Corydon cantavit Alexin:
Ergo ades, o dilecte puer: te paſcua, & amnes
Exſpectant; tibi jam contexunt florea ſerta,
Adventuque tuo teſtantur gaudia Nymphæ;
Summittitque novos tellus tibi Dædala flores.
Hæc ego fingebam miſer, ah ſpe ductus inani,
Neſcius omne nefas morti fatiſque licere.
At poſtquam fruſtrata leves abiere per auras
Vota mea, & vivos Alconis cernere vultus
Non licuit, vivaſque audire & reddere voces,
Huc ſaltem, o ſaltem umbra levi per inania lapſu
Advolet, & noſtros tandem miſerata dolores
Accipiat lacrimas, imo & ſuſpiria corde
Eruta, quaſque cava hæc reſponſant antra querelas.
Ipſe meis manibus ripa hac Anienis inanem
Conſtituam tumulum, noſtri ſolatia luctus,
Atque addam pia thura focis, maneſque ciebo.
Vos mecum o pueri bene olentes ſpargite flores,
Narciſſum, atq; roſas, & ſuave rubentem Hyacinthũ,
Atque umbras hedera, lauroque inducite opacas:
Nec deſint caſiæ, permixtaque cinnama amomo,
Excitet ut dulces aſpirans ventus odores.
Nos Alcon dilexit multum, & dignus amari
Ipſe fuit nobis, & tali dignus honore.
Interea violas intertexent Amaranthis,
Et tumulo ſpargent flores, & ſerta Napææ;
Et tumulo mœſtæ inſcribent miſerabile carmen:
ALCONEM poſtquam rapuerunt impia fata,
Collacrimant duri montes, & conſitus atra eſt
Nocte dies: ſunt candida nigra, & dulcia amara.

CLEOPATRA.

MArmore quiſquis in hoc ſævis admorſa colubris
Brachia, & æterna torpentia lumina nocte
Aſpicis, invitam ne crede occumbere leto.

Vi-

Victores vetuere diu me abrumpere vitam,
Regina ut veherer celebri captiva triumpho
Scilicet, & nuribus parerem ſerva Latinis;
Illa ego progenies tot ducta ab origine regum,
Quam Pharii coluit gens fortunata Canopi,
Deliciis fovitque ſuis Ægyptia tellus,
Atque oriens omnis Divum dignatus honore eſt.
Sed virtus, pulchræque necis generoſa cupido
Vicit vitæ ignominiam, inſidiaſque tyranni.
Libertas nam parta nece eſt, nec vincula ſenſi,
Umbraque tartareas deſcendi libera ad undas.
Quod licuiſſe mihi indignatus perfidus hoſtis,
Sævitiæ inſanis ſtimulis exarſit & ira.
Namque triumphali invectus Capitolia curru
Inſignes inter titulos, genteſque ſubactas,
Extinctæ infelix ſimulacrum duxit, & amens
Spectaclo explevit crudelia lumina inani.
Neu longæva vetuſtas facti famam aboleret,
Aut ſeris mea ſors ignota nepotibus eſſet,
Effigiem excudi ſpiranti e marmore juſſit,
Teſtari & caſus fatum miſerabile noſtri.
Quam deinde, ingenium artificis miratus Iulus
Egregium, celebri viſendam ſede locavit
Signa inter veterum Heroum, ſaxoque perennes
Suppoſuit lacrimas, ægræ ſolatia mentis;
Optatæ non ut deflerem gaudia mortis,
[Nam mihi nec lacrimas lethali vipera morſu
Excuſſit; nec mors ullum intulit ipſa timorem]
Sed caro ut cineri, & dilecti conjugis umbræ
Æternas lacrimas, æterni pignus amoris
Mœſta darem, inferiaſque inopes, & triſtia dona.
Has etiam tamen inſenſi rapuere Quirites.
At tu Magne LEO Divum genus, aurea ſub quo
Sæcula, & antiquæ redierunt laudis honores,
Si te præſidium miſeris mortalibus ipſe
Omnipotens Pater ætherio demiſit Olympo;
Et tua ſi immenſæ virtuti eſt æqua poteſtas,
Munificaque manu diſpenſas dona Deorum,
Annue ſupplicibus votis; nec vana precari
Me ſine. parva peto; lacrimas, Pater optime, redde:
Redde, oro, fletum, fletus mihi muneris inſtar,
Improba quando aliud nil jam Fortuna reliquit.
At Niobe auſa Deos ſcelerata inceſſere lingua,

In-

Induerit licet in durum præcordia marmor,
Flet tamen, aſſiduuſque liquor de marmore manat.
Vita mihi diſpar, vixi ſine crimine, ſi non
[" Induerim licet in durum præcordia marmor "]
Crimen amare voeas. fletus ſolamen amantum eſt.
Adde, quod afflictis noſtræ jucunda voluptas
Sunt lacrimæ, dulceſque invitant murmure ſomnos.
Et cum exuſta ſiti Icarius canis arva perurit,
Huc potum veniunt volucres, circumque, ſupraque
Frondibus inſultant; tenero tum gramine læta
Terra viret, rutilantque ſuis poma aurea ramis;
Hic ubi odoratum ſurgens denſa nemus umbra
Heſperidum dites truncos non invidet hortis.

PROSOPOPŒJA LUDOVICI PICI MIRANDULANI.

Credite mortales, animæ poſt fata ſuperſunt,
  Diraque mors noſtri nil niſi corpus habet.
Fabula nec manes vana eſt exire ſepulcris
  Per noctem, tenebris & volitare vagos.
Nam modo, dum noſtro Mirandula milite cincta eſt,
  Vidi ego vera quidem, ſed caritura fide.
Nox erat, & noctem ſuperans candore nivali
  Clara repercuſſo lumine Luna magis.
Ipſe ego ſub muris foſſa defenſus opaca
  Scrutabar, tutum qua magis eſſet iter.
Aſtitit hic ſubito manifeſtus mœnibus ipſis,
  Ante oculos PICUS viſus adeſſe meos.
Triſtis erat facies, atroque inſperſa cruore,
  Et lacerum ambuſto tunc quoque crine caput.
Obſtupui, gelidusque tremor per membra cucurrit,
  Et ſubito arrecta eſt hirta timore coma.
Ille autem torvum deſpectans caſtra, repente
  Infremuit, gemitu ſolvit & ora gravi.
O Pater, o paſtor populorum, o maxime mundi
  Arbiter, humanum qui genus omne regis,
Juſtitiæ, paciſque dator, placidæque quietis,
  Credita cui ſoli eſt vita ſaluſque hominum;
Quem Deus ipſe Erebi fecit, cælique potentem,
  Ut nutu pateant utraque regna tuo;
Quid potui tantum infelix committere? culpa
  Aut mea quænam in te tam gravis eſſe poteſt?

Ut

Ut patriam, natumque meum, uxoremque lareſque
Perdere, & excidio vertere cuncta velis?
Certe ego te propter caput objectare periclis,
Nec timui toties velle ſubire necem;
Felſina cum imperium jam detrectaret, & in te
Triſtia civilis ſumeret arma furor,
Hæc mea dextra tuos armis compeſcuit hoſtes,
Et leto multos ſanguinolenta dedit.
Denique, dum innumeris cupio te ornare triumphis,
Sanguinis ipſe mei prodigus occubui.
Vulnera teſtantur noſtros hæc ſæva labores,
Implorantque tuam nomen inane fidem.
Flens tener in cunis vagitu natus amaro
Pollicitis queritur pondus abeſſe tuis.
Tot perpeſſa graves conjux miſeranda labores
Supplicibus veniam mæſta petit lacrimis.
Stant miſeri ſquallore patres, trepidæque puellæ,
Et matrum paſſis flet pia turba comis.
Omnes in te animum jam convertere, rogantque,
Ut tua det feſſis dextera rebus opem.
Aſpice captivis vacuos cultoribus agros,
Abductas pecudes, agricolaſque boves,
Disjectaſque domos paſſim, populataque raptis
Arboribus late, & frugibus arva tuis.
Tu vero ulterius lacrimis dulciſſima conjux
Et gemitu manes lædere parce meos.
Poſtquam nulla poteſt mitis clementia diræ
Conſilium mentis flectere, nec pietas;
Effuge, quodque unum eſt noſtri tibi pignus amoris,
Dulce onus hinc ulnis fer puerum ipſa tuis.
Nec mea diſcedens ſaxo hic clauſa oſſa relinque
Condita, ſed charo tecum habeas gremio,
Ne rabie immani, tumulo ſint eruta avito,
Et jaceant media ſemiſepulta via.
Hæc ſperanda mihi, poſtquam ſectatur & umbram,
Sævit & in cineres mens male grata meos;
Nec ſinit inferias noſtro te ferre ſepulcro,
Annuaque extincto reddere juſta viro.
Sed tamen & Superi cernunt mortalia, habetque
Juſtitiæ ultorem dextra minax gladium;
Inque malos, ſit lenta licet, certa ira Deorum eſt,
Pœnaque tam gravior, quam mage ſera venit.
Nec longum noſtro lætabitur impius hoſtis

San-

Sanguine: fata illum non leviora manent.
Hæc ille. & plura his; ſed verba extrema loquentis
Terribilis noſtra rupit in aure ſonus.
Nam ſubito, ingenti tormenta impulſa ruina
Increpuere, gravi terra tremit ſonitu.
Fulminei ingeminant ictus, volat impete diro
Ferrea ſulphureo concita ab igne pila.
Mœnia tum mutant labefacta: at triſtis imago
In tenebras querulo mœſta abiit gemitu.

DE ELISABELLA GONZAGA CANENTE.

DUlces exuviæ, dum fata Deuſque ſinebant,
Dum canit, & querulum pollice tangit ebur,
Formoſa e cælo deducit Eliſa Tonantem,
Et trahit immites ad pia verba feras.
Auritæ veniunt ad dulcia carmina ſilvæ,
Decurrunt altis undique ſaxa jugis:
Stant ſine murmure aquæ, taciti ſine flamine venti,
Et cohibent curſus ſidera prona ſuos.
Atque aliquis tali captus dulcedine ſentit
Elabi ex imo pectore ſenſim animam.
Flebile neſcio quid tacite in præcordia ſerpit,
Cogit & invitos illacrimare oculos.
Flecte ratem male grate hoſpes, neu deſere amantē.
Ah miſera ah mortem eſt jam prope, flecte ratem.
Quod ſi tam dulces nequeunt fera corda querelæ
Flectere, nec gemitu hoc mens labefacta tua eſt,
Non tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide, ſed duris cautibus es genitus.
Surdior ah ſcopulis, dulces fugis improbe terras,
Deliciiſque olim litora cara tuis.
Illa autem extremo tandem devicta dolore,
Irrita nil poſtquam verba, preceſque valent,
Sanguine ſancta ſuo temerati jura pudoris
Ulta eſt; ipſa ſuæ ſæva miniſtra necis;
Quemque torum toties tecum male preſſerat olim,
Infelix etiam nunc premit exanimis.
Reſpice, funereæ ſunt illa incendia flammæ,
Et miſeranda illis ardet Eliſa rogis:
Ardet Eliſa tuum ſæve indelebile crimen,
Olim quod terris fama loquatur anus.

At tua præcipites fugientia carbaſa venti
Cæruleum profuga per mare claſſe ferunt.
Obrue devotam pater o Neptune carinam:
Ah nimis infidum ſuſtinet illa caput.
Illa virum portat, quem non perjuria tangunt,
Quem non ſancta fides, faſve, piumve movet;
Quem neque dulcis amor miſeræ morientis Eliſæ
Flectere, nec lacrimæ, nec potuere preces.
Ah ferus eſt, quicumque animo non mitis agreſti
Audiit & ſiccis hæc pia verba oculis.
Quod tamen hæc moveant, quod ſint tã dulcia verba,
Non faciunt verba hæc, ſed nova Eliſa canens.
Et certe non eſt hæc uxor Eliſa Sichæi,
Nec quemquam hæc Phrygium novit Eliſa virum.
Altera Eliſa hæc eſt Superis gratiſſima, qualem
Nec tulit ulla umquam, nec feret ulla dies.
Audiat Æneas hanc ſi tam dulce querentem,
Flens ultro ad litus vela dabit Libycum.
Quod ſi dura nimis, blandiſque immota querelis
Mens fera propoſitum non remoretur iter,
Invitam ad litus portabunt æquora claſſem,
Flaminaque ad fletus officioſa pios;
Excidet atque animo regnum dotale, nec umquam
Dardanius Latium navita claſſe petet.
Nam nimium validas facies habet iſta catenas,
Et validum nimis hæc lumina carcer habent.
Hæc formoſa Deas ſuperat forma Heroine,
Pace tua, Venus o, pace, Minerva, tua.
Quicquid agit, pariter certant componere furtim
Et decor, & Charites, & pudor ingenuus.
His lætos Natura oculis afflavit honores,
Et quiddam majus conditione hominum.
Ambroſiam roſea ſpirant cervice capilli;
Et patet egregio vera decore Dea.
Quacumque ingreditur, læta undiq; pabula vernant;
Signaque dat tellus numen adeſſe aliquod.
Arrident ſilvæ paſſim, tangique beato
Certatim geſtit quælibet herba pede.
O centum æquoreæ formoſa Doride nate,
Et quaſcumque maris contigit eſſe Deas,
Huic date, quicquid habent gemmarum litora rubra
Oceani, & quicquid dives arena vehit.
Quoſq; habet alma Thetis, quos & Galatea lapillos
Nerine

Nerine in loculis candida nympha ſuis:
Quicquid odoratæ meſſis Pancaja tellus
Protulit, huic felix munera portet Arabs.
Huic uni Seres Tyrio ſatianda colore
Arboribus pectant vellera chara ſuis.
Hæc una eſt noſtri rariſſima gloria ſæcli,
Digna ſuas cui det maximus orbis opes.
Vos quoque cælicolæ hanc merito celebretis honore:
Non erit hæc vobis diſſimulanda Dea.

BALTHASSARIS CASTILIONII ELEGIA,

Qua fingit Hippolyten ſuam ad ſe ipſum ſcribentem.

HIPPOLYTE mittit mandata hæc Caſtilioni;
Addideram imprudens, hei mihi, pene ſuo.
Te tua Roma tenet, mihi quam narrare ſolebas,
Unā delicias eſſe hominum atque Deum.
Hoc quoq, nunc major, quod Magno eſt aucta LEONE,
Tam bene pacati qui imperium orbis habet.
Hic tibi nec deſunt celeberrima turba ſodales,
Apta oculos etiam multa tenere tuos.
Nam modo tot priſcæ ſpectas miracula gentis,
Heroum & titulis clara trophæa ſuis:
Nunc Vaticani ſurgentia marmore templa,
Et quæ porticibus aurea tecta nitent:
Irriguos fontes, hortoſque, & amœna vireta,
Plurima quæ umbroſo margine Tybris habet.
Utque ferunt, cœtu convivia læta frequenti,
At celebras lentis otia miſta jocis.
Aut cithara æſtivum attenuas cantuque calorem,
Hei mihi quam diſpar nunc mea vita tuæ eſt!
Nec mihi diſpliceant, quæ ſunt tibi grata, ſed ipſa eſt
Te ſine lux oculis pene inimica meis.
Non auro, aut gemma caput exornare nitenti
Me juvat, aut Arabo ſpargere odore comas.
Non celebres ludos feſtis ſpectare diebus,
Cum populi complet denſa corona forum;
Et ferus in media exultat gladiator arena,
Haſta concurrit vel cataphractus eques.
Sola tuos vultus referens, Raphaelis imago
Picta manu curas allevat uſque meas.
Huic ego delicias facio, arrideoque, jocorque,
Alloquor &, tamquam reddere verba queat.

Aſſen-

Aſſenſu nutuque mihi ſæpe illa videtur
Dicere velle aliquid, & tua verba loqui.
Agnoſcit, balboque patrem puer ore ſalutat.
Hoc ſolor longos decipioque dies.
At quicumque iſtinc ad nos acceſſerit hoſpes,
Hunc ego quid dicas, quid faciaſve, rogo.
Cuncta mihi de te incutiunt audita timorem,
Vano etiam abſentes ſæpe timore pavent.
Sed mihi neſcio quis narravit ſæpe tumultus,
Miſcerique neces per fora, perque vias,
Cum populi pars hæc Urſum, pars illa Columnam
Invocat, & trepida corripit arma manu.
Ne tu, ne quæſo, tantis te immitte periclis,
Stat tibi ſit, tuto poſſe redire domum.
Romæ etiam fama eſt, cultas habitare puellas,
Sed quæ laſcivo turpiter igne calent.
Illis venalis forma eſt, corpuſque, pudorque:
His tu blanditiis ne capiare, cave.
Sed niſi jam captum blanda hæc te vincla tenerent,
Tam longas abſens non paterere moras.
Nam memini, cum te vivum jurare ſolebas
Non me, ſi cupias, poſſe carere diu.
Vivis Caſtilion, vivaſque beatius, opto;
Nec tibi jam durum eſt me caruiſſe diu.
Cur tua mutata eſt igitur mens? cur prior ille,
Ille tuo noſtri corde refrixit amor?
Cur tibi nunc videor vilis? nec, ut ante ſolebam,
Digna, tori ſociam quam patiare tui?
Scilicet in ventos promiſſa abiere, fideſque,
A noſtris ſimul ac veſtri abiere oculi.
Et tibi nunc forſan ſubeunt faſtidia noſtri,
Et grave jam Hippolytes nomen in aure tua eſt.
“ Me tibi, teque mihi fors, & Deus ipſe dedere: “
“ Quodnam igitur nobis diſſidium eſſe poteſt? “
Verum ut me fugias, patriam fugis, improbe? nec te
Chara parens, nati nec pia cura tenet?
Quid queror? en tua ſcribenti mihi epiſtola venit,
Grata quidem, dictis ſi modo certa fides;
Te noſtri deſiderio languere, pedemque
Quamprimum ad patrios velle referre lares,
Torquerique mora, ſed Magni juſſa LEONIS
Jamdudum reditus detinuiſſe tuos.
His ego perlectis, ſic ad tua verba revixi,
Surgere

Surgere ut æſtivis imbribus herba ſolet.
Quæ licet ex toto non auſim vera fateri,
Qualiacumque tamen credulitate juvant.
Credam ego, quod fieri cupio, votiſque favebo
Ipſa meis: vera hæc quis vetet eſſe tamen?
Nec tibi ſunt præcordia ferrea, nec tibi dura
Ubera in Alpinis cautibus urſa dedit.
Nec culpanda tua eſt mora, nam præcepta Deorum
Non fas, nec tutum eſt ſpernere velle homini.
Eſſe tamen fertur clementia tanta LEONIS,
Ut facili humanas audiat ore preces.
Tu modo & illius numen veneratus adora,
Pronaque ſacratis oſcula da pedibus.
Cumque tua attuleris ſupplex vota, adiice noſtra,
Atque meo largas nomine funde preces.
Aut jubeat te jam properare ad mœnia Mantus,
Aut me Romanas tecum habitare domos.
Namque ego ſum ſine te, veluti ſpoliata magiſtro
Cymba, procelloſi quam rapit unda maris.
Et data cum tibi ſim utroque orba puella parente,
Solus tu mihi vir, ſolus uterque parens. [tantũ
Nunc nimis ingrata eſt vita hæc mihi; namque ego
Tecum vivere amen, tecum obeamque libens.
Præſtabit veniam mitis Deus ille roganti,
Auſpiciiſque bonis, & bene, dicet, eas.
Ocyus huc celeres mannos conſcende viator,
Atque moras omnes rumpe, viamque vora.
Te læta excipiet, feſtiſque ornata coronis,
Et domini adventum ſentiet ipſa domus.
Vota ego perſolvam templo, inſcribamque tabellæ:
Hippolyte, ſalvi conjugis ob reditum.

AD PUELLAM IN LITORE AMBULANTEM.

AD mare ne accedas propius, mea vita; protervos
Nimirum, & turpes continet unda Deos.
Hi rapiunt, ſi quam incautam aſpexere puellam
Securos bibulo litore ferre gradus.
Quin etiam in ſiccum exiliunt ſæpe agmine facto,
Atque abigunt captos ad ſua regna homines.
Tum ſi qua eſt inter prædam formoſa puella,
Tantum hæc non ſubito piſcibus eſca datur:

Sed miſerā fœdis male habent complexibus omnes,
Invitamque jubent hiſpida monſtra pati.
Os informe illis, rictus, oculique minaces,
Aſperaque anguino cortice membra rigent;.
Barba impexa, ingens, alga limoque virenti
Oblita, oletque gravi lurida odore coma.
Hos tu ſeu piſces, ſeu monſtra obſcœna vocare,
Sive Deos mavis; ſi ſapis, ipſa cave.
Nec tibi ſit tanti, pictos legiſſe capillos,
Ut pereas magno, vita, dolore meo.
Quin potius diverſi abeamus; reſpice, ut antrum
Ad dextram viridi protegit umbra ſolo.
Decurrit rivus gelidis argenteus undis,
Pictaque odorato flore renidet humus.
Imminet & fonti multa nemus ilice denſum,
Et volucres liquido gutture dulce canunt.
Hic poteris tuto molli requieſcere in herba
Propter aquam, & niveos amne lavare pedes.
Tu mihi ſerta tuis contexta coloribus; ipſe
Texta meis contra mox tibi ſerta legam.
Floribus, & roſeis crinem redimita corollis,
Et compto incedes conſpicienda ſinu.
Poplite deinde tenus ſuccincta imitabere nymphas:
Obvia marmoreum deteget aura latus.
Silvicolas, mea vita, Deos torquebis amore.
Ignibus urentur flumina & ipſa meis.
Inde domum formoſa mage, & mage culta redibis.
Rumpetur tacita tum Hippolyte invidia.
Sed ſenſim ſubſiſtas, ne te forte puellarum
Æqualis verſam cernat abire chorus.
Neſciat hoc quiſquam, nam ſi nos turba ſequatur,
Antra ingrata tibi, ingrata & erunt nemora.
Has fatuas rapiant Pelagi, ſine, monſtra puellas,
Nos cœptum hac furtim diſſimulemus iter.
Quod ſi qua interea audieris per litora murmur,
Lux mea, te in noſtro protinus abde ſinu.

AD EAMDEM.

TU ne iterum, demens, heſterni oblita pericli,
Litora feſtino pergis adire gradu?
Nonne audis mea lux fremitū, & fera murmura Ponti?
Jam jam exire freto monſtra marina parant.
Me miſerum, his ne genis roſeis, roſeiſque labellis
Oſcula

Oſcula tam immundo congeret ore fera?
Lacteolum hoc corpus ſquammis teret, utq; libebit,
Implicitum cupidis nexibus impediet?
Mox lanians pectus tenerum, veſcaſque papillas,
Explebit diram mordicus ingluviem?
Mortales hæc monſtra omnes odere: tamen ſunt,
Si neſcis, pulchris longe inimica magis.
Audiſti ne olim Hippolyti crudelia fata?
Diſce alieno, ut ſis cautior ipſa, malo.
Theſide Hippolyto præſtanti corpore forma
Rara quidem, decor at rarior oris erat.
Sparſerat aurata jam tum lanugine malas,
Fulgebat ſed adhuc virgineum ore decus.
Multæ illi tæda jungi optavere puellæ,
Multæ etiam proprios deſtituiſſe viros.
Quin in illum inſano dilexit perdita amore,
Plus anima, atque oculis ipſa noverca ſuis.
Ille tamen ſpretiſque aliis, ſpretaque noverca,
Venator tantum devia luſtra colit.
Et canibus, jaculoque feras, arcuque fatigat,
Et juga nexilibus claudit iniqua plagis.
Nunc viridi ſtrophio faciem defendit ab æſtu,
Oraque fontano ſicca lavat latice.
Sæpe fugacis equi curſu prævertitur Euros,
Sæpe altum gaudet per nemus ire pedes.
Sed tum forte legens extremi litoris oram
Imprudens curru vectus erat biiugo;
Bellua cum ſubito cornuta expellitur undis,
Sublataſque maris naribus efflat aquas.
Mox vicina truces oculos ad litora vertens,
Hippolytum recto tramite ſæva petit.
Quadrupedes retro pavidi ceſſere, citato &
Per ſcopulos curſu corripuere fugam.
Hippolytus lentas luctari tendere habenas
Nequicquam, & vana ducere frena manu.
Currus inacceſſas per rupes, ſaxaque raptus
Frangitur, ejectis & cadit axe rotis.
At miſer implicitus loris puer inque peditus
Diſtrahitur: membris membra revulſa crepant.
Fundere non potuit lacrimas, non verba dolentis;
Tam cito diſcerpto corpore vita abiit.
In tenues dulcis decor ille evanuit auras,
Ut folia heſternæ cum cecidere roſæ.

Flava coma hamatis dumis annexa pependit,
  Et lacera hæſerunt viſcera ſtipitibus.
Fleverunt nemora, & ſaltus, fonteſque, lacuſque,
  Najades, & Panes, & Satyri, & Dryades.
Quid loquar Andromeden, matris quam pendere ſor-
  Poſcebant pœnas impia monſtra maris? [mæ
Pendebat ſcopulo infelix ſuſpenſa catena,
  Marmoreas tergum pone revincta manus.
Horrifico Piſtris ſtrepitu maria alta ſecabat;
  Ignem oculis, ſpumam ſanguineam ore vomens.
Forte leves Perſeus nixus talaribus auras
  Carpebat, pelagi litora deſpiciens.
Affixam ut vidit dura ſub caute puellam,
  Flexit iter, pennas ſuſtinuitque ſuas.
Mox propior teneros artus, & virginis ora,
  Et formam aſpiciens corporis obſtupuit.
Singula dum laudat, ſortem miſeratus acerbam,
  Illabi dulcem ſentit amorem animo:
Atque ait: o duro nimium damnata puella
  Judice; quæ tanto eſt culpa luenda malo?
Exercet te certe aliquis Deus ultor amantum,
  Nam ſi crimen habes, crimen amoris habes.
Ille loquebatur. planxerunt litora fluctus.
  Reſpicit. exitium bellua dirum aderat.
Quam ſimul ac rictu properantem vidit aperto
  Andromede, & ſe jam jam propiuſque peti,
Vulnificos viſa eſt ſenſiſſe in corpore morſus,
  Et ſua letifero viſcera dente trahi.
Atque ita deficiens ſine ſanguine, voce, animoque,
  Horruit, & gelido ſaxea facta metu eſt.
Crede mihi; juveni tantum ſua cara puella eſt,
  Spectatamque fidem ſolus amator habet.
Aſtabant trepidi lugubri veſte parentes,
  Et natæ lacrimas irrita dona dabant.
Læva heros clipeum capiens, dextra impiger enſem,
  Mittite, ait, lacrimas: hac ope tempus eget.
Nec mora, delatus volucri ſuper æquora planta,
  Terga feræ valido cominus enſe ferit:
Ingeminanſque ictus condit ſub gutture ferrum,
  Mox celer inſultans ilia tranſadigit.
Dentibus infrendens vacuas fera ſævit in auras,
  Et ſanie immiſto ſanguine tingit aquas.
Ille iterum dextram attollit; tum denique monſtrũ
Effu-

Effugit, & ſtridens æquoris ima petit.
At juvenis medio ſublimis in aere pendet,
Exſerat exſpectans qua fera parte caput.
Emergit tandem reſupinum turpe cadaver,
Jactaturque maris fluctibus exanimum,
Clamorem attollunt lætum per litora vulgus,
Et plauſu reſonant concava ſaxa novo.
Caſiope, Cepheuſque adimunt vincla aſpera natæ.
Ad ſua tunc lætus præmia victor adeſt.
Et dextram injiciens dextræ, colloque ſiniſtram,
Nympha meo, dixit, parta labore, mea es.
Illa, valete, inquit, duri, & ſine amore parentes,
Hic pater, hic conjux, hic mihi mater erit.
Vos me veſtra avido expoſuiſtis viſcera monſtro:
Hic me Orci e mediis faucibus eripuit.
Hunc ego, ſi thalamo me non dignabitur, ultro
Serva lubens dominum, qua volet, uſque ſequar.
Dixit, & ingreſſa eſt Perſei nova nupta Penates,
Nec patriam poſthac intulit illa pedem.
Sed maria, & Scopulos ſemper lituſque peroſa
Incoluit ſummis oppida celſa jugis.
Præteritique memor monitis parebat amantis,
Unde Polo ſtellis nunc Dea fulta micat.
At tu non aſſis facis, irrideſque monentem,
Ulteriuſque amens cœptum iter ire paras.
Quin etiam plantas tingis male ſana marino
Fluctu. ah mi tantos ne incute ſæva metus.
Forſitan apricos colles, & conſita opacis
Arboribus ſub aqua prata virere putas.
Atria vel cerni Phrygiis ſuffulta columnis,
Aurataſque trabes, marmoreumque ſolum.
Nil niſi ventorum fremitus, triſteſque procellas
Impulſas rapido turbine pontus habet.
Putris arena jacet cœnoſo ſordida fundo,
Et congeſta altis æſtuat aggeribus.
Ne dum aliud, conchas non illic verſicolores
Invenies: tantum has litoris ora tenet.
Tum ſeſe attollunt pelago paſſim ardua ſaxa:
Quædam etiam inſano gurgite cæca latent.
Hic ſua defoſſis poſuere cubilia ſubter
Cautibus, & liquidos monſtra marina lares.
Hic ſecura intus cunctantur, & ocia ducunt,
Cum furit hybernis ventus & unda minis.

Hic etiam e ſpeculis procul adventare carinas;
Utque ſua labi ſub ditione vident,
Diſponunt furtim inſidias, latitantque cavernis,
Dum ſubeat tectos nautica turba dolos.
Qualis, ubi aſpexit venientem ad retia cervum,
Venator tacito gaudia corde premit.
Sæpe etiam fundo morſu ſubfixa tenaci
Detinet invitam vipera parva ratem.
Illa immota manet, medio licet incita curſu,
Intendantque leves lintea plena Noti.
Tum ſubito e latebris prodit gens lubrica ponti,
Atque acie inſtructa prædam inimica petit.
Obice pars munit fauces, aditusque malignos
Obſidet, ulla fugæ pervia ne via ſit.
Pars dorſo connixa, ratem ſubvertere tentat,
Pars clavum, remos, & tabulata rapit:
At laterum laxa tandem compage dehiſcit,
Æquoreaſque bibit naufraga puppis aquas.
Interea nautas nequicquam multa parantes
Infelix vaſtis obruit unda vadis.
At rabida infido graſſantur in æquore monſtra,
Per mediaſque atra clade feruntur aquas,
Semineces rapiunt, prenſoſque volumine caudæ
Affligunt ſaxis terque quaterque ſuis.
Dilaniant artus, & adhuc trepidantia mandunt
Viſcera, & in miſero ſanguine roſtra lavant.
Fracta minutatim crepitant ſub dentibus oſſa,
Et ſemeſa undis membra cruenta natant.
Sæpe etiam vivos intra ſtabula abdita ſervant,
Ut quos Divum aris paſtor alit vitulos.
Nam ſua cum certis ſollemnia ſacra diebus,
Et celebrant lætis annua feſta choris;
Rauca tonans ſcopulis horrendum buccina torvi
Tritonis, madidum cogit in antra pecus.
Tum pelagi excitum fundo genus omne ferarum
Apparet, liquidis & glomerantur aquis.
At malus ille ſenex Protheus paſtor maris anteit,
Et (mirum!) in varias ſe induit ipſe feras.
Nam modo fit ſerpens, modo ſus, modo torva leæna,
Horrida nunc tigris, nunc ſonitum ignis habet.
Hic paſſim armenta exultantia fuſte coercet
Increpitans, magnum & per maria agmen agit.
Non tot habent ſilvæ frondes, tot litus arenas,

Quot

Quot varia in tenero marmore monſtra natant.
Nec ſolum informeſque orcæ, atque immania Cete,
Quæque mare undiſonum tantum habitare ſolent,
Sed tauri, vulpeſque avidæ, fulvique dracones,
Raptoreſque lupi, ſævaque turba canes.
Nam quaſcumque feras antris, & montibus altis
Terra alit, has vaſto gurgite pontus habet.
Bellua præterea [veteres dixere Charybdim]
Sublatum pelago fert truculenta caput.
Hæc miſeras avido puppes abſorbet hiatu;
Tantum illi barathrum, & gutturis antra patent.
Parte alia ſe infert timor, atque infamia ponti,
Semifero ingrediens corpore Scylla rapax.
Frons illi præfert formoſæ virginis ora,
Atque infida procul lumina dulce micant.
Inguinibus latrant rabido centum ore moloſſi;
Sicca fame impaſta guttura ſemper hiant.
Talia monſtra mari coeunt, ludoſque frequentes
Inſtaurant, epulis & ſua feſta colunt;
Infandaſque dapes menſis, & fercula dira
Apponunt, tabo pallida fruſta hominum;
Colla humeris avulſa, manus, truncoſque lacertos,
Atque ora effoſſis triſtia luminibus.
Corpora ſunt hominum illis eſca, & pocula ſanguis;
Hoſtibus hæc noſtris prandia dent Superi.
Hæc te, ſi fueris deprenſa in litore, Cete
Impoſitam dorſo protinus arripient.
Ah ſcelus indignũ, ah miſera, ah male cauta puella,
Quid tibi tunc animi, quid tibi mentis erit?
Clamabis, monteſque procul, lituſque relictum
Reſpiciens, fruſtra flebis, opemque petes.
Aſtabunt facies torvæ, & flenti increpitabunt.
Quam cupies nobis tunc habuiſſe fidem!
Tunc noſtri nemoris fruſtra memor, & memor antri,
Atque tui fruſtra Caſtilionis eris.
Ipſe aliam pro te forma præſtante puellam
Inveniam, & quæ mi ſit mage morigera.
Illi ego deliciaſque tuas donabo, & amores,
I nunc, argutas i ſequere Halcyonas.

DE MORTE RAPHAELIS PICTORIS.

Quod lacerum corpus medica ſanaverit arte,
Hippolytum Stygiis & revocarit aquis,

Ad Stygias ipſe eſt raptus Epidaurius undas:
Sic precium vitæ mors fuit artifici.
Tu quoque dum toto laniatam corpore Romam
Componis miro, Raphael, ingenio:
Atque urbis lacerum ferro, igni, annisque cadaver
Ad vitam, antiquum jam revocaſque decus;
Moviſti Superum invidiam; indignataque mors eſt,
Te dudum extinctis reddere poſſe animam;
Et quod longa dies paulatim aboleverat, hoc te
Mortali ſpreta lege parare iterum.
Sic miſer heu prima cadis intercepte juventa;
Deberi & morti noſtraque noſque mones.

DE PAULLO CANENTE.

Dulcia dum pulcher modulatur carmina PAUL-[LUS,
Demulcet colles, &, mea Roma, tuos;
Adcurrere ſimul Dryades, Faunique bicornes,
Ora immota truces & tenuere feræ:
Tybris arundineo glaucum caput extulit alveo,
Et ſtupefacta novo reſtitit unda ſono.
Tum vocem, numerumque, inquit, miratus Apollo,
Orpheus Elyſia valle meus rediit.
Sed faciem ut vidit pueri, ſacrumque decorem,
Certe, ait, hic proles eſt, Cytherea, tua.
Sæve puer, tentas me vincere voce, lyraque:
An viciſſe arcu, eſt gloria viſa levis?

DE VIRAGINE.

Semianimem in muris mater Piſana puellam
Dum fovet, & tenero pectore vulnus hiat,
Nata, tibi, has, dixit, tædas, atque hos Hymenæos
Hæc defenſa tuo mœnia marte dabunt?
Cui virgo: haud alias tædas, alioſve Hymenæos
Debuit hæc nobis grata rependere humus.
Hanc ego ſola meo ſervavi ſanguine terram:
Hæc ſervata meos terra regat cineres.
Quod ſi iterum ad muros accedet Gallicus hoſtis,
Pro patria arma iterum hæc oſſa ciniſque ferent

AD AMICAM.

Me miſerũ quis nã hæc tã bella labella momor-[dit?
Improbus, & vere ruſticus ille fuit.
Non aliter leporem canis, accipiterve columbam

Man-

Mandit. adhuc fluit en turgidulo ore cruor.
Quid nectis, maleſana, dolos? quid, perfida, juras?
Lividam ab impreſſo agnoſco ego dente notam.
Atque utinam non ulteriora etiam malus ille
Sumpſerit, heu duras rerum in amore vices.

EPITAPHIUM GRATIÆ PUELLÆ.

SIſte, viator, ni properas; hoc aſpice marmor,
Et lege: ni ploras, tu quoque marmor eris.
Gratia [namque Deas etiam mors ſæva profanat.]
Mortua, & hoc duro eſt condita ſub tumulo.
Abſtulit hæc moriens geminas miſeranda ſorores;
Sic Charites uno tres periere obitu.

INSIGNIUM DOMUS CASTILIONIÆ

DESCRIPTIO.

EST Leo magnanimus, clemens, princepſq; ferarũ:
Vindicat & rubrum ſibi Martis cura colorem:
Indicat & nobis ſecuram Arx alta quietem:
Turris & antiquæ fert ſignum nobilitatis.
CASTILIONA Domus nobis hæc omnia præſtat.

HIPPOLYTÆ TAURELLÆ CONJUGIS

EPITAPHIUM.

NOn ego nunc vivo, conjux dulciſſima: vitam
Corpore namque tuo fata meam abſtulerunt:
Sed vivam, tumulo cum tecum condar in iſto,
Jungenturque tuis oſſibus oſſa mea.

EX CORYCIANIS.

LAudabunt alii Divum ſpirantia ſigna,
Molliter & Pario ductos de marmore vultus,
Corycii aut clarum tollent ſuper æthera nomen,
Inſignem & virtute animum, magno ore canentes
Ut veras Superum effigies ſacraverit aris,
Utque ſui cordis penetralia fecerit aras
Sinceræ Pietati, almæ & Fidei, ipſe ſacerdos
Integer, innocuus, culpa ſemotus ab omni.
Aſt ego [nam vires noſtris Muſa abnuit auſis,
Ne poſſim egregias laudes æquare canendo.]
Tantum Corycio meritas teſtantia grates

Vota feram Nato, & Matri, Matriſque Parenti.
Vos igitur mecum, o pueri, innuptæque puellæ,
Romanæque nurus, cumulate altaria donis
Suppliciter; flexoque genu numenque rogate
Dextrum Corycio, & flammis date tura faventes.
Virginis Anna parens, & Virgo Mater, & ipſe
Virgineo Matre intacta Puer edite partu,
Corycium ſervate ſenem, ſi recta voluntas,
Et pietas vobis grata eſt, probitaſque, pudorque:
Quod ſi olim coluit qui hortos & rura, ſolebat
Primus vere roſam, atque autumno carpere poma,
Quænam digna ſatis dabitis vos præmia veſtro
Cultori? lætam annuite viridemque ſenectam.
Corycio aſpiret pleno bona Copia cornu;
Compleat alma Ceres campos, atque horrea meſſe,
Et Bromius dulci redolentes nectare cellas.
Ipſe autem caris ſemper ſtipatus amicis,
Inter odoratum citrii nemus, inter & hortos,
Suſpiciens ſacras Capitoli in colle ruinas,
In medio vatum felices exigat annos.

IN CUPIDINEM PRAXITELIS.

Hic Amor Herculea ſopitus pelle quieſcit:
  Pulvinum capiti ſubdita clava facit.
Has nunc exuvias præfert, magno Hercule victo:
  Pro pelle, & clava nunc gerit ille colum.
At puerum Veneris ſomno, & ſudore madentem
  Praxiteles Parium tranſtulit in lapidem.
Tu vero, hoſpes, abi, aut leni dic verba ſuſurro,
  Ne ſomnum excuſſum forte queratur Amor.
Ille quidem abjecitque facem, abjecitque pharetrā,
  Pro face, pro pharetra, clava timenda tibi eſt.

DE JULIO CÆSARE.

Bella foris, ludoſque domi exercebat & ipſe
  Cæſar: magni etenim eſt utraque cura animi.

DE AMORE.

Quid ſpeculas caræ fugio, quid tecta puellæ:
  Quod ſint Harpyiæ perditi amoris aves?
Quid vito faciem, & cæleſtia lumina ocellos:
  Demens, quod validæ ſint in amore faces?
Congreſſumque omnem, & verborum mollia vincla:

Quod

Quod miſero miri ſint in amore lupi?
Ceteraque heu nimium quod ſint urſique, leæque,
Menaliique canes, Armeniæque tigres?
Sic quoque dum fugio, cæcis licet abditus antris,
His ipſis mediis queis lateo in tenebris,
Innumeras Ætnas patior, Scyllaſque, Charybdeſque,
Et quæ durus amor præterea omnia habet.
Quare agite, in lucem vigiles procedite curæ,
Et qui mi pallor plurimus ore ſedet.
Huc lacrimæ, medio ducta huc ſuſpiria corde,
Huc qui me æterni conficitis gemitus,
Ite agite huc mecum: dominæque ſub ora protervæ,
Sub ſævos oculos nos periiſſe juvet.
Quandoquidem fiet ſpectando mollius omne id,
Et vita demum ſuavius hac miſera.
Nam ſi etiã ſolũ hæc monſtra omnia circumvallant,
Teſtis io ſaltem ſit necis illa meæ.
Illa, graves Nemeſis quæ vel tum forſitan iras,
Ultoreſque timens in ſua fata deos,
Hic vere, poſito jam faſtu, dicet, amabat:
Et dabit in cineres ultima dona meos.
Protinus hæc manes tum fama ſequetur ad imos:
Ac me jam campis liberum in Elyſiis,
(Stultitiæ ah tantum eſt fatuo hoc in amore) juvabit
Illud neſcio quod munus inane rogi.

ILLUSTRIUM ALIQUOT POETARUM
CARMINA
AD CASTILIONIUM,
VEL DE CASTILIONIO.

Benedic. Lampridius, Balthas. Castilionio.

Quid ceſſas? age dum cingere Cypria
Myrto & tu nitidas, CASTALIO, *comas,*
Et paullum abjice magnas
Curas rege ſuper tuo.
Non ſemper madidis Juppiter imbribus
Terras & trifidis fulminibus petit:
Nec lux permanet alma,
Sed noctis vice pellitur.

Si Mellina nihil te domus afficit,
Et fontes poſitis ordine Medicis
Pomis, & ſpeculæ, omnem
Unde urbem licet æſtimes:
At Tyrrhena, brevi fronte, oculis nigris,
Nigro crine, parat quæ tibi dulcia
Doctis carmina chordis,
Et vocis liquidæ ſonos,
Tangat. te cyathis en vocat Angelus
Ter ternis, juvenum nobilium decus.
Non contemnere Muſas
Te vatem decet impares,
Vates incolumis maxime ſæculi:
Te fas ante alios ducere Liberum.
Ingenti Ennius ore
Dicturus grave prœlium,
Victos & populos; imbuerat prius
Se vino. duplicem potus Ulyſſeum, &
Trojæ funera Homerus
Divinis cecinit modis.

JO. ANTONIUS FLAMINIUS FOROCORNELIENSIS

Epigrammatum lib. III.

AD ILLUSTREM BALTHASSAREM CASTILIONEM

Nebulariæ Comitem.

INclyte magnorum cœtu numerande virorum
Quos præſens ætas non tacitura videt,
BALTHASAR *ingenuis præfulgens artibus, & quem*
Illuſtrem populis utraque lingua facit,
Dicere te vellem, noſtriſque ſacrare libellis,
Creſceret ut famæ jam tibi partus honor:
Sed labat ingenium: gravitate eſt ponderis impar
Materiæ cœptum fertilioris opus:
Dotibus inſignem dum tot videt, ac ſimul optat;
Obſtupet, ac numerum dicere Muſa nequit.
His Rex commotus Gallorum te colit, atque
Vulgata illuſtrem per loca laude facit.
Rex quoque te ſimili complexus amore Britannus
Ia-

Inſignem clari torquis honore facit.
Quid referam Urbini quo te Dux legit honore?
Ut lectum ex cunctis juſſerit eſſe ſuum?
Non eget indicio noſtræ clariſſima vocis
Laus tua: & id noſtris viribus obſtat onus.
Si tamen eſt aliquid voluiſſe, hoc inſpice Carmen:
Hinc animum. id magni muneris inſtar erit.

M. ANTONII FLAMINII ECLOGA THYRSIS

Menalcas. Thyrſis.

FOrte ſuper tenero projectus gramine Thyrſis
Paſcentes vario mulcebat carmine tauros,
Et virides pulchram reſonabant Phyllida ſilvæ;
Cum tenues prima indutus lanugine malas
Affuit, & triſti ſic cœpit voce Menalcas.
Menal. *Ipſe quidem molli dum captas frigus in umbra,*
Et tenerum fragili deducis arundine carmen,
Nos heu perpetuis objecti fluctibus olim
Jactamur, vacuaſque errando ducimus horas;
Ex quo præruptis veniens ex alpibus imber
Aſſiduus lætas fœdavit grandine terras
Quas inter placido percurris Meſulus amne
Cæruleos denſa pretextus arundine crines.
Thyr. *Nos quoque diluvio ex illo rerum omnium egeni*
Fugimus: at dives parvo poſt tempore Mœris
Hoſpitio excepit grato, armentique magiſtrum
Eſſe dedit, paſtaſque etiam numerare capellas.
Et nos Phyllis amat miſere formoſa puella,
Quæ Satyros calamis, Phœbumque laceſſere voce
Audeat. hanc multos nequicquam arſiſſe per annos
Alconem fama eſt, cui quina armenta per herbas
Et bis quinque greges altis in montibus errant.
Menal. *Deſine plura, puer. fuit & ſua cura Menalcæ:*
Nunc Veneris flammas, teneros nunc odit amores.
Thyr. *Nos equidem terras alio ſub ſole jacentes*
Ibimus, & Libyæ ſteriles mutabimus agros:
Ipſa tamen dominæ profugum ſectetur imago,
Formoſamque omnes reſonabunt Phyllida ſilvæ.
Menal. *At memini cum forte gravis contagia morbi*
Invaſere tuas bruma veniente capellas,
Formoſam nullæ reſonabant Phyllida ſilvæ.
Te felix pleno circumſtat Copia cornu:

Ab-

Ah dolor! ipſe famem dura vix glande repello.

Thyr. *Ergo ubi funereum in cinerem pallentia membra*
Solverit atra dies, Stygiamque innabimus undam,
Si quis amicitiæ ſenſus tellure ſub ima eſt,
Inter felices animas, & ditia regna,
Tunc etiam noſtrum cantabit fiſtula Mœrim.
Ille ſui pecoris curam mihi credidit, illi
[Quod mirere] etiam multum mea carmina curæ.
Nam cum Caſſategi pratis Corydonis ad ulmum
Lyctius alternis mecum certavit Amyntas,
Judicio illius victus mihi ceſſit Amyntas,
Depoſitumque etiam mea fiſtula rettulit agnum.

Menal. *Fortunate puer nimium, tua ſi bona noris!*
Hic inter gelidos fontes, & paſcua læta,
Et denſas corylos, ſacræque examina quercus
Felicem vacuo traduces pectore vitam:
At nos per varios caſus miſeranda ſequemur
Exſilia, & toto feſſi jactabimur orbe?
Nec dabitis finem, crudelia fata, laborum?

Thyr. *Non ſemper gelidis effundit nubibus imbres*
Juppiter, aut vaſti feriunt cava litora fluctus
Semper, & iratis ſtrident Aquilonibus auræ.
Tu quoque veſano finem ſperare dolori
Aude, hoſpes. forſan miſerum meliora ſequentur.

Menal. *Alta prius certos requieſcent flumina curſus,*
Grataque paſcentes fugient virgulta capellæ,
Quam Fortuna modum noſtris imponere damnis
Annuat, incœptumque velit mutare tenorem.
Hoc nobis quondam memini prædicere Mopſum.
Cum mea bis ſeptem nondum ætas viderat annos.
O pecus, o dulces quondam mea cura capellæ,
Et ſemper teneris vernantia floribus arva,
Vos ego non aliquo infelix poſt tempore viſam?
Inque peregrina moriens tellure recondar?
O potius ſubito pigræ telluris hiatu
Devorer; aut magno pro munere ſolus in altis
Exponar ſilvis Numidarum præda leonum.

Thyr. *Huc ades, o miſerande puer: jam veſper Olympo*
Surgit, & alma dies primæ decedere nocti
Incipit, errantes herboſa ad flumina tauros
Ducam ego, mox ſaturos cogemus ovilibus agnos.
Hic poteris noſtrum poſt cœnam viſere Mœrim,
Illius & verbis aliquam ſperare ſalutem.

LI-

LIVIUS GREGORIUS GYRALDUS

Epiſtola,in qua agit de incommodis,quæ in direptione Urbana paſſus eſt; ad Antonium Thebaldeū.

NAugerius procul Italia per Bætica regna,
Cæſaris obſervans aulam, mandata Senatus
Ipſe ſui exſequitur: doctrinamque æquat agendo.
Una ibi CASTALION. [*proh dii,quantum inſtar in u-*
Muſarum prius hic cultor Phœbiq;, ſed idem (*no hoc!*]
Ingens ingentis fuerat Mavortis in armis:
At ſimul ante diem Lacheſis fera ſtamina rupit
Hippolytæ, optavit nivea cum veſte ſacerdos
Cœlebs vivere, non ulloſque pati hymenæos.
Hoc minus infelix, oculis quod fata videre
Non fera CLEMENTIS, *nec patrum contigit illi.*

FRANCISCUS ARSILLUS SENOGALLIENSIS

Libello de Poetis Urbanis inter † Coryciana.

CASTIONUM *annumerem quos inter? Martis acer-*
Num Phœbi, an Veneris te rear eſſe decus? [*bi,*
Miles in arma ferox, & amata in virgine mitis;
Hinc molles elegos: hinc fera bella cane.

JOANNES PLAZONIUS

De Balthaſſare Caſtilionio.

MAntua dives avis, ſed ditior illa poetis,
Quos inter primos maximus ille Maro.
Non tamen inferior multo tu, culte poeta
CASTILIO, *claris regibus orte tuis.*
Sed titulos gentemque tuam tam ſtultus avitos,
Qui teneris Muſis præferat, ecquis erit?

BASILII ZANCHI ECLOGA

Cui titulus DAMON, ſive BALTHAZAR CASTALIO. ex V. Poematum Libro.

Lycidas. Thyrſis.

QUid tantum inſano fœdantem pectora luctu,
Funeſta te, Thyrſi, juvat tabeſcere in umbra
Ili-

Ilicis? en pecudes nullo cuſtode per herbam
Paſcuntur, errantque ſuis cum matribus agni.
Nec nomen late clarum Neſidos ad auras
Antra doces jactare, & pictas gramine ripas;
Sed tantum triſtes referunt nemora avia cantus,
Triſtiaque argutæ reſponſant carmina valles.
Dic, luctus quæ cauſſa novi, cariſſime Thyrſi?
Dic age, qui mœſto tanti ſub corde dolores?
Thyr. Ah dolor, ah lacrimæ ſingultibus interruptæ!
Ipſa nequit ſuperas vox ægra erumpere ad auras.
Ah miſer, ante diem, merita nec morte peremptus
Occidit, & longo clauſit ſua lumina ſomno
Infelix Damon. creſcat dolor, & lamenta.
O mecum luctus, auræ, ingeminate recentes.
Lycid. Proh facinus! carumne mihi mors abſtulit, heu
Impia mors Damonem, & funere merſit acerbo? [heu
Thyr. Heu periit mea vita, animæ & ſolatia noſtræ?
Heu periit Damon. creſcat dolor, & lamenta.
Nec mirum, o Lycida, primis data ſigna diebus
Hoc ante exitium; liquidos avertitur amnes
Immemor herbarum quadrupes, & crebra querelis
Frondiferum nemus, & ſaltus, & paſcua complet.
Quin etiam patrios præterlabentia fines
Flexerunt retro mærentes flumina curſus.
Ipſe autem fractis imo caput abdidit alveo
Cornibus, & viridi circum ſtillantia muſco
Abrupit ſerta, & glaucos diſcidit amictus
Mincius, effundens latices, urnamque patentem
Implevit rivo lacrimarum: & candida circum
Pectora fœdantes pugnis, atque unguibus ora
Cæruleæ comites, ſciſſo per colla capillo
Fleverunt patrias mulcentem cantibus undas.
Et nivei in ripa ceciniſtis flebile cycni.
O mecum luctus, auræ, ingeminate recentes.
Vos mecum lugete, & amarum intendite fletum,
Paſtores, ſi qua eſt pietas, ſi funera tangunt
Damonis; veſtri ſpes & ſolatia Damon,
Damon paſtorum decus ingens, cui juga ſæpe
Nimboſi Apennini, cui Saturniæ arces
Demiſere caput cantanti: ad carmina, cautes,
Veniſtis, rigidæque, altis de montibus, orni.
Dumque ille egregias laudes, & facta LEONTIS
Perſonat, intonſi referunt ad ſidera montes

Egregias

Egregias laudes: Primus tu paſcua nobis
Reſtituis: tu ſiderea demiſſus ab arce,
Præſidium feſſis rebus, dum tu, optime patrum,
Terrarum late ingentes moderaris habenas,
Aurea ſublatis remeabunt ſæcula bellis.
Hei mihi; jam carmen ſuſpiria interrumpunt!
Has igitur mihi ſpes, hæc & ſolatia dira
Liquiſti, o Damon? longum ſine fine dolorem,
Et vanum deſiderium, & ſuſpiria de te
Liquiſti, o longa jucundior unice vita.
Vellera cum ſetis aries mutarit, & hircus
Velleribus ſetas, dolor & ſuſpiria me me,
Ah miſerum! me me linquent, curæque ſequaces.
Crudeles ſuperi, crudelia ſidera, nunc me,
Me quoq; nunc Stygias comitē detrudite ad undas.
Nam quid ego, heu, ſine te, Damon, dulciſſime Damon,
Heu quid agā miſer? aut vitæ quæ gaudia quæram?
Te moriente omnis vivendi erepta voluptas.
Hei mihi, jam carmen ſuſpiria interrumpunt!
Quis igitur capiti lymphas, heu quis dabit atros
His oculis fontes lacrimarum, ut plurima triſtes
Abluat unda genas, tellus vicina madeſcat?
Vos gelidi fontes, vos mollia prata, valete:
Dulcia rura, valete, vale ſimul, optima Phylli,
Vos umbræ altorum nemorum: non amplius ab me
Delectet vacua carmen luſiſſe ſub umbra.
Vivite jam fontes, & paſcua, vivite, ſilvæ:
Vos cantus, & plectra juvent, molleſque choreæ,
Nymphæ noſter amor: nos & ſuſpiria, & acres
Singultus, lacrimæque decent, & funera triſtia.
Hei mihi, jam carmen ſuſpiria interrumpunt!
Cur ſine me Elyſia, Damon, ſpatiare ſub umbra?
Conceſſum & ſine me ſacros ediſcere cantus
Ægonis? quem Parthenope, quem cærula Siren
Jamdudum obſtupuit, ſummi cum ſaxa Veſævi,
Et Gauri ſocio reſonarent antra favore.
Incultum ſolis in rupibus exigere ævum
Amentem jubet ipſe dolor, Damone peremto,
Donec ſæva meos tandem mors ſolverit artus,
Inviſam & dederit nobis abrumpere vitam.
Non tamen ante mihi torpentia lumina morte
Langueſcent, tibi quam, Damon, pia funera ſolvā:
Con-

Conſtituam & tumulum, & tumulo ſollemnia mittam.
Paſtores mecum certis altaria donis
Et ſtatuent, mecum & cineri fragrantia dona
Infundent herbas adolentes, & beneolens tus.
Hic mecum formoſa etiam tua cura Lycoris,
Naides & mæſtis percuſſæ pectora palmis,
Flaventes ſolvent crines, & buſta profuſis
Conſpergent lacrimis, & femineo ululatu:
Placabuntque pios manes, & carmina dicent:
Quæ quondam edocuit niveas laniata papillas
Mæſta Venus, Pharii quum funera fleret Adonis:
Æternum & ſalve, ſingultibus intermiſtis,
Æternumque vale, dicent, o maxime Damon.

JULII CAPILUPI

Cento ex Virgilio

IN COMITEM BALTHASSAREM CASTILIONEM.

PRopter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, auratus taurino cornua vultu,
Per tot ducta viros, multos ſervata per annos
Stat fortuna domus, & avi numerantur avorum:
CASTALIAM vocat, & lætam cognomine gentem
Mantua dives avis deducit origine nomen.
Ipſe COMES, fama multis memoratus in oris,
Jam tum conſiliis habitus non futilis auctor.
Aulai in medio, quondam dum vita manebat,
Ipſe gubernator populos in pace regebat,
Jura dabat legeſque viris; moreſque ſiniſtros,
Et quo quemque modo fugiatque feratque morantem;
Antiquaſque domos, aulas, & limina regum
Inſtituit: quacumque viam virtute petivit.
Ante omnes multa inſignem ſe reddidit arte
Præcipue in duri certamina Martis euntem.
Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo
Donat habere viro, quo non felicior alter,
Threicia fretus cithara, fidibuſque canoris
Dum canit, & mæſtum Muſa ſolatur amorem.
Quid memorem, (ſunt hic etiam ſua præmia laudi)
Carmine quo captæ dulces ante omnia Muſæ
Attonitis hæſere animis? divine poeta,

Qua

Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?
Namque canebat, uti aulæis regina ſuperbis
Quæ totam late jam tum ditione premebat
Ægyptum, geminoſque premens eliſerit angues
Illa manu, ut pulchram properet per vulnera mortem
Conjuge prærepto, pectus ſignata cruentis
Stabat acerba fremens, mentem turbata dolore,
Inviſam quærens quamprimum abrumpere lucem;
Pectore in adverſo graviter ſpirantibus hydris.
Procubuit; ſic ſortitus non pertulit ullos,
Non vires alias, Romanorumque triumphos;
Nec victoris heri tetigit captiva Penates.
Hoc virtutis opus, lævi de marmore totum
Infelix ſimulacrum, oculis mirabile monſtrum,
Munera, relliquias antiquæ laudis, & artis,
Delicias domini Romana palatia ſervant
Hic inter denſas corylos, ſedeſque beatas.

ANTONIUS CERUTUS

IN CAMILLI CASTILIONEI

Balthaſſaris Filii, & Catharinæ Mandellæ Epithalamio.

HOs, inter ſplendet ceu ſidera Luna minora,
Pater refulſit BALTHASAR.
Deliciæ Regum qui dictus, parteque ab omni
Virtutibus reſplenduit.
Illius haud ceſſant claros celebrare labores
Et lectitare Principes.

JO: MATTHÆUS TOSCANUS

In ſua Carminum Illuſtrium Poetarum Italor. Collectione.

UT patriam, ſic ingenium, Muſamque dederunt
Fata tibi, ſed non otia Virgilii.
Quod niſi caſtra fores regum ſectatus, & aulam,
Dum ſimul hos dextra, conſilioque juvas,
Carmina tunc magni poteras æquare Maronis,
Ut nunc ingenii pondere, ſic numero.

IDEM

IDEM TOSCANUS IN PEPLO ITALIÆ.
BALTHASAR CASTILIO.

UT *patriam, ſic ingenium, Muſamque dederunt*
Fata tibi, ſed non otia Virgilii.
Nam regum tu tecta modo, modo caſtra frequentas;
Ut ſimul hos dextra conſilioque juves.
Cum gemino jactet ſe Mantua pæne Marone,
Eſt tamen huic placeas quæ ſibi parte magis:
Quippe virum ante alios deceat qui principis aulam
Exprimis & vita, fingis & eloquio.

MARCUS STICHINUS
DE BALTHASSARE CASTILIONIO.

CASTILIONEUM, *quo Mantua læta ſuperbit,*
CASTALIDUM *e Pindo turba canora canat.*
Non ſatis herois divini maxima facta,
Nec bene, mortalis dicere lingua poteſt.

FINIS.

INDICE

D'alcuni Libri, che ſi trova avere

PIERANTONIO BERNO

Stampatore, e Librajo nella via de' Leoni in Verona.

ARs Metrica,
Aldi, & Cellarii, Orthogr. Latina.
Amort, Philoſophia.
Acta Erudit. Lipſ. Comp.
Ars dirigendæ mentis.

B

Beveregio, Chronologia.
Boethius, de Conſolat. Philoſoph.

C

Calepini, Dictionar. 7. Linguar.
Cellarii, Orthographia.
Conciones, & Or. ex antiq. Hiſt. decerp.
Cicer. Opera omnia cum notis varior.
---- Epiſt. ad Familiares.
---- Oration. Select.
---- De Officiis.
---- Philoſophia.
---- Orationes.
---- Epiſt. Select.
---- De Oratore, cum varior.
---- Epiſt. cum Com. ad uſum Delph.
---- cum Minelli.
Cornel. Nepos, Vitæ excel. Imper.
---- cum Cellarii.
---- cum Varior.
---- cum Minellii.

Cæ-

Cæſar. Comment.
Cantellio, de Rom. Rep.
Cluverii, Geographia.
Cavini, Philoſoph. Thom.
Concluſiones Buccolicæ.

D

Decolonia, de Rhet.
Dictionar. Ciceronianum.
Ducigne, de Arte Poet.
Deslions, de Cultu B. V.

E

Æſopi, Fabulæ.
Emman. Gramatica.

F

Facciolati, Orationes.
---- Logica.
Flos Latinitatis.
Ferrarii, Lexic. Geograph.
Florii, Opera cum Com. ad uſum Delph.
Fracaſtorii, Flaminii, & alior. Carm.
Flacci, Argonautica.

G

Gandutii, Deſcript. Poeticæ, & Orat.
Gramatica Latina.
---- Tedeſca.
---- Græca.
---- Ebraica.
Graveſand, Introd. ad Philoſ.

H

Huetii, Demonſtratio Evang.
Horatii, Opera.
---- cum notis ad uſum Delph.
---- cum notis, Bond.
---- cum notis Juventii.
Hoſchii, Carmina.
Hoſpital, Section. Conic.

I

Jay, Rhetorica.

Ju-

Juſtini, Hiſtoria.
Juvenalis, Opera, cum notis Farnabii.

L

Limen Gramat.
Lazarini, Oratio.
Lucani, Opera cum notis Farnabii.
Lupi, Elogia.
Logica, ſive Ars Cogitandi.

M

Mureti, Orat. & Epiſt.
Martialis, Opera cum notis Farnabii.

O

Obſervat. de Regul. & uſu Artis Crit.
Ovidii, Opera.
---- Cum notis ad uſum Delph.

P

Perpiniani, Orationes.
Petiot, Panegyr.
Petavii de Doctr. Tempor.
---- Rationar. Tempor.
Patarol, Series Auguſt.
Poterii, Archeolog. Græca.
Phædri, Fabulæ.
Plauti, Comœdiæ.

R

Rapini, Carmina.
Ruæi, Carmina.
Ruizii, Carmina.

S

Scioppii, Gram. Philoſoph.
---- Minerva Sanct.
Sectani, Satyræ.
Sinonym. & Epitet. Theſ.
Svetonii, Opera.
Salluſtii, Opera.
---- cum Notis varior.
Senecæ, Tragœd.
---- cum Notis Farnabii.

Se-

Semerì, Philoſoph.
Senecæ, Oper. mor.

T

Turſelini, de Particul. Lat. Orat.
T. Livii, Opera.
Terentii, Comœdiæ.
---- cum Notis Farnabii.
Tacquet, Elem. Geomet.
---- Ejuſd. cum Wiſton.
---- Arithmetica.

V

Vallerii, Rhet. Eccleſ.
Voſſii, Rhetor. Contr.
---- Gramat.
Vives, Colloq. Lat. Ital.
Uſſerii, Annal. Veteris, & Novi Teſt.
Virgilii, Opera.
---- cum Notis ad uſum Delph.
---- cum Farnabio.
---- cum Exerc. Rhet.
---- cum Fabrini Com. &c.
Vidæ, Opera Poet,
Vocab. Ital.

MAG 2018231